UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De Divina Gratia Pars ...

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiæ In Generali, De Avxilio Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiæ Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1652

Liber Qvintvs. De Auxilio efficaci Gratiæ Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-94118

Visual Library

LIBER QVINTVS

DE AVXILIO EFFICACI GRATIÆ DEI.

PRÆLVDIVM.

IN libri præcedentis initio præmisimus partitionem actualis auxilij Dei in sufficiens, & efficax; primumq; illius diuisionis membrum per totum illū librum prosequuti sumus: nunc de altero membro dicendum superest: in eo enim explicando præcipuè videtur Augustinus in suis libris contra Pelagianos, eorumq; reliquias laborasse, & in hoc tempore exacta eius disputatio & cognitio valde necessaria est, ad mediam veritatis viam ita tenendam, vt nec ad Pelagianam impietatem beneficium huius gratiæ non agnoscentem, nec ad extremam Caluini insaniam, libertatem arbitrij specie recognoscendi gratiæ efficaciam, negantem declinemus. Quod quia obscurum & difficilimum est, magna est his temporibus inter Catholicos Doctores controuersia, quam ea moderatione tractare curabimus, vt sine vlla nota, aut censura opinionis alicuius, quid verum, & definitionibus Conciliorum & doctrinæ Augustini magis consentaneum esse nobis videtur, simpliciter proponamus: quamquam enim ad veritatem, quàm credimus futurum sit, quid periculi declinandi in hunc, vel illum errorem in sententia contraria esse possit, vel appareat, per vrgentes rationes & illationes iudicare, nunquam tamen intentionis nostræ erat, notam, vel infamiam talis erroris alicui opinioni Catholicorum Doctorum inurere, sed solùm vim & efficaciam rationum ostendere, obsequentes in omnibus Sedis Apostolicæ iussionibus, quibus in hac maximè controuersia omnis verborum, non tantùm à censuris & contumeliis, verùm etiam ab omni verborum amaritudine & aculeo abstinere omnibus commendatum est, & nouissimè à Sanctissimo Domino nostro Paulo V.

CAPVT I.

Quotuplex sit auxilium efficax.

1. Ratio nominis.

QVod ad nomen attinet, in libro præcedenti cap. 1. ambiguitatem vocis abstulimus, quia interdum vox *efficax*, solam potentialem, (vt ita dicam,) efficaciam significat, quæ interdum esse potest in habitu, vel auxilium sufficiens est efficax, propriè tamen in præsenti materia significat vox illa talem auxilij efficaciam, quæ ab actione, seu effectu non separatur, sed infallibiliter habet illum coniunctum. Et fortasse hac ratione aliqui distinxerunt auxilium efficax in actu primo, & in actu secundo: nam in priori significatione efficacitas illa de se in solo actu primo sufficientem vim actiuam habente saluatur, & ideo talis virtus, vel auxilium dicitur efficax in actu primo; in altera verò significatione actus primus non separatur à secundo, & ideo dici etiam potest auxilium efficax in actu secundo: non quia auxilium efficax formaliter, & per se sit semper actus secundus, non est enim hoc necessarium, vt videbimus, sed quia vel est actus secundus, vel saltem non est sine actu secundo, seu semper est in actu secundo. In quo sensu diuisio non est cur reiiciatur, procedit tamen ex dicta vocis æquiuocatione, qua sublata, non est in illo sensu necessaria, quia auxilium efficax absolutè dictum, & à sufficiente condistinctū, semper est in actu sec. in alio verò sensu, vtilis erit, vt mox dicam: quòd autē aliquod detur auxilium efficax talem habens efficacitatem, in dicto cap. 1. præcedentis libri probatum est, quod hic repetere non est necessarium. Vt autem varias & grauissimas difficultates, quæ in hoc *auxilio* explicando occurrunt, quid nimirum sit, quomodo detur, & cum libertate arbitrij in concordiam redigatur, & similes, distinctius tractemus, operæ pretium erit alias diuisiones huius auxilij in hoc capite præmittere, quæ non paruam lucem afferent, nam occasionem præbebunt ad explicandos terminos, quibus in sequentibus vtendum nobis est.

2. Diuisio auxilij efficacis in excitans, & adiuuans.

Secundò ergo diuiditur auxilium efficax in excitans & adiuuans: non tamen omnes hanc diuisionem admittunt, putant enim non dari auxilium excitans quod intra gradū & latitudinem excitantis efficax sit. Nos autem contrarium de *excitante* ostendemus in cap. 5. & ideo nunc de hac diuisione sub his terminis nihil amplius dicemus; sub aliis verò terminis vniuersalioribus facilius recipietur diuisio, nimirum vt auxilium efficax quoddam sit concomitans, & aliud præueniens, quam diuisionem sub his terminis tradit Ledesma tract. de Auxil. quæst. 1. in principio, notabil. vlt. dicitque esse communem eorum auctorum, qui physicam prædeterminationem defendunt, & licèt in fine prohibeat in toto illo tractatu explicare, an diuisio sit bona, id planè intelligit ex parte membri posterioris de Auxilio præueniente; sed ex ea etiam parte nos de diuisione non dubitamus, licèt de illo auxilio præueniente quale sit, inter nos sit controuersia. Quod adeò constanter asserui lib. 3. de Auxiliis cap. 3. vt in fine illius capitis dixerim, auxilium concomitans non propriè dici efficax, quia non tam est effectiuum, quàm ipsa effectio: sed quid-

Alia diuisio in concomitans, & præueniens. Ledesma.

quid sit de illa rigorosa proprietate, certum est eo modo, quo illud est auxilium, & semper ac infallibiliter habet effectum coniunctum, esse auxilium efficax iuxta descriptionem auxilij efficacis in principio positam, quam etiam dictus auctor supponit. De alio verò membro auxilij præuij efficacis id satis probauimus in dicto capite primo præcedentis libri. Inter hæc autem duo auxilia præueniens antecedit actionem voluntatis saltem ordine naturæ, & vt aliquale principium eius, & proinde est in re aliquo modo ab ipsa distinctum: concomitans verò pro vt à præueniente distinguitur, non est aliquid in re distinctum ab actione voluntatis, sed in ipsa imbibitur; vnde non est principium eius sed est ipse concursus, vel influxus actualis gratiæ imbibitus in ipso. Atque hinc fit, vt notior multo sit efficacia auxilij concomitantis, quàm præuenientis, quia concomitans physicè connectitur cum actu voluntatis, tanquam via cum termino, à quo est physicè inseparabilis, etiam de absoluta Dei potentia, & ideo tale auxilium rectè dicitur efficax in actu secundo. Auxilium autem præueniens comparatur ad actum voluntatis tamquam causa ad effectum, vel vt principium ad actionem, cum qua infallibiliter connectitur: nam hoc habere debet, vt sit efficax, & ideo hæc efficacitas rectè potest vocari in actu primo, non quia separetur in re à secundo, sed quia, pro vt natura & ordine causalitatis antecedit, in ipso actu primo inuenitur: Et ideo hoc auxilium efficax præueniens *prædeterminans* solet à multis appellari, quia efficaciter determinat voluntatem liberam ad consensum. De hoc ergo auxilio præuio efficaci, seu in actu primo est præcipua controuersia: nam, vt dixi, in altero auxilio concomitante aliqua efficacia proportionalis vtique concomitans non est, vt dixi, & facilem habet concordiam cum libero arbitrio, quia non includit suppositionem antecedentem, sed subsequentem: nihilominus tamen etiam in illo habet peculiarem difficultatem, an possit habere rationem prædeterminantis auxilij, & ideo de duplici prædeterminatione in actu primo, & in actu secundo, seu per auxilium præueniens, vel concomitans nobis disputandum erit.

3. Alia in simultaneũ, & precedẽs seu prius.

Tertiò diuidi potest auxilium efficax in simultaneum, & præcedens, seu prius. quę quidem diuisio cum præcedenti in re conuertitur, nam auxilium concomitans simultaneum est, præuium verò, seu præueniens auxilium est prius, seu præcedens. Per has ergo posteriores voces insinuantur singulæ proprietates vtriusque membri præcedentis diuisionis, & ad illas, vocesque ipsas explicandas hanc diuisionem addimus. In qua primum aduertimus, cùm termini illi *simultanei*, vel *priorus*, sint relatiui, comparari posse, vel ad terminum, seu effectum, qui per talia auxilia fit, vel ad influxum libri arbitrij comparatum cum auxilio Dei. Non sunt ergo accipienda illa membra per comparationem ad terminum, vel effectum auxilij, sed per comparationem ad influxum liberi arbitrij. Nam respectu termini, seu effectus vtrumq; auxilium tam concomitans, quàm præueniens est simul tempore, quia ille effectus in momento fit, & de ratione auxilij efficacis est, vt ab illo non separetur, sed eum infallibiliter inducat, vt supponimus. Vtrumque item auxilium est prius natura ipso effectu, vnum tamquam actio suo termino, aliud tamquam causa suo effectu. Comparantur ergo ad influxum liberi arbitrij, vnde etiam necesse est, vt secundùm naturæ ordinem, & non induratione sola comparentur. Nam quo ad tempus omne auxilium efficax vt efficax est simul tempore cum cooperatione liberi arbitrij, quia de concomitante, id est per se manifestum, cùm sit concursus ad ipsummet actum liberi arbitrij: de præueniente autem patet ex ratione proximè facta, quia auxilium efficax etiam præueniens est infallibiliter coniunctum cum suo effectu; sed ille effectus non fit sine cooperatione nostra, vt supponimus; ergo sicut illud auxilium est simul tempore cum suo effectu, ita etiam cum voluntatis influxu: igitur diuisio, intelligitur secundùm ordinem naturæ. Nam auxilium efficax *simultaneum*, dicitur illud quod est prius natura, & in hoc sensu loquantur necesse est Scriptores moderni, qui iam nobiscum admittunt auxilium simultaneum, & in hoc illud distinguunt à præuio, quod dicunt esse prius. Nam cùm hoc secundum non potuerint intelligere de prioritate temporis, sed naturæ, (vt ipsimet declarant, quia aliàs destruerent efficaciam talis auxilij,) necesse est vt illud primum intelligant etiam de simultate naturæ. Ratio autem clara est, quia auxilium concomitans, & influxus liberi arbitrij, non comparantur inter se tanquam causa & effectus, nec distinguuntur in re ipsa, sed tantùm ratione, & ideo dictum naturæ ordinem inter se non habent; auxilium autem præuium est causa liberæ nostræ cooperationis, & ideo est prius naturâ, quàm illa.

Vnde obiter intelligitur comparando inter se hęc duo auxilia comitans & pręuium, seu simultaneum & præcedens, simul tempore esse, præuium tamen esse prius naturâ, quàm concomitans. Primum patet, quia auxilium præuium est simul tempore cum nostra cooperatione, vt probatum est: sed auxilium comitans est etiam simul tempore cum nostra cooperatione: ergo de primo ad vltimum etiam illa duo auxilia sunt simul tempore inter se. Secundum item probatur, tum quia prævium auxilium est prius natura quàm nostra cooperatio, vt dictum est; ergo etiam prius quàm auxilium comitans. Probatur consequentia, tum auxilium concomitans & nostra cooperatio sunt simul natura: tum quia auxilium pręuium comparatur ad comitans tanquam principium ad actionem: nam actualis influxus gratiæ manat à principio gratiæ tanquam actio eius, sed principium esse prius naturâ sua actione, per se patet; ergo auxilium prævium efficax & prius naturâ comitante. Ex quo etiam intelligitur hæc duo auxilia non dici efficacia, quia aliquod earum solum & per se spectatum satis sit ad inducendum effectum, sed quia vnumquodque earum est efficax in suo ordine, & non separatur ab effectu, quamuis necesse sit ambo coniungi, quia nec principium agit sine actu, neque actio esse potest nisi à principio, & ita vt actus nostræ voluntatis fiat, necesse est vt ab aliquo principio gratiæ efficaci, & per actualem, ac proinde efficacem influxum fiat.

Quartò potest iuxta dicta diuidi auxilium efficax ex parte termini proximi, propter quem datur; nam quoddam est proximè efficax respectu motus excitantis gratiæ, aliud est efficax respectu priorum actuum humanorum gratiæ cooperantis. De hoc posteriori membro propriè intelligitur doctrina de gratia efficaci ab Augustino tradita, & à quibus Theologis ventilata, & in eodem sensu proprio de illo agimus in toto hoc libro: tamen quia membrum etiam primum in bono sensu verum est, ideo breuiter est explicandum. Diximus enim in libro tertio motus gratiæ excitantis supernaturales esse, & fieri effectiuè à nostris potentiis. Hinc ergo apertè sequitur indigere nostras potentias auxilio supernaturali gratiæ ad illos actus efficiendos, quia nihil supernaturale possunt nostræ potentiæ facere suis viribus naturalibus cum solo concursu naturali, quod est per se notum si termini intelligantur. Et æquè procedit, sive actus

actus liberè, siue necessariò fiant, quia supernaturale auxilium non tantùm requiritur propter libertatem, sed maximè propter supernaturalitatem actus. Ergo licèt motus gratiæ excitantis sint necessarij ad efficiendos illos, est nobis necessarium auxilium supernaturale: illud autem auxilium respectu talis motus efficax est, quia numquam separatur à tali actu, quod tantùm diximus esse de ratione auxilij efficacis, suppositâ generi-cà ratione auxilij. Assumptum probatur, quia vel talis motus in nobis fit, vel non fit: si non fit, nullum auxilium ad illum efficiendum nobis datur, quia motus auxilij excitantis ex genere suo est primum gratiæ supernaturalis donum, vt lib. 3. vidimus. Si verò fit in nobis talis motus, à nobis etiam saltem ex necessitate operantibus fit; ergo auxilium quod tunc nobis datur, non separatur à suo effectu. imò hæc efficacitas faciliùs intelligitur in auxilio ad hos actus, quia cùm illi non sint liberi, optimè habere possunt causam ita efficacem, vt illi resisti non possit quoad tales motus, ac subinde potest esse efficax physicè, & cùm absoluta necessitate, quia non efficax actus liberi, sed necessarij.

5. Infertur auxilium sufficiens ad vnum actum esse efficax respectu alterius.

Ex hac doctrina inferunt aliqui, auxilium sufficiens ad vnum actum supernaturalem, semper esse efficax respectu alterius. Ita tenet Medina 1. 2. quæstio. 109. art. 10. in vltimis dubitationibus ad 1. sequitur Aluar. disputat. 87. numer. 12. & tota disputat. 80. Ratio in summa est, quia auxilium sufficiens est actuale; sed auxilium actuale non est in nobis sine actuali operatione: ergo semper est efficax ad aliquam operationem, saltem imperfectam, licèt respectu alterius perfectæ sit tantùm sufficiens. Confirmatur, quia auxilium sufficiens est excitans, sed excitatio hæc fieri non potest sine actu vitali; ergo. Veruntamen hæc sententia dupliciter potest intelligi, primò de gratia efficaci tantùm ad actum necessarium ipsiusmet gratiæ excitantis, & sic procedit ratio facta, & est res clara. Secundò intelligi potest de alio effectu, qui & sit actus distinctus à motu gratiæ excitantis, & sit etiam actus liber, & tunc posteriorem sensum insinuant dicti auctores, tùm in exemplo attritionis quod inter alia ponunt, dicuntque auxilium quod ad illam datur respectu illius esse efficax, ad contritionem verò esse sufficiens: attritio autem actus liber est, cùm sit dispositio de se remota, vt cum Sacramento possit esse proxima ad gratiam, tum ex testimonio Isaiæ. 55. in quo fundatur, *Verbum meum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui.* Ex quibus verbis colligi voluit vocationem internam, qua Deus alloquitur, animam vacuam non esse, aut fine fructu, sed semper habere in homine aliquem effectum, licèt non semper habeat vltimum, quem Deus intendit, respectu cuius sæpe est sufficiens, & non efficax. Sentiunt ergo vocationem internam semper habere aliquem effectum ab ipsa distinctum, qui sit aliquis spiritualis fructus, qui non potest esse nisi aliquis supernaturalis actus liber, quia in huiusmodi actibus fructus spiritualis consistit, & nullus videtur esse alius proprius effectus gratiæ excitantis.

Isa. 55.

6.

Veruntamen in hoc sensu necessarium non est omnem gratiam sufficientem esse efficacem quoad aliquem actum, vel effectum ab ipsa distinctum. Probatur primò ex Scriptura, secunda Corinth. sexto *Exhortamur vos in vacuum gratiam Dei recipiatis*, quæ exhortatio supponit posse gratiam Dei ex se sufficientem ex parte hominis vacuam reddi: vnde 1. Corinth. decimo quinto de se ait idem Apostolus, *Gratia eius in me vacua non fuit*, & Prouerb. 1. absolutè dicitur, *Vocaui, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationem meam neglexistis.* quæ verba apertè significant posse hominem à Deo vocatum interiùs, omnino excitationem abiicere, ita vt nullum, vel minimum effectum in illo habeat, præter ipsam excitationem, quæ à vocatione non distinguitur; ratio autem est, quia vocatio interior, etiamsi sit proximè sufficiens ad aliquem actum, non imponit necessitatem, nec determinat voluntatem ad illum, vt infrà videbimus: potest ergo voluntas (vt Concilium Tridentinum docet,) pro innata libertate illam abiicere, vtique omnino, & in nullo illi consentiendo, quia eadem ratio est de toto effectu libero, siue perfecto, siue imperfecto: & confirmatur inductione: nam potest quis interiùs vocari ad fidem, & nullam voluntatem credendi liberam, vel perfectam, vel imperfectam habere, & vocari ad pœnitentiam, & non habere contritionem, nec attritionem, & sic de aliis. Neque hoc est contra efficaciam verbi diuini interni (etiamsi de illo demus intelligi testimonium Isaiæ, quod nunc expendere non est necesse,) quia Deus ipse vult permittere homini, vt sua libertate vtatur, eique omnino resistat, si velit.

1. Cor. 6.

1. Cor. 15.

Prouerb. 1.

7.

Fatemur tamen interdum fieri posse vt gratia efficax, ad vnum actum liberum dispositionem aliquo modo ad alium meliorem, sit gratia tantùm sufficiens ad illum meliorem: si tamen rectè consideretur, non est gratia sufficiens proximè, sed remotè, nam vocatio ad attritionem, etiamsi sit congrua, & efficax ad attritionem ipsam, non est proximè sufficiens ad contritionem, sed indiget homo attritus noua vocatione, & excitatione interna perfectiori ad contritionem: tamen quia per attritionem se disponit ad illam, eamque aliquo modo mereri potest, seu impetrare, ideo vocatio congrua ad attritionem dici potest remotè sufficiens ad contritionem. Et hinc fieri potest vt vocatio, quæ postea datur ad contritionem, non sit congrua, seu efficax, quia hæc non semper impetratur per attritionem, sed est nouum beneficium Dei merè gratuitum, ideoque optimè potest vocatio efficax, ad attritionem esse tantùm remotè sufficiens ad contritionem, idemque est de similibus. Denique inter ipsos etiam motus gratiæ excitantis fieri potest, vt vnus excitet alium, vt fortis repræsentatio pœnarum inferni excitat timorem indeliberatum, & illustratio circa excellentiam gloriæ excitat motum desiderij, &c. & tunc auxilium proximè efficiens primum actum dici potest causa secundi, non proxima, sed remota in genere propriæ causæ efficientis physicè, tamen eo modo, quo est causa, semper est efficax, & non tantùm sufficiens, quia cùm isti motus non sint liberi, sed necessarij, nunquam illud auxilium est sine vtroque effectu, quia actus secundus ex primo naturaliter consequitur, absque deliberatione voluntatis, vt supponitur.

8. Diuiditur auxilium efficax in

Quintò diuidi potest auxilium efficax in physicè, & moraliter efficax. Duobus autem modis possunt hæc verba *physicè & moraliter* in præsenti accipi & applicari, scilicet, vel vt significant diuersos modos causandi, quia suprà in auxiliis gratiæ respectu liberi consensus distinximus; vel vt significare possunt connexionem gratiæ efficacis cum libero eius effectu, quæ interdum potest esse moralis, interdum verò physica. Et vtroque modo possent in præsenti verba illa accipi: & iuxta illos duos sensus hæc partitio in duas potest subdiuidi, & in hoc priori quidem sensu hæc quinta diuisio datur, & potest in primis applicari ad habitus gratiæ. Nam de illis docent omnes absque opi-

nionum varietate, esse physica principia actuum gratiæ: nihilominus tamen omnes etiam fatentur, habitum non esse gratiam efficientem, sed tantùm de se sufficientem in suo genere, qui non habet semper & infalibiliter coniunctum actum, habitibus enim vtimur, cùm volumus. Solum lumen gloriæ posset dici gratia efficax, quia efficaciter & ineuitabiliter inducit visionem, & consequenter etiam habitus charitatis in patria eamdem efficacitatem inducit. Veruntamen illa efficacitas non est circa actus liberos, conseruando libertatem eorum, sed inducendo necessitatem, & ideo non pertinet ad efficaciam gratiæ, de qua res tractamus, sed dici potiùs debet efficacia gloriæ.

9. Nunc verò datur illa diuisio de auxilijs actualibus, de quibus agimus: nam inter hæc aliqua esse possunt, quæ licèt moraliter tantùm causent, efficacia nihilominus sunt, quia in illo suo causandi modo infallibilem habent connexionem cum effectu, & hoc modo, (iuxta infrà dicenda,) vocatur congrua, & in vniuersum auxilium excitans opportunum est auxilium efficax moraliter, quia eius causalitas solùm est moralis, vt lib. 3. ostensum est: auxilium autem adiuuans actuale, seu per modum influxus, est etiam efficax, quia nunquam separatur à suo termino, & est physicum, quia suo modo physicè inducit effectum, quę sunt clara iuxta principia auxilij excitantis & adiuuantis à nobis posita. Qui verò auxilio excitanti tribuunt causalitatem physicam in consensum, dicere consequenter possunt, illud esse interdũ efficax in dicto sensu, id est, causando physicè, non excludendo moralem causalitatem, quia iuxta illam sententiam vtraque conuenit auxilio excitanti. Et ita iuxta eamdem sententiam non oportebit membra hæc distingui semper realiter, sed tantùm formali ratione, seu consideratione, eodèmque modo poterunt etiam gratiæ actualiter adiuuanti applicari. Alij verò qui non ponunt auxilium efficax in motibus gratiæ excitantis, seu vocantis, neque in aliquo actu vitali nostro, sed in sola motione præuia à Deo indita, fortè non admittent diuisionem hanc in dicto sensu, quia motionem illam non moraliter, sed physicè agentem inducunt, & sine illa aliam propriam efficacem gratiam non admittunt, quæ præueniens sit. Nam de concomitante, vt dixi, non controuertitur, præterquam quòd illa eo modo quo causat efficaciter, & distinguitur ab excitante, & physicè inducit effectum, vt dictum est. Veruntamen de hac opinione, & eius fundamento in discursu huius libri tractandum est.

10. Diuisio sexta. Sexta igitur diuisio addi potest iuxta alium sensum prædictorum verborum. Auxilium enim gratiæ tũc dicitur efficax, vt suprà dixi, quando habet effectum liberi consensus infallibiliter coniunctũ. Hæc ergo coniunctio dupliciter potest esse infallibilis, nimirũ physicè, & moraliter. Physicam nunc voco coniunctionem, seu infallibilem consecutionẽ effectus, quoties adeò necessaria est, vt omnino repugnet, & contradictionem implicet à tali auxilio effectum separari, siue illa connexio fundetur in præuia causalitate physica, siue in morali congrua, siue in concomitante auxilio, & siue illa infallibilis consecutio sit ex natura rei, siue ex aliqua suppositione. Et hæc etiam dici potest efficacia simpliciter, id est, quæ nunquam deficit, nec deficere potest. Talem autem gratiam efficacem esse posibilem, ex dictis in capite primo libri præcedentis supponimus: qualis autem sit, & vnde oriatur illa connexio, in discursu huius libri videndum est. Moralem autem connexionem appello, quando ex circumstantijs, vel aliis causis accurrentibus semper sequitur talis effectus, quamuis consecutio talis, ac tanta non sit, vt ex aliquo intrinseco principio repugnet effectum non sequi. Sic enim tentatio vehemens in natura lapsa & carente speciali Dei auxilio potest dici moraliter efficax ad trahendum hominem in prauum consensum: ergo multo magis potest auxilium gratiæ esse moraliter efficax ad bonum consensum in nobis efficiendum. Vnde hæc moralis efficacitas comparata ad priorem, dici potest minor, & quodammodo secundùm quid: ideòque in hoc genere efficacia moralis possunt esse gradus ad eum modum, quo in victoria grauis tentationis, vel obseruatione omnium præceptorum suprà lib. 1. id explicuimus. Nam interdum dici potest auxilium moraliter efficax; quia vt in plurimum ac ferè semper effectum inducit, licèt interdum deficiat, sicut dicitur morale periculum, in quo frequenter caditur, licèt non semper accidat. Aliter verò cogitari potest auxilium efficax, quòd nunquam omnino priuatur effectu, licèt possit, quia nullam intrinsecam repugnantiam inuoluit. Non videtur enim dubium, quin appellatio auxilij efficacis omnem hanc amplitudinem & varietatem admittat. An verò omnes hi modi auxilij efficacis in re ipsa dentur, in discursu huius libri tractandum est.

Septimò diuidi potest efficax auxilium in illud quod de se & ex intrinseca ac sola sua virtute est efficax, & illud, quod tantùm in præscientia Dei est efficax, & sub illo respectu confertur: solet autem hæc diuisio propriè dari de auxilio efficaci præuio. Nam, vt dixi, in auxilio merè comitante non habet difficultatem efficacia, quia in illo virtute inuolvitur cooperatio liberi arbitrij. Vnde cùm tale auxilium comitans sit, ipsemet influxus actualis Dei in ipsum opus liberum, de se & intrinsecè habet vt sit efficax, quia per se habet, vt non separetur à termino, non tamen propriè dicitur sola sua virtute esse efficax, nisi dictio *sola*, non excludat concomitantia, quia tale auxilium sine cooperatione liberi arbitrij efficax esse non potest, cum sine illo neque esse possit: vnde etiam fit, vt secundum membrum diuisionis huic auxilio, prout in re ipsa dato, non rectè accommodetur, quia nunquam potest esse efficax in sola præscientia, cum eo ipso quod datur, necessariò efficax sit. dixi *in re ipsa dato*, quia si vt oblatum tantùm consideretur, de se tantùm est sufficiens, in præscientia potest esse efficax, vt postea videbimus.

Propriè verò data dicta distinctio de auxilio præueniente, quod à solo Deo sit in nobis sine nobis quam partitionem nunc præmittimus, non ad probandam, vel reprobandam illam, hoc enim est ferè totum præsentis libri opus, sed ad terminos explicandos, quibus necessariò vsuri sumus. Illud ergo auxilium dicitur de se efficax, quod positum in voluntate virtute sua facit illam consentire, determinando vtique illam ad consensum, ita vt intrinsecè repugnet naturæ talis auxilij esse in voluntate, & non sequi statim eiusdem voluntatis consensum, non ratione alicuius præscientiæ, vel alterius suppositionis, quæ liberum vsum voluntatis humanæ inuoluat, sed ex connaturali modo agendi, & mouendi talis auxilij. Et ad explicandum hunc modum agendi & mouendi voluntatem, solet hoc auxilium vocari prædeterminatio physica, quam vocem infrà cap. 6. ex professo declarabimus. Auxilium autem præueniens efficax tantum in præscientia dicitur illud quod positum in voluntate non habet vim ita determinandi illam ad vnum, vt absolutè repugnet, posita illa motione, non sequi consensum. Fit autem tale auxilium efficax, quando in re habiturum est effectum, &

Deus

Deus id præsciens ea intentione dat tale auxilium vt infallibiliter talem effectum simul conferat. Tunc enim tale auxilium & in re ipsa efficax futurum est, quia non separabitur ab effectu, & datur vt efficax, quia sub illa habitudine & intentione tribuitur; non videtur ergo dubium, quin vterque istorum modorum ad denominationem vt veritatem auxilij efficacis sufficiat. An verò vterque sit possibilis, vel sufficiens ad efficaciam auxiliorum gratiæ explicandam, vel ad saluandam ex vna parte perfectam Dei prouidentiam & prædestinationem, & ex alia humanam libertatem in operibus gratiæ, hæc sunt à nobis in discursu huius libri declaranda.

CAPVT II.

Vtrùm auxilium efficax sit, ad singulos actus pietatis necessarium; vel solum ad aliquos, vel aliquam eorum multitudinem.

HÆc quæstio non habet locum in auxilio efficaci purè comitante, quia de illo certissimum est esse necessarium ad singulos actus, quia est ipse actualis influxus Dei in actum, sine quo impossibile est non fieri, quia est ipsa via, seu actio vt est à Deo: vnde si actus sit supernaturalis, necesse est talem influxum esse auxilium efficax gratiæ: est ergo necessarium ad singulos actus pietatis. Et de hoc aliqui exponunt Augustinum libro de correptione & gratia capite vndecimo cùm dicit, dari nobis quoddam auxilium, quo voluntati non tantùm datur vt possit, si velit, sed etiam datur ipsum velle. Sed licèt hoc verè dicatur de hoc auxilio, non hoc tantùm intendit Augustinus, vt lib. præcedenti cap. 1. ostendimus.

1. Quæstio de auxilio efficaci præcedente.

Quæstio ergo est de auxilio efficaci præveniente, quo Deus facit vt velimus, vel faciamus, iuxta modum loquendi Augustini lib. de grat. & libero arbitr. capite decimosexto & decimoseptimo, & sæpe alias, fundatum in Scriptura, & sæpe vidimus, & dicemus iterum in cap. 4. & in hoc sensu de auxilio efficaci tractabimus, ne declarationem hanc sæpius repetere necessarium sit.

2. Respondetur.

Dixerunt ergo aliqui hoc auxilium efficax non esse necessarium, nec dari ad singulos actus supernaturales, sed ad duos tantùm effectus, scilicet, vel ad diuturnam perseuerantiam in gratia, vel ad finalem pœnitentiam, quæ hominem in statu gratiæ mori faciat. quam sententiam ex mente Aug. defendit modernus ille, qui controuersiam hanc de auxilio efficaci componere voluit, & in eum finem libellum scripsit, in quo negat diuisionem auxilii in sufficiens & efficax, vt suprà c. 1. l. 3. retuli. Ille enim non videtur negasse possibilitatem auxilij efficacis, ne omnino Augustinum negare videretur. Negauit ergo necessitatem auxilij efficacis ad singulos actus, illamque ad illos duos effectus restrinxit, quia illos tantùm de Augustini mente esse credidit. quod potest suaderi primò ex eodem Augustino de corrept. & grat. cap. 11. & 12. vbi hanc differentiam constituit inter hominem lapsum, & Adamum in statu innocentiæ, quòd huic datum est auxilium, quo posset perseuerare si vellet, non verò quo perseueraret: nunc autem datur hominibus lapsis, & electis, non solùm vt possint, sed etiam vt perseuerẽt. Et hoc auxilium significat in hoc statu esse maximè necessarium propter difficultatem bene operandi in illo contractam ex peccato originali. Hinc ergo colligi videtur, hanc necessitatem

Argum. 1.

talis auxilij efficacis propriam & peculiarem esse ad perseuerandum, quia in illo cernitur specialis difficultas quæ in singulis actibus non inuenitur. Secundò inde sequitur, adæquatam rationem ponendi hoc auxilium esse infirmitatem hominis, & alios defectus contractos ex peccato originali, nam inde oritur difficultas perseuerandi. Tertiò argumentatur, quia secundùm Augustinum auxilium efficax solis prædestinatis datur; ergo tantùm datur ad illos effectus, qui sunt proprij prædestinatorum: hi autem sunt perseuerantia in gratia, & pœnitentia finalis; ergo ad hos tantùm effectus est necessarium hoc auxilium. Illatio est euidens. Assumptum autem videtur planè doceri ab Augustino dicto loco de corrept. & grat. cap. 7. vsque ad 12. & dicta quæstione secunda ad Simplic. & de prædest. Sanct. capite octauo & decimo sexto de bon. perseu. cap. 8. & 14. lib. de Grat. Christi. cap. 22. & lib. 1. contra duas Epist. Pelagianor. cap. 9. & 20. His enim locis ait auxilium efficax esse illud, quod datur secundùm propositum miserentis Dei, & his dari qui sunt electi, & à massa perditionis discreti, & similia, quibus significat, illud propositum ex quo datur auxilium efficax, non esse nisi efficacem electionem ad gloriam, quæ est propria prædestinatorum, ac proinde auxilium efficax esse proprium illorum. Quartò possumus argumentari, quia si auxilium efficax esset ad singulos actus necessarium, tot multiplicanda essent auxilia efficacia, quot essent actus supernaturales specie distincti, quia principia distinguuntur per actus: & auxilium efficax datur, vt principium sui actus. Consequens autem videtur absurdum; quid enim necesse est tot multiplicare auxiliorum species.

Argum. 2.

Argum. 3.

Argum. 4.

3. Contrariũ

Nihilominus contraria sententia tamquam omnino vera tenenda est, ac dicendum gratiam efficacem dari, & requiri ad omnes & singulos actus supernaturales, qui ab hominibus fiunt. Probatur primò ex sententia Augustini, qui simul adducit & interpretatur Scripturas, ex quibus hæc veritas colligitur. Primò igitur Augustinus loquens in particulari de fide actu, vel de actu dilectionis, aut pœnitentiæ, dicit, non fieri à nobis *sine interna & secreta, vel alta & occulta vocatione Dei.* quibus verbis solet ipse gratiam efficacem significare. Est autem eadem ratio de his & cæteris actibus; ergo ad omnes & singulos necessaria est. Maior constabit facilè legenti epistolas centesimam quintã, centesimã sextã, & centesimã septimã Augustini, & quæstionem 2. ad Simplic. sæpe citatam, & quæstionem 68. in lib. 83. quæstionum. Secundò quod Christus dixit Ioann. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* vbi Augustinus interpretatur de tractu per gratiam efficacem, & tamen illud non intelligitur de sola perseuerantia, sed etiam de tractu ad fidem, vel ad pœnitentiam: vtrumque constat ex eodem Augustino super eumdem locum, & quinto contra Iulian. capite quinto, & de prædest. Sanct. cap. 8. & 11. Et idem habet Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 8. & 14. vbi eodem modo exponit illas locutiones Scripturæ, *faciam vt faciatis*, &c. Ezechiel. trigesimo sexto, vbi non tantùm dicitur, *faciam vt perseueretis*, & ad idem facit quod Paulus ait, *Deum operari in nobis velle.* Volumus enim quoties sanctè operamur, & non tantùm cùm perseueramus. Tertiò idem gratiæ efficaci tribuit Aug. quòd præparat voluntatem hominis ad bene operandum, quæ præparatio in singulis actibus est necessaria, iuxta illud, *Præparatur voluntas à Domino*, quod ita exponit Concil. Arausicanum can. 4. Assumptum constat ex Augustino in locis citatis, & primo Retract. capite vigesimo tertio & vigesimo quarto, & lib. de grat. & lib. arbitr. cap. 16. & 20. Et tandem in

Probatur 1. ex Augusti.

Ex Scriptura. Ioan. 6.

Augusti.

Fulgen.

Ezech. 36.

Philipp. 2.

Concil. Arausi. Augusti.

idem redit, quod alijs locis ait, Deum per hanc gratiam ita mouere sensum, vt accommodet assensum, vt ex iisdem locis constare potest, & libro 2. contra duas Epist. Pelagianor. cap. 9. Quòd autem homo accommodet assensum ad singulos actus, necessarium est; ergo gratia efficax, iuxta mentem Augustini in Scripturâ fundatam, ad singulos actus necessaria est. Quod etiam confirmat sententia illa Augustini posita in Concilio Arausicano cap. 20. *Multa sunt in homine bona, quæ non facit homo; nullum verò bonum facit homo, quod non præstet Deus vt faciat homo*, per gratiam enim efficacem hoc præstat Deus, vt ex alijs locis ostensum est.

Cratia efficax ad singulos actus necessaria est.

4. Ostenditur ratione. *Conc. Trid.*

Secundò simpliciter ostenditur ratione, quia quoties homo operatur aliquem actum supernaturalem, supponitur in illo gratia præueniens data ad illum effectum, vt constat ex Tridentino sess. 6. can. 3. & 4. sed talis gratia consequitur effectum in eo, qui operatur; ergo est gratia efficax; ergo repugnat operari quemcumque huiusmodi actum in particulari, quin à gratia efficaci procedat. quæ ratio generaliter procedit in singulis. Sed responderi potest inde solum probari, esse necessariam gratiâ efficacem concomitantem, à qua velut extrinsecè auxilium præueniens denominatur efficax, quod alij non negabunt: sed contra hoc obstant dicta in cap. 1. huius & præcedentis libri, vbi ostendimus gratiam efficacem esse etiam præuenientem. Et in præsenti probari potest in omni sententia, vel modo explicandi huiusmodi gratiam, non enim potest vna, & eadem ratio reddi in omni opinione. Qui ergo constituunt efficaciam gratiæ in prædeterminatione physica, requirunt illam propter concursum causæ primæ cum secunda, vel propter indifferentiam voluntatis, vel propter excellentiam actuum supernaturalium: omnes autem hæ rationes habent locum in omnibus & singulis actibus pietatis; ergo iuxta illam sententiam, necessariò dicendum est huiusmodi gratiam efficacem esse necessariam ad omnes & singulos actus, & ita fatentur consequenter auctores illius sententiæ.

5. Instantia.

At verò si gratia efficax in vocatione congrua constituatur, etiam inuenietur necessaria ad actus singulos, quamuis ex diuerso principio & fundamento; præcipuè enim fundanda est hæc necessitas in modo operandi Dei, & in magna perfectione prouidentiæ eius, præsertim in his supernaturalibus, & quæ ad salutem hominum spectant. Nam in primis Deus confert singulis hominibus ad singulos actus auxilia necessaria, vel conuenientia cum certa præscientia futurorum saltem sub conditione; ergo quando alicui dat vocationem, cum qua in tempore operatur, iam ipse Deus præuiderat, fuisse cum illa operaturum, si ei daretur: ergo præcognouit talem vocationem fore congruam, & vt talem illam dare voluit; sed hæc ratio in omnibus & singulis actibus inuenitur; ergo & vocationis efficacis necessitas. Respondeo esse magnam differentiam, quia incongruitas habet rationem mali, & ideo Deus non vult illam, sed permittit. Congruitas verò habet rationem boni, quod Deus vult & intendit, & ideo ipsa gratia congrua vt efficax est, datur ex intentione Dei: hoc autem modo datur ad omnes & singulos actus; ergo: vnde tandem confirmatur, nam Deus iuxta probabiliorem sententiam prædefinit omnes & singulos actus supernaturales; ergo vt infallibiliter illa prædefinitio habeat effectum, necessaria est gratia ad singulos actus.

Respondetur.

6. Concluditur.

Ex ijs ergo satis constat, gratiam efficacem non dari tantùm ad perseuerandum, & finalem pœnitentiam agendam, sed etiam ad omnes illos effectus, qui per actus supernaturales fiunt, vt confiteri fidem, quando oportet, vel implere aliquod supernaturale præceptum in quacumque definita occasione, vel etiam aggredi opus consilij, & similia: quia ostensum est ad singulos actus supernaturales esse necessarium auxilium efficax; ergo est etiam necessarium ad perficiendos effectus, qui sine talibus actibus fieri non possunt. Imò quotiescumque actus, vel effectus ordinis naturalis fieri non potest sine gratia, vt vincere prauam tentationem, vel amare super omnia Deum auctorem naturæ, &c. vt talis effectus, vel actus in esse prodeat, necessarium est auxilium efficax talis ordinis: nam rationes æquè procedunt.

Accedit tandem quòd sine vllo fundamento timuit ille auctor admittere necessitatem auxilij efficacis ad singulos actus magis, quàm ad perseuerandum. Quia si auctoritate Augustini motus efficaciam auxiliorum gratiæ in dono perseuerantiæ recognouit, sententia Augustini eadem est de singulis actibus, vt vidimus. Nec in illo de correp. & grat. contrarium dixit. nam licèt de perseuerantia ibi tractet, alia non excludit, imò indefinitè de vincenda tentatione & vitando peccato loquitur: si autem ille auctor timuit, ne tam ampla gratiæ efficacis necessitas libertati repugnaret, & sine causâ timuit, vt infrà videbimus, & inconstanter timuit nam idem de perseuerantia timere debuisset, quia etiam perseuerantia per actiones liberas fit, nec auxilium ad perseuerandum datur, nisi quatenus ad plures actus liberos succesiuè tribuitur. At demque finalis pœnitentia per vnum singularem actum interdum completur, quem liberè facere necessarium est, vt constat, ergo immeritò talis discretio, seu limitatio. Reliqua verò quæ in fundamentis illius sententiæ attingebantur, sequenti capite expedientur.

CAPVT III.

Vtrùm auxilium efficax in omni statu, & in omnibus personis sit ad salutem, & ad omnes pietatis actus necessarium.

IN hoc capite breuiter nonnulla dubia explicanda sunt, quæ in fundamentis prioris opinionis in præcedenti capite impugnatæ postulantur. Est autem extra controuersiam auxilium efficax, maximè necessarium esse hominibus lapsis, eisq; inisse à Deo præparatum ab æterno, & in tempore dari, iuxta mentem Augustini dicto lib. de corrept. & grat. cap. 11. & de bon. perseu. cap. 14. ideoque de hoc puncto non disputamus. Sed primum dubium est, an efficax auxilium sit proprium prædestinatorum, vel etiam reprobis detur. quod enim solis prædestinatis detur, videntur probare testimonia Augustini in principio capitis præcedentis abducta: & potest confirmari, quia auxilium efficax datur ex absoluta prædefinitione diuina illius effectus, propter quam datur, sed Deus non absolutè prædefinit actus reproborum; sed tantùm prædestinatorum, iuxta illud Rom. 8. *Quos præscitit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, &c. & quos prædestinauit, hos & vocauit.* vtique vocatione ex proposito, vt exponit Augustinus, id est, efficaci; ergo reprobis non dantur auxilia efficacia saltem præuia, sed ad summum concomitantia, quæ ipsorum libertatem cooperationem intrinsecè includunt.

Dubium.

Nihilominus dicendum est, verum & proprium auxilium efficax præueniens, quo Deus facit, vt homo faciat, non solùm prædestinatis, sed etiam reprobis dari. Probatur ex dictis capite præcedenti: nam efficax auxilium non tantùm datur ad perseuerandum in gratia, sed etiam ad consequendam gratiam, per propriam & supernaturalem dispositionem, sed reprobi interdum ita vocantur, vt cum effectu iustificen-

stificentur,& credant,diligant,& pœniteant, sicut oportet; ergo recipiunt auxilium efficax, vt ita faciant. Nam quòd tale auxilium non solùm faciat cum illis, sed etiam faciat illos facere, probatur apertè, quia testimonia Scripturæ, quibus probatur, verbi gratia, dari auxilium præuium efficax ad credendum, generaliter loquuntur de omnibus credentibus, siue reprobi sint, siue prædestinati, & sic de cæteris actibus. Assumptum patet ex verbis Christi. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* & illis, *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me*, vtique per fidem; illæ enim particulæ, *nemo*, & *omnis* nullum discrimen faciunt, vel permittunt inter prædestinatos,& reprobos, quo ad necessitatem trahentis gratiæ. Et simili modo ponderari possunt alia testimonia capite præcedente allegata,& generalia verba Concilij Arausicani c. 9. Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum,vt operemur, operatur. Cùm enim dicit *agimus*, non supponit fuisse prædestinatos,vel se tales reputasse, qui sic loquebantur. Ratio verò est,quia auxilium non est efficax ex vltimo effectu salutis æternæ,ad quem ordinatur,sed ex proximo propter quem datur: hic autem effectus in reprobis etiam inuenitur, vt constat,ergo.

Probatur ex Script.

Item. 6. Ibid.

Neque Augustinus huic veritati contrarius esse potuit, cùm vbique omnia pietatis opera tribuat efficacitati gratiæ,& Deo in nobis operanti siue ab electis,siue à non electis fiant. Igitur vbi loquitur de gratia speciali prædestinatorum, vel includit non tantùm vnum,vel aliud auxilium efficax, sed collectionem,vel seriem talium auxiliorum, *quibus certissimè liberantur quicumque liberantur*, vt ipse loquitur de don. perseu. cap. 14. vel per antonomasiam efficacem appellat vocationem electorum, quia ex proposito efficaci æternæ salutis illorum datur; sic enim lib. de prædest. Sanct. c. 16. dicit, *Voluit Deus prædestinatos multos filios suos, vt membra faciat prædestinati vnici filij sui, non ea vocatione, qua vocati sunt illi, qui noluerunt venire ad nuptias*, &c. infrà sic exponit Paulum 1 Corinth. 1. dicentem, *Ipsis vocatis Iudæis & gentibus prædicare se Christum*, &c. illud enim verbum, *vocatis*, intelligit de certâ *qualitate vocationis eorum, qui secundùm propositum vocati sunt, quos præscijt & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui*, de qua etiam intelligit illud Rom. 9. *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori. Ex vocante*, ait, *non quacumque vocatione, sed quæ vocatione fit credens.* In quo contextu videri potest docere Augustinus, omnem vocationem, qua aliquis fit credens, esse propriam prædestinatorum: sed hoc tam est absurdum, vt nec cogitari possit in mentem Augustini veniisse. Loquitur ergo de vocatione ad fidem viuam *fixam & stabilem*,& in fine capitis concludit, ita exponens alia verba Pauli Rom. 12. *sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.* intelligit ergo per antonomasiam dici vocationē ex proposito illam, quę virtute continet iustitiam perseuerantem, de qua rectè intelligitur illud Ro. 8. *quos prædestinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iustificauit; quos autem iustificauit, illos etiam glorificauit.* Nam hoc vltimū necesse est intelligi de solis iustificatis cū perseuerantia finali; ergo etiā vocatio sumēda est pro tali vocatione, quæ vel virtute, vel collectiuè protectionem singularem electorum includat. Hæc ergo sola vocatio, vel gratia efficax est propria prædestinatorum, & ita exposuit latè locum illum Augustinus de corrept. & grat. cap. 7.

Item.

Rom. cap. 2.

Rom. 8.

Aug.

4. Nihilominus tamen dantur aliæ vocationes vel ad fidem,vel ad pœnitentiam, quæ nec sunt communes omnibus reprobis, nec solis prædestinatis dantur, *multi enim*, ait Augustinus dicto lib. de Prædest. Sanct. cap. 6. *audiunt verbum veritatis, sed alij credunt, alij non credunt. Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi; quis hoc ignoret? quis hoc neget? sed cum aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino, discernendum est, quid veniat de misericordia eius, quid de iudicio.* Non ignorauit autem Augustinus, non omnes illos qui volunt credere esse prædestinatos, & tamen de omnibus illis ait, & præparari illis voluntatem per gratiam, vtique efficacem. Vnde in libro 2. contra duas Epist. Pelagianorum cap. 9. vniuersè de omnibus ait, *homo præparat cor, non tamen sine adiutorio Dei, qui tangit cor.* & inde concludit ibi illam sententiam in Concilio Arausicano receptam: *Multa Deus facit in homine bona quæ non facit homo.* vtique siue prædestinatus sit, siue reprobus. Ergo etiam præscitus quando credit, habet vocationem non tantùm, qua possit credere, sed qua fiat credens, licet non eo singulari modo, quo prædestinatus, & eadem ratio est de vocatione ad iustitiam, seu pœnitentiam & similes actus.

Item.

Cone. Arausi.

5. Ratio autem in contrarium facta falsum assumit quia probabilius est Deum prædefinire omnes actus supernaturales etiam reproborum. Et licèt demus non præfinire illos illo singulari modo, quo prædefinit actus prædestinatorum, vtique ex intentione efficaci saluandi illos, & vt tales actus istis cum effectu prosint ad æternam salutem: nihilominus certum est, ex certa præscientia dare illis talem vocationem, qua credant vel ament saltem ad tempus: & hoc satis est vt gratiam efficacem illis gratuitò conferat. Vnde nō displicet distinctio aliquorum dicentium, aliam esse prædestinationem perfectam,& simpliciter talem, quę est ad æternam gloriam, de qua loquitur Paulus ad Roman. 8. & aliis locis: aliam verò esse prædestinationem secundùm quid, scilicet ad iustitiam, vel ad fidem tēporalem, & sic gratiam efficacem semper dari ex aliqua prædestinatione istarum, seruatā proportione. Hoc enim videtur significasse Augustinus dicto c. 7. de corrept. & grat. in fine, dicens, eos, qui ita vocantur, vt interdum credant, vel iusti sint, licèt postea à fide, vel conuersatione Christiani hominis lapsuri sint, vt tales huius vitæ finis inueniat, eos (inquam) esse ex illis, de quibus dictum est, *Multi vocati pauci electi. Et tamen* (inquit) *quis negat eos electos, cùm credunt, & baptizantur, & secundùm Deum viuunt.* quia nimirum ad aliquid electi iam conspiciuntur. licèt incertum nobis sit, an sint simpliciter electi, vt in eo ad quod efficaciter vocati sunt, perseuerent, & ita gratia efficax semper datur ex aliqua prædestinatione saltem ad gratiam, vel fidem, aut simile donum, quod etiam sumi potest ex Augustino dicta q. 2. ad Simplician.

Prædestinatio alia perfecta, & simpliciter talis quæ est ad æternā gloriam: alia verò secundum quid. Aug.

6. Secundum dubium est, an efficax gratiæ auxilium pertineat solùm ad statum naturæ lapsæ, vel etiam in statu innocentiæ fuerit necessarium. Cui dubio solùm potest occasionem præbere locus Augustini præcedenti capite allegatus, ex lib. de corrept. & grat. cap. 11. vbi de primo homine dicit, tale adiutorium ei datum esse *quòd desereret cùm vellet, & in quo perseueraret, si vellet, non quo fieret, vt vellet.* Et subiungit adiutorium quod hominibus lapsis datur, in hoc esse maius & potentius, quod per illud efficitur vt homo velit. Et infrà significat, ideo tantam, tamque efficacem gratiam, non esse datam primo homini, quia tunc liberum arbitrium *ita liberum erat, vt & benè posset & malè*; nunc autem propter infirmitatem naturæ lapsæ necessarium esse auxilium quod hominem velle & perficere faciat.

Dubium 2.

7. Sed nihilominus sine vlla dubitatione dicendum est, etiam in statu innocentiæ fuisse necessarium auxilium efficax ad actus supernaturales efficiendos. Probatur, quia necessitas huius auxilij, nō est orta ex lapsu naturæ humanæ, nec ex defectu

Assertio.

Probatur.

virium

vnum bene operandum contracta, sed ex intrinseca perfectione supernaturalium actuũ, cuius signũ est, quia non tantùm ad actus difficiles ob grauem tentationem, nec solùm ad collectionem actuum, vel perseuerantiam, sed simpliciter ad singulos actus est necessarium hoc auxilium, vt ostendimus capite præcedenti. Suprà autem lib. 2. & 3. ostensum est, necessitatem gratiæ ad singulos actus non oriri ex originali peccato, sed ex perfectione & excellentia talium actuum; ergo simpliciter in præsenti necessitas auxilij efficacis, cùm sit ad singulos actus, non est orta ex peccato originali: ergo fuit etiam in statu innocentiæ, quia in illo voluntas hominis non minus erat de se indeterminata, & pendens à Deo, quàm modò sit, & Deus non minus præscibat, quæ vocatio futura esset homini congrua in illo statu, quam in isto. Et ita sentit apertè Augustinus lib. 8. Genes. ad liter. cap. 12. idemque significat in Enchirid. cap. 106. circa finem dicens. *Natura humana etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permanere, nullo modo seipsam creatore suo non adiuuante seruaret.* vbi de adiutorio efficaci loquitur, & libro de natur. & grat. cap. 48. contra Pelagium dicit, quòd etiam in natura sana & integra homo non peccaret, fuisset illi necessarium adiutorium Dei sicut lumen est necessarium oculis ad videndum.

Augus.

8. Neque in priori loco contrarium sensit: nam ibidem de gratia primi hominis ait, *tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum.* quibus verbis apertè significat habuisse Adamum gratiam efficacem ad illam bonam voluntatem, quam ante peccatum habuit. Quia verò in illa bona voluntate non perseuerauit, dicit, non accepisse gratiam, qua perseueraret, sed qua posset perseuerare si vellet, nam si priorem accepisset, perseuerasset, vt ibidem Augustinus subiungit. Vnde nunquam dicit Augustinus dari potuisse in illo statu perseuerantiam sine efficaci auxilio, sed solùm dicit de facto non fuisse datum tale auxilium, quia effectus eius datus non est, nunc verò dari multis, quæ duo certissima sunt. Insinuat autem Augustinus in eo loco in natura lapsa, esse necessarium peculiare donum perseuerantiæ, quod non ita erat in statu innocentiæ necessarium, propter corruptionem naturæ, quæ non omnino sanatur per gratiam habitualem, vt bene explicat D. Thomas quæst. 109. art. 9. in corpore, & art. 10. ad 3. & nos latiùs infrà tractando de perseuerantia, dicemus.

D. Thom.

9. Dubium 3. Tertium dubium simile præcedenti esse potest de Angelis, an ipsis etiam necessarium sit auxilium efficax gratiæ ad bene operandum. Eadem tamen est eius resolutio: nam Augustinus suprà eodem modo de Angelis & de homine integro loquitur, eodemque modo est exponendus. Nam omnino eadem est ratio, supponendo, vt sæpe dictum est, actus iustitiæ etiam respectu Angelicæ naturæ supernaturales esse: & ideo indigere gratiæ auxilio, quod tunc in eis est efficax, quando effectum habet, nam tunc etiam cum illis operatur, & eos facit bene operari. Quo modo dixit Augustinus lib. 12. de Ciuit. c. 9. Angelos, qui perseuerarunt, fuisse amplius adiutos. Atque ita de Angelis etiam sensit Fulgentius lib. 2. ad Thrasymun. cap. 2. vbi permanentiam sanctorum Angelorum in bono, tribuit singulari gratiæ Dei, *qui quos voluit, à casu prauitatis virtute sua defendit.* & c. 3. ait sicut solâ virtus diuina potuit hominem reparare, ita solam potuisse Angelum custodire. Idemque docuit Gregorius lib. 1. Reg. cap. 1. & Anselm. lib. 2. de casu Diabol. cap. 1. & sequentibus & Bernardus serm. 22. in Cantic. & indicat Basil. lib. de Spirit. Sanct. c. 16. Et quamuis hi Patres de perseuerantia loquantur, tamen

Augus.
Fulgent.
Greg.
Anselm.
Bernard.
Basil.

cùm in Angelis perseuerantia sicut & via, vno actu consummetur, eadem ratio de singulis actibus, quæ de tota perseuerantia existit. Est autem ratio suprà tacta, quia vel prædestinatio, vel præscientia, & prædefinitio gratiæ congruæ, non minus in Angelis, quàm in hominibus locum habet, vt per se omnibus clarum est.

Quartum dubium, quod in vltima ratione superiori capite proposita postulatur, est, an idem auxilium efficax ad omnes actus pietatis sufficiat, vel pro illorum varietate & distinctionem multiplicari, & specie distingui necessariũ sit: loquor autẽ de distinctione specifica, quia de numerica nullum potest esse dubium, quia hæc auxilia transeunt cum actibus, quia in actuali motione consistunt, & ideo cum illis etiam multiplicantur, saltem numericè. Est ergo dubium de multiplicatione specifica, quod etiam clarâm habet resolutionem in auxilio efficaci comitante, quia illud in ipsomet actu intimè imbibitur tanquam via, seu actio tendens in illum, & ideo necesse est cum actibus multiplicari & pro varietate illorum distingui; nam actio à termino speciem sumit, & per illum distinguitur. Item hoc auxilium efficax non distinguitur à concursu Dei circa tales actus: at diuinus concursus multiplicatur, & distinguitur pro varietate effectuum talis concursus, vt in lib. 3. dictum est: ergo eodem modo philosophandum est de hoc auxilio efficaci, neq; in hoc aliqua occurrit difficultas. At verò loquendo de Auxilio efficaci præueniente, oportet distinguere iuxta varios modos explicandi substantiam, causalitatem, & efficaciam huius auxilij. Qui enim dicunt esse motionem à solo Deo factam in nobis, & per se ac physicè efficaciter efficere actum, propter quem datur, consequenter dicunt, hæc auxilia efficacia pro varietate actuum, seu effectuum distingui, quia sunt principia per se illorum, & per illos specificantur, & ad modum habituum distinguuntur. Quo quidem posito illo principio, facile sustineri potest, licèt non careat dubitatione, an eadem species motionis efficacis sufficiat ad omnes actus eiusdem habitus, etiamsi contingat illos specie distingui, vt sunt amor, odium, desiderium, dolor, &c. Sed in hoc non immoror, quia est parui momenti, & procedit ex falsa hypothesi, vt dicemus.

Iuxta opinionem verò quæ in excitatione & causalitate morali efficaci hoc auxilium ponit, non est hoc dubium speciale de auxilio efficaci, sed de sufficiente etiam interrogari potest, quia modò illi nandi & mouendi voluntatem conueniunt, solùmque differunt, quia vnum cum effectu persuadet, & non aliud, quod sine dubio non prouenit ex specifica diuersitate, sed ex libertate arbitrij, & ex aliis circunstantiis, vt infrà dicemus. Vtroque ergo dicendum est, auxilium sufficiens & efficax interdum posse in sua entitate & specie multiplicari ac distingui, aliquando verò posse auxilium eiusdem speciei ad actus specie diuersos tribui & esse efficax. Declaratur exemplis vtraq; pars. nam ad actum eleemosynæ interdum inducitur quis timore pœnæ, interdum desiderio gloriæ, qui duo motus dari per modum excitantis gratiæ in sua entitate sunt specie distincti, & nihilominus inducunt ad eundem actum, quem vterq; potest sine alio efficaciter efficere. Et è contrario motus timoris à Deo immissus, in vna occasione inducit ad pœnitentiam, in alia ad remittendam iniuriam, vel quid simile. Ratio autem vtriusq; partis est, quia hæc distinctio & causalitas non est per se, physicè loquendo, sed moralis, vnde non est de intrinseca, ratione talis motus, ordo ad talem effectum, vt ab illo suam speciem sumat, sed ex prudentia & mouentis potentia ad talem effectum accommodatur, iuxta

mora-

moralem capacitatem recipientis, ideoque potest idem actus fieri per plures motiones gratiæ efficacis specie distinctas, vel simul, vel diuisim operantes, & è contrario possunt actus distincti per eamdem præuiam gratiam obtineri vel successiuè & in diuersis occasionibus, vel simul, si actus ipsi habeant inter se talem connexionem, ratione cuius simul fieri possint, iuxta superius dicta in genere de gratia excitante.

12. Obiectio. Dicunt autem aliqui, quando plura huiusmodi auxilia ad eundem actum dantur, licèt in entitate physica specie differant, in genere moris esse eiusdem speciei, quia ad eundem finem ordinantur, vt ad actum fidei, vel quid simile. Sed non video in his actibus propriam vnitatem specificam etiam moralem: nam intra genus causæ moralis possunt inueniri modi causandi eundem actum specie diuersi, causa enim consulens, & causa petens ac rogans, causæ morales sunt specie diuersæ, & licèt ad eundē effectum concurrant, distinctionem in modo causandi conseruant, nec possunt dici esse eiusdem speciei moralis, etiamsi in eundem effectum influant, quia vnaquæque suo modo influit sicut materia & forma, licèt ad eundem effectum concurrant, non propterea habet aliquam vnitatem specificam, neque in genere entis, neque in ratione causæ: non oportet ergo in his auxiliis, quando in se distincta sunt, & diuersum modum causandi moralem habent, aliquam vnitatem specificam fingere, propterea quòd ad eundem actum concurrant. Et ita Prosper lib. 2. de vocat. gent. cap. 26. numerando varios modos, quibus Deus ad fidem homines trahit, *suadendo exhortationibus, mouendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, conque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo*. nullam eis vnitatem specificam tribuit, sed absolutè plura præsidia seu auxilia diuinæ gratiæ excitantis appellat, quæ vt suprà dicebam, possunt dici componere vnum adæquatum auxilium sufficiens, vel efficax, non tamen per modum vnius speciei, sed per modum vnius collectionis causarum moralium concurrentium, vel necessariarum ad talem effectum solum in genere gratiæ, & vt procedunt ex misericordia seu gratuita liberalitate, & amore Dei, possunt dici habere vnitatem moralem specificam in ordine ad Deū moraliter operantem, eo scilicet modo, quo actus externi moraliter diuersi ex intentione finis possunt habere vnitatem moralem in genere virtutis, seu boni moralis. Sed hæc cōsideratio extrinseca est ad propriam causalitatem, & rationem auxiliorū gratiæ explicandam. nam hoc modo omnia beneficia diuinæ gratiæ, vt moraliter procedunt à Deo, possunt dici eiusdem speciei, quatenus ab eadem liberalitate, vel misericordia Dei procedunt. Hic ergo respectus hic non consideratur, sed entitas auxilij, vel modus causandi, & in his possunt auxilia data ad eundem effectum inter se distinctionem habere, & è conuerso idem auxilium potest ad varios actus in diuersis temporibus, vel occasionibus hominem mouere, vt explicatum est.

Solutur.

Prosper.

CAPVT IV.

Vtrum gratiæ efficacitas consistat in necessitate, quam infert voluntati, vt non liberè, sed necessariò consentiat.

QVæ in præcedentibus capitulis de auxilio efficaci diximus, omnia pertinent ad exactam expeditionem quæstionis, an sit tale auxilium, nam ad illam spectat tam necessitatem, quàm varietatem talis auxilij declarare, quod hactenus generatim præstitimus: nunc inquirendum superest, quid sit tale auxilium, in quo tria includuntur, nimirum, quænam motio sit, quem modum causandi habeat, & vnde, quoue modo habeat infallibilem connexionem cum suo effectu, quæ tria simul, vt occasio tulerit, tractabuntur, quia non possunt commodè disputatione seiungi. Solùm aduerto ex illis tribus solum tertium posse directè pertinere ad dogmata fidei: nam circa duo prima nihil habemus expressè definitum, vt videbimus, ideoque incipimus à tertio puncto, quatenus in eo cum hæreticis est controuersia, vt disputationem inter Catholicos expeditam relinquamus.

Punctap scatis difficultatis.

In puncto ergo proposito duo sunt errores inter se in vno principio, & fundamento consentientes, & in conclusionibus, seu illationibus extremè dissentientes. Pelagiani enim, & Caluinistæ ac Lutherani in hoc conueniunt, quòd efficacitas gratiæ consistit in quadam necessitate, quam Deus infert voluntati, illam liberè operari non relinquendo. Vnde Pelagius eo colore gratiam negauit, ne libertatem negaret, cui efficaciam & necessitatem gratiæ repugnare credidit; & ideo fingebat se impugnare Manichæos, & similes hæreticos negantes liberum arbitrium, cùm gratiam impugnabat, teste Augustino lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum à principio, & aliis locis. E contrario verò Lutherus, vt refert Concilium Senonen. in principio, nimis anxiè fingens vitare Pelagium, factus est Manichæus, & ante Lutherum præter Manichæos, Priscilianistas, Limonianos, eamdem hæresim docuerunt propè tempora Augustini, hæretici dicti *Prædestinati*, &, vt refert Faustus lib. 1. de Grat. cap. 3. 7. & sequentibus, & VVicleph. vt refert VValden. in doctrin. fid. antiq. cap. 23. & postea sequuti sunt Caluinum Melanchth. Beza, & alij nouatores, vt suprà lib. 1. retuli, & latè Stapleton. in Promptuar. Cathol. feri. 6. in hebdom. 1. Quadrag. num. 4. & in Antidot. ex Actis Apostol. cap. 9. & lib. 4. de Iustificat. cap. 1. Bellarm. lib. 1. de grat. & liber. arbitr. capite 11. & lib. 4. cap. 14. lib. 6. cap. 9. & 11. Ruard. art. 7. Roffens. art. 36. contra Luther.

1. Gratiæ efficacitas vnde, & quo modo habeat infallibilem connexionē eū suo effectu, punctum tertium.

Omisso autem errore Pelagij, quia in superioribus satis iam impugnatus est, & quia illatio, seu fundamentum eius explicando concordiam gratiæ cum libertate arbitrij euertitur, de errore Lutheri, & Caluini hoc loco dicendum est. Et vt distinctiùs intelligatur, reuocanda est disputatio ad actū elicitum voluntatis, quo illa præbet consensum gratiæ mouenti, quem proinde consensum appellabimus, siue sit amor, siue dolor, siue intentio, siue electio, siue alij similes, omnes enim fiunt per consensum voluntatis. Actus autem aliarū potentiarum, etiam ipsius fidei, prout est in intellectu, non sunt liberi, nisi per denominationem à consensu libero voluntatis: in hoc ergo tota disputatio versatur. In huiusmodi autem consensu tres proprietates necessariæ ad actum liberum distinguendæ sunt, scilicet actiuè fieri à voluntate, libenter, seu voluntariè fieri, & cum indifferentia fieri, id est, cum potestate non faciendi illum. Lutherus ergo vt radicitus libertatem euerteret, etiam primam conditionem actus voluntatis negauit, dixit enim non fieri ab ipsa effectiuè, sed à solo Deo voluntati immitti, ipsa voluntate merè passiuè se habente. Inducebatque comparationem figuli & luti, qua vtitur per Ieremiam Deus, *Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea*, cap. 18. & per Isaiam cap. 45. *Numquid dicet lutum figulo suo: Quid facis?* ad eamque alludit Paulus Roman. 9. dicens, *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem*

2. Lutherus qua libertatem arbitrii

Ierem. 18.

Isai. 45.

Rom. 9.

dem vas in honorem, & aliud in contumeliam. Vnde inferebat, sicut lutum non habet vllam actiuitatem circa formam, quam artifex inducit, ita neque homo in actibus gratiæ, quos à Deo recipit.

3. Responde-tu *Conc. Trind.*

Sed hæc sententia quoad hanc partem non solùm hæretica est, sed etiam stultissima, & ab omni humano sensu aliena. Vt *hæreticam* ergo damnat illam Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 5. & can. 4. vbi anathematizat dicentes hominem in conuersione sua ad Deum, nihil omnino agere, sed merè passiuè se habere, repugnantem apertissimè Scripturæ sanctæ exhortat homines, *Conuertimini ad me*, &c. quis enim alium exhortetur ad recipiendum, quod à mera voluntate alterius, dantis, seu facientis pendet, nisi aliquid ipsum agere oporteat? Est ergo illa prouocatio ad agendum, sicut & illa Petri epist. 2. cap. 1. *Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* opera enim nostra non dicuntur, nisi quæ à nobis fiunt. Vnde subdit, *Hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* & similia verba, & consilia & præcepta sunt infinita in Scriptura. Vt *stultam* verò reiicit illam sententiam quoad illam partem etiam ipse Caluinus, dicens, *Quis ita desipit vt hominis motionem à iactu lapidis nihil differre autumet? neque verò quicquam simile consequitur ex nostra doctrina: in naturales facultates hominis referimus approbare, respuere, velle, nolle*, &c. Præcipua verò rationis fundamenta, quibus improbanda est hæc pars, ex aliis duabus conditionibus sumenda sunt, quia nec voluntaria operatio, nec libertas actualis, nec liber vsus sine actiuitate vlla in sola receptione intelligi possunt, vt mox dicam.

1 *Petr.* 1.

Opera nostra quæ.

Caluin.

In secunda conditione nulla est controuersia cum hæreticis: nam euidenti experimento percipimus nos libenter velle, cùm volumus, & voluntariè facere quod volumus; vnde neque ipsi hæretici inter se in hoc dissentiunt, vt existimo, quamuis re vera Lutherus consequenter loquendo & negando actiuitatem voluntatis in suis motibus non potuerit voluntarium admittere, cùm de ratione voluntarij sit, vt sit à principio intrinseco cum cognitione, vt est quasi primum principium in doctrina morali, vt constat ex Aristotele 3. Ethicor. & D. Thoma 1. 2. quæst. 6. nam quod ex me non prodit, sed ab alio extrinseco agente immittitur, non potest mihi esse voluntarium, quoad ipsam actionem, vel effectionem, licèt receptio possit esse obiectiuè libera, & tunc oportet vt per alium actum à volente elicitum sit volita. Quidquid verò sit de imperitia Lutheri, Caluinus, Bucerus, & alij nouatores non solùm admittunt voluntarium in actibus gratiæ, sed etiam eo colore excusare volunt errorem suum in neganda libertate. Dicunt enim hominem liberè operari, quia libenter operatur. Et in hoc sensu dicunt esse in nobis liberum arbitrium à coactione, non à necessitate, & ita negant in operibus gratiæ tertiam conditionem actus liberi, quæ est in differentia potentiæ, à qua proximè procedit ad agendum, & non agendum, vel ad agendum hoc, aut oppositum eius. Et hæc fuit sententia Caluini lib. 2. institut. cap. §. 6. & aliorum.

4. *Arist. D. Thom.*

Caluin.

Nec desunt inter Scholasticos, qui ad liberatem simpliciter sufficere putant libertatem à coactione, quæ in actu voluntario inuenitur, etiamsi libertas à necessitate desit, sic enim Scotus dixit Filium procedere liberè à Patre, vel Spiritum sanctum à Patre & filio, licèt necessariò procedant, quia voluntariè producuntur, & de amore Beatorum videntur eodem modo loqui, in quam sententiam inclinant Castro verb. *libertas*, & Cosmas Philiarchus l. b. 2. de causa Prædest. cap. 16. & clarius Iacob Naclantus ad Ephes. 1. in digressione, *quòd prædestinatio libertatem non tollat.* & Michaël Baius in suis assertionibus dixit solũ violentiam repugnare libertati naturali, quia aiebat, *quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè fieri.* Et videtur nonnihil fauere Augustinus lib. 1. de grat. Christi cap. 13. dicens, *Præceptum liberè facit, qui libens facit.* quæ verba in eum finem inducit, vt declaret gratiam efficacem non tollere libertatem, sed augere potiùs, quia cum magna suauitate facit, libenter operari. Vnde tract. 26. in Ioann. exponens verba Christi, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, inde ostendit tractionem libertati non repugnare, quia si trahitur, voluntate trahitur, neque solùm voluntate, sed etiam voluptate. Acdenique in aliis locis sæpe opponit libertatem coactioni, docètque gratiam Dei non cogere hominem, & ideo non tollere libertatem eius.

5. *Scotus.* *Castro. Philiah. Naclant.*

Sed licèt interdùm Catholici illo modo loquantur, longè à sensu hæreticorum distant. Illi enim omnino confitentur esse in nostris actibus libertatem indifferentiæ, vnde solùm cum eis de *nomine* sit quæstio, an perfectum voluntarium, sine indifferentia satis sit vt actus absolutè possit liber appellari. Hæretici verò simpliciter negant indifferentiæ libertatem, & ita tota controuersia cum eis nobis in tertia conditione actus liberi, nimirum vt cum indifferentia fiat, id est, cum libertate à necessitate. Nam hoc est quod Caluinus, Melanchth. Bucer. & alij maximè negant in voluntate nostra à Deo mota. Etenim licèt ipsi generaliter loquantur, præcipuè verò id contendunt de operibus gratiæ, & de omni consensu voluntatis, quam diuina gratia in nobis operatur: vnde quia moraliter tunc dicitur quis agere, quando seipsum liberè mouet, ideo interdum isti hæretici ita loquuntur, vt dicant hominem ita moueri per gratiam, vt ipse non agat, vel potius non se agat, ad eum modum, quo Aristotel. lib. 1. Magn. Moral. cap. 35. dixit bruta non se mouere, licèt physicè & voluntariè se moueant. Sensus itaque huius erroris est, quòd sicut bruta necessariò naturæ impulsu mouentur, cui non possunt resistere, ita homines necessariò mouentur impulsu Spiritus sancti de se efficaci, vt nec possint illi resistere, nec aliud facere, quàm id, ad quod impelluntur, & hoc sensu dixit Caluinus, *Spiritum sanctum esse totam actionis efficiam.* Item dixit, *voluntatem mouet gratia, non vt multis antea sæculis traditum & creditum est, vt postea electionis nostræ sit gratiæ obtemperare, aut refrigerari, sed illam efficaciter faciendo.* Item hinc dixit voluntatem nostram non cooperari gratiæ, neque esse peccatum quam gratiæ, quos loquendi modos etiam in Augustino reprehendit, quia liberum consensum indicant: nam in moribus gratiæ excitantis non dicitur voluntas nostra cooperari gratiæ, etiamsi physicè illos efficiat, quia non liberè, sed necessariò illos efficit; ita ergo de quolibet actu supernaturali voluntatis Caluinus censet.

Caluin.

Fundamentum Caluini supponit in primis necessitatem gratiæ efficacis præuenientis voluntatem in omnibus suis actibus, præsertim supernaturalibus, eamque probat eisdem testimoniis, quibus Catholici vtuntur, & nos suprà multa adduximus, quia in hoc generali fundamento non est controuersia. Deinde addit Caluinus hanc efficaciam gratiæ præuenientis libertatem esse per veram efficientiam in voluntatem nostram, ita vt illi resistere non possit, quod etiam multi Catholici docent, ideoque illam sententiam tractando, hudius partis fundamenta afferemus, quia communia sunt. Ex his ergo concludit Caluinus per hanc gratiam imponi necessitatem voluntati contrariam libertati. Potuit autem illationem probare his modis, primò, quia tunc potentia liberè operatur, quando positis omnibus prærequisitis ad agendum

gendum potest non agere, vel aliud agere, sed voluntas in operibus gratiæ, nunquam ita operatur: ergo. Probatur minor, quia vnum ex requisitis ad agendum talem actum est gratia efficax prę mouens sed illa posita, non potest non agere; ergo. Secundò, quia posita illa gratia actus necessariò fit à voluntate, & illa gratia ponitur ante vsum libertatis; ergo inducit necessitatem simpliciter, quia est suppositio antecedens, quæ libertatem tollit, teste Anselmo lib. de Concord. prædestinat &c. Tertiò, quia illa gratia datur per voluntatem Dei efficacem, quia vult vt homo cum effectu omnino infallibiliter operetur; sed voluntas Dei necessariò infert effectum: nam voluntati eius quis resistet; ergo. Ex quibus omnibus constat Caluinum solùm posuisse in his actibus necessitatem ex suppositione scilicet, suppositâ motione gratiæ de se & natura sua efficacis, & in sensu composito respectu illius, quia cum illa motione impossibile est simul poni carentiam actus, & è conuerso non posita motione, impossibile est poni actum; motionem autem dari pro libera Dei voluntate sola. Et nihilominus ob hanc solam necessitatem dixisse gratiam tollere libertatem.

Anselm.

8. Ad hunc errorem confutandum supponimus in primis de ratione liberi arbitrij non esse tantùm libertatem à coactione, sed etiam à necessitate, hoc copiosè & eruditè probat Bellarminus libro 3. & 4. de libero arbitrio ideòque in allegandis testimonijs Patrum non immorabor, sed quædam tantùm præcipua, & expressiora ex Scriptura, & Augustino indicabo. Primò ergo ex Scriptura est locus notissimus Ecclesiastici 15. *Deus reliquit hominem in manu consilij sui, adiecit mandata & præcepta, si volueris mandata seruare, conseruabunt te. Apposuit tibi ignem & aquam, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* In quo testimonio quot sunt verba, tot sunt argumenta dictæ veritatis. nam habere rem in manu consilij, nihil aliud est, quàm habere potestatem eligendi hoc, vel illud, iuxta proprium arbitrium, ea enim quæ necessitati subsunt, non cadunt sub consilium. Quis enim dicat beatum relinqui in manu consilij, vt Deum videat. Item mandata & præcepta non dantur de necessarijs, vel impossibilibus; item conditio illa *si volueris*, supponit potestatem non volendi, & est illa phrasis frequens in Scriptura. Denique certa verba euidenter includunt potestatem eligendi inter contraria & opposita, quæ cum necessitate ad vnum esse non potest. Vnde Caluinus & cæteri fatentur hoc testimonium conuincere, hominem in statu innocentiæ habuisse voluntatem à necessitate volendi liberam, quia de primo homine ibi Sapiens loquitur: nihilominus verò aiunt, hanc libertatem per lapsum humanæ naturæ fuisse amissam.

Bellarmin.

Eccli. 15.

9. Hanc verò friuolam euasionem refutauimus in Prolegom. 1. est enim contra omnem rationem, quia libertas illa naturalis est voluntati, & naturales proprietates non fuerunt per peccatum amissæ. nunc verò addimus Scripturam eo modo loqui de hominibus, vel cum hominibus lapsis: nam de homine lapso loquitur idem Sapiens Ecclesiastici 31. cùm dicit, *Beatus diues qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua*, &c. Euidenter enim loquitur de hominibus in hoc statu mortali viuentibus, & concupiscentijs ab effectibus temporalibus obnoxijs: in quo statu diues maioribus periculis & occasionibus peccandi subditus est, & ideo specialiter beatificat, & laudat diuitem, qui affectu diuitiarum non ducitur, & immaculatè viuit: per hanc autem laudem dem, & beatificationem ostendit esse in illo libertatem à necessitate, & potestatem volendi, & non volendi, sicut statim expressè subdit, *quipotuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit.* Similiter cum homine lapso loquebatur lex Numer. 3. *In arbitrio viri erit, siue faciat, siue non faciat.* & Paulus 1. Corinth. 7. *Quod vult faciat*, &c. & similia, quibus non tantùm libertatem à præcepto, sed etiam indifferentem potestatem volendi & nolendi nubere apertè declarat, & similiter capite 9. de se dicit, *Non sum liber?* & postea libertatem hanc declarat, quia potestatem habebat manducandi & bibendi ex bonis fidelium, & nihilominus subiungit, *sed non vsi sumus hac potestate.* Igitur erat liber, quia potestatem habebat vtendi, & non vtendi, & hæc est potestas indifferentiæ, quam vocamus libertatem à necessitate.

Refutatur euasio.

Eccli. 31.

Num. 3.

1. Cor. 7. & 9.

10. Respondent aliter hæretici, hominem quidem secundum se spectatum etiam in natura lapsa habere hanc potestatem, tamen in vsu per diuinam motionem necessitari semper, vt altera potestate definitè vtatur. Sed hoc multis modis reijcitur, primò ad hominem, quia etiam in statu innocentiæ homo regebatur generali prouidentiâ Dei, & indigebat motione ipsius, & nihilominus non priuabatur vsu libertatis, vt Caluinus conuictus verbis Scripturæ fatsus est. Secundò, quia prouidentia Dei non destruit naturam, sed iuuat illam: nec enim fieri potest, vt homo naturâ suâ libertatem à necessitate habeat, & simul ex natura sua petat talem prouidentiam, quæ vsum libertatis auferat, quòd si illam non postulat, verisimile non est Deum suo tantùm arbitrio talem prouidentiæ modum ordinasse, cùm suauiter omnia disponat, Sapient. 8. ex quo rectè intulit Augustinus lib. 7. de ciuit. cap. 30. Deum sic administrare omnia quæ creauit, vt rebus singulis suos proprios exercere & agere motus sinat. Tertiò hoc ipsum conuincunt prædicta Scripturæ loca, quia non de sola potestate quasi remota, sed de vsu ipso loquuntur: & ideo ob talem vsum, vel reprehendunt, vel laudant hominem operantem; quia cum tali potestate & libertate hoc, & non illud operatus est, cum posset vtrumque: loquuntur ergo Scripturæ de homine in hoc statu constituto, & prout nunc de facto operatur, vel motus, vel adductus à Deo cooperante cum illo; ergo docent non obstante diuina motione, vel cooperatione absque necessitate, & cum indifferentia potestatis operari. Et ita exposuit Scripturæ testimonia Concilium Tridentinum sess. 6. capite 5. vt statim latiùs referemus, & alijs modis hanc veritatem confirmabimus.

Hæretico-rum alia responsio.

Reijcitur primò.

Secundò reijcitur

Illatio Augustini.

Concil. Trid

11. Solùm, quia in contrarium Augustinus allegatur, ex eius doctrina ad eamdem veritatem confirmandam pauca subijciemus. Nam in primis de liber. arbitr. præsertim in 3. à principio libertatem adstruit, quæ necessitatem excludat, vnde cap. 1. ait, *Nulla culpa ostendi potest vbi necessitas dominatur.* Estque attentè notandum motum liberum sæpe ibi ab Augustino *voluntarium* appellari, non tamen ex eo solùm quòd sponte fiat, sed quia tam voluntariè est, vt si homo velit, illum cohibeat, & in hoc distinguit illum à motu naturali lapidis, *quod in potestate* (inquit) *non habet lapis cohibere motum, quo fertur inferiùs animus verò dum non vult, non ita meuetur, & ideo naturalis est lapidi ille motus, homini iste voluntarius* & in eodem sensu dicit in fine, *motus, quo huc, & illuc voluntas conuertitur, nisi voluntarius esset, atque in nostra positus potestate, nec laudandus esset, neque culpandus.* Et hinc capite secundo vrget difficultatem, quomodo libertas cum diuina præscientia infallibili cohæreat, dicent; *Quomodo est voluntas libera, vbi tam*

Aug. 11

Libertas cohæret cum scientia

diuina, ex doctrina Augustini.

inuitabilis apparet necessitas? quæ difficultas nulla esset, si libertas tantùm esset à coactione, vt per se patet. Eodem modo loquitur in libro de vera relig. capite 14. vbi prius ait peccatum adeò esse voluntarium, vt nisi voluntarium sit, non sit peccatum. Et hinc concludit, dubitandum non esse habere animum liberum arbitrium. Quale autem sit hoc voluntarium explicat, dicens, *tales enim seruos suos meliores esse iudicauit Deus, si ei seruirent liberaliter, quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate seruirent.* Semper ergo quasi per antonomasiam simpliciter voluntarium vocat illud, quod liberum est, eique necessitatem opponit.

Necessitas libertati opponitur.

12. *Augustin.*

Et eodem modo loquitur libro primo contra Faust. capite 5. de ciuit. capite 10. *Multa* (inquit) *facimus quæ si nollemus, non vtique faceremus, quo primitus pertinet ipsum velle, nam si volumus, est, si nolumus, non est.* & libro de grat. & libero arbitrio capite 5. sic ait, *Cui dicitur, Noli vinci à malo, arbitrium sine dubio voluntatis eius conuincitur, velle enim & nolle propriè est.* & plura specialiter de operibus gratiæ stantim afferemus. Neque in alijs locis est sibi contrarius, licèt, vt dixi, interdum liberum vocet voluntarium, vtique perfectum, etiam quoad determinationem ad vnam partem potius quàm ad aliam; & similiter necessitatem aliquando vocat coactionem, quando sit contra modum naturalem operandi voluntatis. Specialiter verò loco illo de gratia Christi loquimur de libertate non tantùm à necessitate, sed etiam à seruili modo operandi, quod apud Augustinum est frequens; dixerat enim ibi per gratiam fieri, *vt non sit terribile, sed suaue mandatum, id est, vt non formidine pœnæ cogar esse sub lege, sed liberâ charitate delectet esse cum lege.* Et sic adiungit, *præceptum enim liberè facit, qui libens facit*, vtique perfecta libertate. nam qui facit præceptum, supponitur facere cum libertate indifferentiæ, quia sine illa non est capax præcepti; quando verò id facit libenter ex amore, tunc perfectè liberè, id est, vt filius, & non vt seruus id facit.

Idem.

13 Conclusio.

Hoc ergo catholico principio suppositò concludendum est, diuinam gratiam efficacem, id est, per quam re ipsa, sancta opera facimus, proprium modum liberè operandi cum indifferentia necessitatem excludente non auferre. Hæc assertio est de fide tradita olim à Patribus contra Pelagianos, & nostris temporibus specialiter definita contra Lutheranos & Caluinistas. Potest autem probari ex omnibus Scripturæ locis, quibus suprà probauimus dari nobis sæpe gratiam sufficientem in actu primo, quæ ex pura hominis resistentia effectum non habet, vt sunt illa, *vos semper Spiritui sancto resistitis, vocaui, & renuistis: quoties volui congregare filios tuos, & noluisti.* Nam in his & similibus locis ostenditur potestas libera à necessitate, quandoquidem ex sola sua voluntate non facit, quod per gratiam potest; dicent fortasse hæc testimonia solùm probare gratiam sufficientem, non tollere libertatem, de gratia verò efficaci nihil probare: nam hi qui resistunt, non recipiunt efficacem gratiam. Sed contrà vrgetur primò, quia si homo cum gratia sufficienti est vere liber ad operandum & non operandum, sicut aliquando vtitur illa potestate ad non operandum, ita vtitur etiam interdum eadem potestate ad operandum; ergo sicut liberè resistit, ita liberè cooperabitur gratiæ, si velit.

Probatur ex Scriptura.

Inflatur.

Expeditur.

Deinde Scriptura hominem sic vocatum & per sufficientem gratiam excitatum monet, ne in vacuum gratiam Dei recipiat, & præcipit, vt conuertatur, & similia Ezechiel. 36. Ieremi. 1. Ioann. 6. ad Philip. 3. ergo supponit esse in potestate eius libera actualiter & efficaciter operati cum gratia, nam qui operari non potest nisi ex necessitate ab alio motus, non est capax præcepti, aut exhortationis ad actualem operationem. Tertiò homines etiam quando per gratiam operantur, laudantur de bono opere, & digni censentur mercede, & tamquam fideles operari, & cooperatores Dei, & coadiutores. Matth. 20. 1. Corinth. 3. hæc autem dici non possunt, nisi de liberè ac moraliter operante: nam opera ex necessitate, nec laude, nec mercede sunt digna; ergo non solùm qui resistunt, sed etiam qui operantur ex gratia liberè operantur: at in illis gratia est efficax; ergo efficax gratia non inducit necessitatem contrariam libertati.

Operantes necessitate facta non laudantur, nec mercede digni.

Secundò ipsemet Caluinus fatetur, veritatem hanc multis antea sæculis & traditam & creditam in Ecclesia esse, nimirum gratiam Dei etiam in his omnibus qui sanctè operantur, non tollere veram ac moralem electionem à necessitate liberam, sed in his etiam operibus verum esse illud, *qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit.* hæc enim & similia sine gratia efficaci non fiunt, & tamen liberè & cum potestate non faciendi fiunt, & ita intellexerunt has Scripturas antiqui Patres. Et vt alias nunc omittamus, id copiosè ostendit Augustinus libro de gratia & libero arbitrio multa congerens testimonia Scripturarum capite secundo & sequentibus. Vnde Epistola octuagesima nona, quæstione secunda *liberum* (inquit) *arbitrium non tollitur, quia iuuatur, sed ideo iuuatur, quia non tollitur.* & lib. sexto de ciuit. cap. decimo. *Si necessitas* (inquit) *nostra illa dicenda est, quæ non est in nostra potestate, manifestum est quibus rectè, vel perperam viuitur, sub tali necessitate non esse.* ergo etiam quando voluntas rectè operatur, sub tali necessitate non est, cùm tamen rectè non operetur sine efficaci gratia, & lib. de prædest. Sanct. capite quinto. *Credere*, inquit, *vel non credere, in arbitrio est voluntatis nostræ*; ergo etiam qui credit, liberè credit, quamuis sine efficaci gratia non credat, de qua subdit statim idem Augustinus. *Sed præparatur voluntas à Domino.* non dixit, *necessitatur*, sed *præparatur*, quod tam longè diuersum est; omnia denique Augustini loca suprà adducta ad probandam gratiam adiuuantem voluntatem nostram, & cum illa cooperantem in conuersione sua, & in aliis operibus pietatis ad hanc veritatem confirmandam valent, supposito alio principio eiusdem Augustini, quod *nemo iuuatur nisi qui sponte aliquid conatur*, lib. secundo de peccatorum merit. capite quinto, & in id Psalm. 26. *Adiutor meus esto*, &c. Denique vbicunque Augustinus docet difficilem esse concordiam gratiæ cum libero arbitrio, simul docet non esse impossibilem, & ita esse vnum affirmandum, & aliud non negandum, vt lib. de grat. & lib. arbitr. cap. 1. & seq. & Epist. 46. & 47. Prosper etiam lib. secundo de vocat gent. cap. 28. expresse docet efficacem gratiam non tollere mutabilitatem voluntatis; quia verò ibi specialiter de dono perseuerantiæ loquitur, de illo dono disputando locum illum tractabimus.

Tertiò definita est hæc veritas in Concil. Trid. sess. 6. cap. 5. vbi docet exordium iustificationis sumi à vocatione, qua peccatores vocantur, & per excitantem & adiuuantem gratiam ad suam iustificationem disponuntur, *eidem gratiæ liberæ assentiendo*, exponit statim, ideo liberè assentire, quia *neque nihil omninò agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam abiicere potest.* Vbi apertè declarat, non tantùm liberè consentire, quia voluntate consentit, etiam quia sine necessitate consentit, cùm potestatem abiiciendi inspirationem retineat. Et hanc libertatem comprobat, quia cùm in

in Scriptura nobis dicitur, *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, libertatis nostræ admonemur: nemo cum illo modo inuitatur, nisi qui in potestate sua habet & conuerti, & non conuerti. Nec dubitari potest, quin Concilium in toto illo capite generatim de gratia loquatur, quæ interdum sufficiens, interdum efficax esse potest, tum quia nisi gratiam efficacem comprehenderet, hæreticorum sententiæ, quam precipuè refellere intendit, non opponeretur; tum quia non satis doceret conuersionem & dispositionem ad iustitiam esse liberam, quia illa conuersio non fit, nisi per gratiam efficacem: illud autem est contra intentionem eius, & contra verbum, ait enim per motionem illam gratiæ hominem *non nihil omnino agere illam inspirationem recipiens*; de illo ergo, qui aliquid agit in sua conuersione, iam habet gratiam efficacem. Sit ergo certissimum Concilium agere de tota motione gratiæ præuia, quæ non tantùm necessaria est ad posse, sed etiam ad agere liberè, ac subinde gratiam efficacem præuiam includere. Et eodem modo idem definit in can. 4. cuius verba, & multa alia in sequenti capite, & infrà contra prædeterminationem physicam amplius vrgebimus. Consentit cum hac definitione Concilium Senonen. in Decret. fidei cap. 15. vbi efficacem gratiam dicit non tollere libertatem in actu; quia *non tale est gratia trahentis auxilium, cui resisti non possit.* censet ergo hanc libertatem esse à necessitate, & hanc non indecere auxilium efficax, quia potestatem resistendi relinquit. *Conc. Senon.*

16. Et ante Concilium Tridentinum indicauit hanc veritatem Concilium Arausicanum, quatenus in can. 8. 15 & 25. docet liberum arbitrium per peccatum primi hominis fuisse infirmatum, inclinatum, & attenuatum, & ita læsum, vt sine gratia Dei nihil boni possit operari. Et ita tantum abest, vt per gratiam tolli dicat liberum arbitrium, vt potius reparari dicat: imò quatenus amissum fuit per peccatum, dicit per illum reddi, qui potuit illud dare. Dicitur autem amissum, vt suprà exposui, quantum ad potestatem sanctè operandi, nam quia hæc potestas per gratiam datur, ideo per eandem dicitur libertas arbitrij reddi; ergo non tollit gratia libertatem, sed restituit illam, iuxta verbum Christi Ioan. 8. quod idem Concilium allegat; *Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis.* & hanc libertatem idem Concilium docuit can. 23. dicens, *Quando homines ita faciunt, quod volunt, vt diuinæ seruiant voluntati; quamuis volentes agant, quod agunt, illius tamen voluntas est, à quo præparatur & iubetur, quod volunt.* Et can. 25. propter eamdem libertatem dicit. *Baptizatos per Christi gratiam, Christo auxiliante & cooperante posse, quæ ad salutem pertinent, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Sunt etiam valdè notanda verba Concilij Toletani IV. cap. 65. *Sicut homo propria arbitrij voluntate serpenti obediens perijt, sic (vocante se gratia Dei) propria mentis conuersione quisque saluatur,* Vbi est exponenda comparatio, tanta enim libertate dicit hominem conuerti per gratiam, quanta contra gratiam peccauit; sicut ergo peccauit cum libertate excludente necessitatem, ita & nunc per gratiam operatur. Idem docet Concilium Valentin. in Gallia tempore Lotharij cap. 6. *Ioan. 8.* *Conc. Tolet.* *Conc. Valent.*

17. Rationes ad hanc veritatem confirmandam sunt ferè generales de libertate arbitrij quæ cum proportione sunt applicandæ. Primò & quasi à priori, quia gratia quantumuis efficax non destruit naturam, sed perficit; ergo non tollit vsum naturalis libertatis, sed perficit. Secunda, quia gratia dat posse operari si homo velit, & iuuat ad operandum, quando homo vult: ex neutro autem sequitur ablatio libertatis, imò vt verè iuuet, oportet, vt illam non auferat. Tertia à posteriori, quia aliàs homo esset incapax præceptorum, & auxiliorum supernaturalium, & meriti, ac mercedis, &c. iuxta quam rationem considerandum est, licèt absolutè loquendo non implicet contradictionem, Deum per aliquam motionem præuiam necessitare voluntatem humanam, nihilominus id repugnare, si seruandæ sunt proprietates moralium actuum, quas de facto, & secundum fidem Deus obseruat. Vnde quoad hoc error Caluini contradictionem inuoluit, præterquam quòd impiè etiam loquitur contra diuinam bonitatem. Declaratur & probatur, nam in primis ille hæreticus non solùm asserit Deum per motionem gratiæ necessitare voluntatem nostram ad actus bonos, sed etiam per alias motiones similes necessitatem inferre ad actus prauos, etiam intrinsecè malos: hoc autem impium est, & contra diuinam bonitatem, & sapientiam, & ita ex hoc capite inuoluit omnimodam repugnantiam, quia repugnat Deum non prudentissimè & honestissimè operari. Deinde constat ex Scripturis actus nostros ita fieri à nobis, vt possint prudenter præcipi & prohiberi, quantum est ex parte modi operandi nostri: nam de facto præcipiuntur & prohibentur à Deo, si autem Deus necessitaret homines ad hos actus, inepta esset talis prohibitio, vel præceptio; ergo cum hac proprietate etiam repugnat illa necessitas. Simile est de ratione meriti & demeriti, præmij & supplicij; quid enim magis iniustum, quàm necessitare hominem ad aliquid faciendum, & postea eum punire, quia id facit: & similiter cessaret ratio præmij, si homo nihil de sua libertate in illo promerendo adhiberet, ideòque non posset Deus per iudicium verum, seu tanquam iudex causas hominum, vt sic dicam, terminare, sed solùm per potentiam, & absolutum dominium. Docet autem Scriptura Deum longè aliter prouidere hominibus, cum diuina: ergo prouidentiâ repugnat illa necessitas. quæ argumenta & similia ex sacris litteris copiosè locupletat Augustinus libro de gratia & libero arbitrio. Probatio nes contra Caluinum. *August.*

Fundamentum autem Caluini non eodem modo soluitur à Catholicis, aliqui enim putant illationem inficiari neminem posse; & ideo posteriorem partem de auxilio physico prædeterminante falsam esse putant; quapropter ad iudicandum in quo Caluinus quoad suum fundamentum erraverit, quid sit auxilium efficax, & in quo eius efficacitas consistat, & præsertim an physicè prædeterminet voluntatem; diligenter inuestigandum est.

CAPVT V.

Vtrum auxilium efficax sit excitans, seu in aliqua excitatione positum, præsertim iuxta mentem Augustini.

1. REiectis hæreticis, supereſt controuersia cum Scholasticis, quæ in hoc maximè posita est, vt declaremus, quid addat auxilium efficax vltra sufficiens. Et quoniam ex dictis in præcedenti libro constat, auxilium sufficiens, generatim loquendo, actu dari per auxilia excitantia, primùm omnium inquirendum proponimus, an intra latitudinem auxilij excitantis detur aliquid verè efficax, & à sufficiente distinctum. In quo puncto vna opinio est, auxilia excitantia intra suum Auxilium efficax quid addat vltra sufficiens.

ordinem contenta non posse esse efficacia, sed tantùm sufficientia, necessariumque esse, addi illis auxilium aliquod gratiæ adiuuantis vt efficacia fiant. Quale autem sit hoc auxilium adiuuans, in quo efficacitas auxilij consistit, duobus modis iuxta duas opiniones explicatur. Prima dicit, illud auxilium adiuuans esse simultaneum, seu concomitans, quia non putat dari auxilium adiuuans præuium, sed re vera nisi hoc ampliùs explicetur, non satis est ad saluandum auxilium efficax præuium, quod faciat nos velle: nam auxilium adiuuans simultaneum, licèt nobiscum faciat velle, & ad hoc sit efficax, non tamen facit nos velle, efficaciter inducendo voluntatem, vt in capite primo libri præcedentis explicatum est.

Auxilium adiuuans quale sit.

Propter hoc ergo altera opinio, quam moderni Thomistæ nunc communiter defendunt, distinguit duplex auxilium adiuuans, scilicet præueniens, & simultaneum, dicitque efficax præueniens, quia excitans auxilium non est efficax, vt supponitur, & solum auxilium adiuuans concomitans non dat efficacitatem præuiam; sed simultaneam, quæ non satis est ad saluandum auxilium præuium efficax, de quo tractamus; ergo efficacia hæc ponenda est in auxilio aliquo adiuuante præuio. Primum autem principium, in quo istæ opiniones conueniunt, scilicet auxilium in suo ordine sistens non esse efficax iuxta mentem dictorum auctorum probari potest, quia auxilium præuium simpliciter efficax debet infallibiliter habere effectum liberi consensus voluntatis excitatæ, sed auxilium præcisè excitans non potest infallibiliter habere talem effectum; ergo non potest esse efficax; ergo. Maior supponitur ex dictis in primo capite huius & præcedentis libri. Minor probatur primò ex Concilio Tridentino sess. 6. capite 5. & can. 4. absolutè, ac proinde generaliter definiente, posse voluntatem his excitationibus, id est, illuminationibus & inspirationibus resistere. Secundò, quia auxilium excitans nunquam potest habere dictum effectum, sine auxilio adiuuante; ergo non potest esse efficax sine illo. Tertiò, quia auxilium excitans non prædeterminat voluntatem ad vnum; ergo non est efficax.

2. *Distinguitur auxilium adiuuans in præueniens & simultaneum.*

Nihilominus assero auxilium efficax præueniens ordine naturæ consensum liberum voluntatis esse quoddam auxilium excitans, ita vt auxilium excitans in genere sumptum abstrahat à sufficiente & efficaci, & in illa diuidi possit tanquam in membra condistincta intra latitudinem auxilij excitantis. hanc assertionem tenent omnes auctores, qui admittunt auxilium efficax præueniens, & physicam prædeterminationem negant, vt infrà videbimus. Eamque ex doctrina Augustini sic colligo: Vocatio Dei est gratia excitans, sed vocatio aliqua non est tantùm sufficiens, sed etiam efficax, ideòque de se vocatio abstrahit à sufficienti & efficaci; ergo similiter gratia excitans abstrahit à sufficienti, & efficaci, daturque aliquod auxilium excitans & efficax: consequentia euidens est, maior etiam nota est, vel ex ipso nomine vocationis, nam per vocationem mens excitatur. Vnde Conc. Trid. sess. 6. c. 5. exordium salutis dicit sumi à vocatione, qua sine meritis homines vocantur, *vt qui per peccata a Deo auersi erant, per eius excitantem atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se, disponantur.* incipit ergo vocatio ab excitante gratia, & in illa maximè consistit: vnde capite 6. subiungit; *disponantur autem ad ipsam iustitiam dum excitati diuina gratia & aduti fidem ex auditu concipientes*, &c. Idem docuit Augustinus dicta quæstione secundo libro prima ad Simplician. in fine, dicens, *Quis potest credere nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua rerum testificatione tangatur.* Tactus autem cordis per gratiam excitantem fit; ergo secundùm Augustinum vocatio est gratia excitans. Atque ita Prosper libro secundo de vocat. gent. capite 26. varios modos recenset, quibus Deus hominem præuenit, ac præparat voluntem, *vt diuinis*, inquit, *excitata præsidiis diuino in se cooperetur operi.* subdit inferiùs, *ipsa enim gratia hoc omni genere medendi atque auxiliandi agit, vt in eo quem vocat primam sibi receptricem & famulam donorum suorum, præparet voluntatem.* Ex mente ergo horum Patrum vocatio fit per gratiam excitantem, per quam etiam voluntas à Domino præparatur.

3. *Assertio.*

Colligitur ex Augustino.

Concil. Trid.

Vocatio ab excitante gratia.

Augustin.

Prosper.

Supereſt ergo, vt minorem propositionem, in qua est rationis vis, ex doctrina Augustini ostendamus: multa enim sunt apud illum loca, in quibus duas vocationes distinguit, quarum altera sufficiens tantùm, altera etiam efficax est, quodlicèt sub his terminis fortè non dicatur ab Augustino per definitiones, nihilominus res eadem explicatur. Insignis locus est in libro 1. ad Simplician quæst. 2. circa medium, vbi primùm inquit, *quia non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo tribuitur, quòd bene volumus, nobis verò tribui non potest, quòd vocamur.* Vnde infert sententiam in hac materia valde notandam, *non igitur ideo dictum esse putandum est, non igitur nec ideo dictum esse putandum est, cum volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia nisi eius adiutorio non possumus adipisci quod volumus, sed ideo potius, quia sine eius vocatione non volumus.* Ex qua sententia primum argumentum sumimus: nostrum enim velle bonum maximè tribuitur soli Deo propter gratiam efficacem, etiam ex doctrina aliorum auctorum: at verò secundùm Augustinum, nostrum bonum velle non tribuitur soli Deo propter adiutorium, sed propter vocationem, ac subinde propter gratiam excitantem; ergo excitans gratia & vocatio aliqua, secundùm Augustinum, est auxilium efficax: vnde statim Augustinus hanc vocationem dicit esse *effectricem bonæ voluntatis.* Deinde verò obiicit, *si vocatio ista ita est effectrix, vt omnes eam vocati sequantur, quomodo verum est: Multi sunt vocati, pauci verò electi?* & in summa respondet, non omnem vocationem esse ita effectricem bonæ voluntatis, sed quandam esse quam vocati non sequuntur, vtique quamtùis possint, & illa de se est sufficiens alia est, quam vocati sequuntur, & hæc est efficax bonæ voluntatis, & hoc est quod ait, *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocauit, quòmodo aptum erat eis, qui sequuti sunt vocationem: ad alios autem vocatio quidem peruenit, sed quia talis fuit, qua moueri non possent, vt eam capere apti essent, vocati quidem dicti potuerunt, sed non electi.* Distinguit ergo ipsam vocationem in sufficientem & efficacem, quamuis aliis nominibus illas describat, nam vnam vocationem dicit esse cui vocatus non se accommodat, nec obtemperat, & hæc est sufficiens, aliam dicit esse quæ commodo præstatur, quo ei, qui vocatur, aptum est vt vocationem sequatur, & vocantem non respuat, & hæc est efficax, quia nunquam effectu suo frustratur. Vnde in fine quæstionis excitanti gratiæ expressè tribuit hanc efficaciam, dicens; *igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quandoquidem nec velle, nec currere, nisi eo mouente atque excitante, poterimus.*

Argumentum primum.

Distinguitur vocatio sufficiens, & efficax.

Argumentum secundum.

Alter locus Augustini est libro de Prædestin. Sanct. in quo sæpissimè efficaciam diuinæ gratiæ, qua electionem, & prædestinationem Sanctorum Deus exequitur, in excitante gratia madximè ponit; quatenus per eam electos suos ita vocat,

Augustinus eodem loco.

vocat, vt faciant quod Deus intendit, quod est proprium munus efficacis gratiæ. Sic cap. 2. ait, *Operatur Deus fidem nostram, mitto modo agens in cordibus nostris, vt credamus.* Quis autem sit ille mirus modus, exponit cap. 8. dicens, *Omnis, vt dicit Veritas, qui audiuit à Patre, & didicit, venit.* valdè remotè est sensibus armis ex schola, *in qua Pater auditur, & docet vt veniatur ad Christum,* & infrà, *Multos venire videmus ad Christum, sed vbi, aut quomodo à Patre audierint, hoc non videmus, nimirum gratia ista secreta est, gratiam verò esse quis ambigat?* & eodem modo nos dicere possumus gratiam esse excitantē quis ambigat? quid enim est doctrina interior Spiritus sancti, nisi eius illuminatio & inspiratio, quibus ipse tangit hominum corda, illaque excitat? Est ergo illa gratia excitans; efficaciam autem eius declarat Augustinus, dicens. *Hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur, ideo enim tribuitur, vt cordis duritia penitus auferatur.* Alludens ad illud Ezechielis 26. *Auferam cor lapideum de carne vestra, dabo vobis cor carneum.* Meritò ergo gratiam illam efficacem appellamus, cùm ita cor hominis tangat, vt etiam induratum illi non resistat, sed duritiam eius auferat. Eandem verò esse vocationem efficacem in eodem lib. cap. 16. declarat Augustinus, dicens, *Vocat Deus prædestinatos multos filios suos vt eos faciat membra prædestinati vnici filij sui, non ea occasione, qua vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias, sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus, dicens, ipsis vocatis Iudæis & Græcis,* &c. & infrà. *Sic enim ait ipsis vocatis vt illis ostenderet non vocatos, sciens esse quandam vocationem eorum, qui secundùm propositum vocati sunt,* &c. quam etiam ait esse significatam à Paulo ad Roman. 9. dicente, *non ex operibus, sed ex vocatione fit tredens:* ecce efficaciam, ideoque de eadem vocatione intelligit aliam sententiam Pauli ad Roman. 11. *sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei, id est, inquit, sine mutatione stabiliter fixa sunt ad hanc vocationem in qui pertinent, omnes sunt docibiles Dei.* & infrà *præuenit eum misericordia Dei quia sic vocatus est vt crederet.* eamdemque appellat vocationem ex proposito in cap. 18. quia procedit ex definito proposito Dei, & est medium efficax quo illud impletur & de illa tandem exponit in cap. 20. quod de purpuraria dicitur Actor. 16. *Deus aperuit sensum eius,* &c. dicens, *Sic enim vocabatur vt crederet.*

Augustin.

Exod. 26.

Declaratur vocatio efficax.

6. Argumentum tertiū.

Tertius locus Augustini, & in hac materia insignis est in lib. de corrept. & grat. cap. 7. vbi priùs generatim explicat media efficacia gratiæ, quibus Deus in vitam æternam quos elegit transmittit, dicens. *Quicunque ab originali damnatione diuinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium quod & procuratur eis audiendum Euangelium.* ecce vocationem, *& cùm audiunt credunt, & in fide quæ per dilectionem operatur vsque in finem perseuerant.* ecce efficaciam. Vnde subiungit, non enim sic sunt vocati, vt non essent electi, sed quoniam secundùm propositum vocati sunt, profectò & electi sunt. & de hac vocatione exponit verba Pauli ad Roman. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti.* Et declarans talis vocationis efficaciam, subdit, *ex istis nullus perit, quia omnes electi sunt autem, quia secundùm propositum vocati sunt; propositum autem non suum, sed Dei.* Ac tandem duas vocationes iterum distinguit, vnam electorum, quam vocat secundùm propositum, aliam communem, qua multi sunt vocati, pauci verò electi; quia licèt sit sufficiens, non est efficax, sed illi resisti potest, & resistitur; alia verò ita est efficax vt impossibile sit carere effectu, vt in discursu totius capitis latè declarat. Vnde autem illa efficacia proueniat cap. 8. ponit per aliam sententiam sibi familiarem, *præparatur voluntas à Domino,* quam præparationem vbique declarat à Deo fieri per auxilia excitantia illuminationum, & inspirationum, seu per vocationem efficacem.

Adhuc declaratur efficacia vocationis.

Distinguitur vocatio in vocationem electo. rum, & communē.

De quo est quartum, & optimum testimonium in epist. 107. ad Vitalem, vbi tractans eandem sententiam dicit, *non ideo præparare Deum voluntatem, quia legem, atque doctrinam libero eius adhibet arbitrio, sed quia vocatione illa alta atque secreta. sic eius agit sensum, vt etiam accommodet assensum.* & inferiùs ait, *quomodo dicitur quòd per legem Dei atque doctrinam Scripturarum fiat, quod eadem Scriptura dixit præparatur voluntas a Domino, ac non potiùs per occultam inspirationem gratiæ Dei,* &c. Quid autem est *occulta inspiratio?* nisi quædam occulta excitatio: illa ergo præparatio sicut sufficienter fit per quandam communem excitationem, ita efficaciter fit per aliam, quam Augustinus vocat *occultam, altam, atque secretam,* quam etiam alijs locis, præsertim in lib. de grat. Christi cap. 13. & 14. internam doctrinam appellat, quæ sine dubio ad gratiam excitantem pertinet, vt in lib. 3. visum est.

7. Argumentum quartum.

Quintò facit quod Augustinus lib. 83. quæstionum qu. 68. vocationi diuinæ tribuit quòd sit illa efficax gratia, per quam Deus ipsum velle operatur in nobis; dixerat enim Deum non misereri peccatoris, nisi voluntas præcesserit, *& quoniam velle quisque non potest, nisi admonitus & vocatus, siue intrinsecus, vbi nullus hominum videt, siue extrinsecus per sermonem sonantem, vel alia signa visibilia efficitur, vt etiam ipsum velle Deus operetur in nobis.* & quia quidam vocati veniunt, alij non veniunt, subiungit eos, qui veniunt, sibi tantùm id tribuere: qui autem veniunt, non sibi, sed vocationi, per quam nimirum præparata est eorum voluntas à Domino, vt ipsemet Augustinus recognoscendo locum hunc declarauit 1. Retract. cap. 26. & ideo in priori quæstione concludit, *hæc autem vocatio quæ siue in singulis hominibus, siue in populis, atque in ipso genere humano per temporum opportunitates operatur altæ & profundæ ordinationis est.*

8. Argumentum quintum.

Sextus locus sit ex lib. de grat. & lib. arbitr. cap. 5. vbi gratiam efficacem datam à Paulo vt conuerteretur, ponit in vocatione, dicens, *vt autem de cœlo vocaretur, & tam magna & efficacissima vocatione conuerteretur, gratia erat sola, nam merita erant magna, sed mala.* Ex quâ ratione intelligitur illam dictionem exclusiuam, *sola,* non excludere liberam cooperationem Pauli in suâ conuersione; nam proximè antea dixerat illam gratiam non tollere propriam voluntatem, & iterum, *nec ipse solus, nec gratia Dei sola, sed gratia Dei cum illo.* in prioribus ergo verbis excludit illa particula omne voluntatis meritum, nam hoc est quod ibi contra Pelagianos ostendit, nimirum conuersionem non esse ex meritis, & ideo ait protestisse in Paulo merita, sed mala, quæ non poterant gratiam mereri, sed potiùs indignationem, & ideo talis vocatio gratia sola fuit, id est, nullius meriti merces; ergo si illa vocatio *magna fuit, & efficacissima,* vt Augustinus dicit, fuit etiam gratia, seu auxilium non tantùm sufficiens, sed etiam efficax: ergo apud Augustinum non solùm gratia adiuuans, pro vt ab excitante distinguitur, sed etiam gratia excitans, qualis est vocatio, gratia, seu auxilium efficax, & hæc loca sunt valde notanda tanquam capitalia in hac materia, præsertim, quia etiam auctores contrariæ sententiæ, cum quibus disputamus ad probandum auxilium efficax, illis maximè vtuntur.

9. Argumentum sextum.

Ex quibus & similibus locis formari possunt plures rationes; quibus in doctrina Augustini intentum conuinci videtur, vna est, quia illa est gratia efficax, per quam Deus facit vt velimus, & vt faciamus, vt latè docet idem Augustinus libro de grat. & liber. arbitr. capite 14. 16. & 17. Sed gratia per quam Deus facit vt faciamus, est vocatio; ergo talis vocatio est gratia efficax, ac subinde excitans; minor sumitur ex eodem Augustino eodem libro de grat. & libero arbitr. capite 16. dicente, *Certum est nos facere cum*

10. Ratio pro D. Augustino.

Augustin.

facimus, sed ille facit vt faciamus, præbens vires efficacissimas voluntati. vbi expendenda est particula, *vires*, significat enim non actionem, sed virtutem agendi, & hanc dicit esse efficacissimam, & per gratiam præuenientem & excitantem dari, vt statim explicat istis verbis, *certum est nos seruare mandata cùm volumus, sed quia præparatur voluntas à Domino.* & iterum, *Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit vt velimus bonum, de quo dictum est, præparatur voluntas a Domino, de quo dictum est, à Domino gressus eius dirigantur, & viam eius volet, de quo dictum est, Deus autem est, qui operatur in vobis & velle.* Docet autem idem Augustinus lib. 83 quæstionum q. 68. vt iam retuli, vocationem esse per quam Deus hæc omnia facit, dicens, *quoniam nec velle quisquam potest nisi admonitus & vocatus*, &c. efficitur vt & ipsum velle Deus operetur in nobis. Idem tradit idem Augustinus tract. 26. in Ioann. & serm. 2. de verb. Apost. & de prædest. Sanct. cap. 19. illa vocatione (ait) quæ sine pœnitentia est, id prorsus agitur & peragitur, vt credamus.

10. Similis ratio est, quia gratia efficax est quam Deus confert prædestinatis vt saluentur, sed medium potissimum quo saluantur prædestinati, est quædam vocatio, quam Augustinus vocat ex proposito; ergo illa est gratia efficax; consequentia est clara. Maior est Augustini lib. de bonor. perseuer. cap. 14. vbi definit prædestinationem Sanctorum, dicens, *Nihil aliud est, quam præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.* vbi notanda est particula, *certissimè*. nam per illam significare voluit Augustinus efficaciam mediorum, vt est notum in eius doctrina. Minor verò colligitur ex eodem capite, sic enim statim subinfert, *Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant* quæ verba propter gratiam excitantem & congruentem manifestè sunt dicta. Item de corrept. & grat. cap. 7. 9 & sequentibus, vbi latè declarat, Deū dare prædestinatis perseuerantiam per vocationem secundùm propositum suum, quam qui accipiunt, infallibiliter perseuerant, ac proinde efficaciter iuuantur.

11 Alia denique ratio esse potest, quia Deus dat efficacem gratiam præparando voluntatem, vt sæpe in citatis locis Augustinus affirmat, & in Enchirid. capite 32. de don. perseuerantiæ capite 8. primâ Retract. capite 22. & libro 2. capite 4. Sed Deus præparat voluntatem per gratiam præuenientem, quæ sit vocatio congrua, vt eisdem locis idem Sanctus docet, præsertim dicta quæst. secundo ad Simplician. Ergo illa eadem vocatio est gratia efficax excitans. Consequentia est clara in eadem sententia Augustini. Tandem possumus hoc concludere ex principiis suprà positis, quia gratia efficax præuia, seu quæ facit, vt velimus, non est auxilium concomitans, seu concursus, aut influxus simultaneus; ergo esse debet gratia excitans. Antecedens probatur, tum quia per influxum simultaneum non facit Deus vt velimus, sed ipsum velle facit nobiscum: per auxilium autem efficax facit vt velimus, tum quia proprium auxilium efficax, de quo tractamus, fit à Deo solo in nobis sine nobis, vtique liberè cooperantibus: auxilium autem concomitans non fit in nobis sine libera cooperatione nostra; tum denique, quia auxilium efficax præuium datur, vt præparet voluntatem, concomitans verò, vt adiuuet præparatam; ergo propria gratia efficax non est ipse simultaneus concursus, seu influxus. Consequentia verò prima probatur, quia inter actuales gratias nulla est, quam Deus in nobis sine nobis efficiat, nisi gratia excitans, vt in libro 3. probatum est, & in sequentibus probandum est latius, hoc enim solùm ferè superest in hoc libro examinandum.

Alia ratio.

Ad fundamentum autem prioris sententiæ, negamus minorem, nam dari potest aliqua vocatio, seu gratia excitans, ex qua infallibiliter sequatur liber consensus. & ad primam probationem ex Concilio Tridentino negatur consequentia, stat enim voluntatem posse resistere, & infallibiliter non resistere: quomodo autem hæc duo coniungantur, in sequentibus inquirendum est, nam hoc opus & hic labor est. Ad secundam probationem negatur consequentia, nam vocatio, aut excitatio non dicitur efficax, quia sola sine auxilio adiuuante faciat consensum, hoc enim in illa sententia necessarium, aut verum est, quia vtrumque auxilium vtique excitans, & adiuuans simul necessarium est, vt actus supernaturalis fiat; vnde in superiori libro etiam de auxilio vndique sufficiente diximus debere vtrumque auxilium aliquo modo includere; ergo multo magis efficax. Non ergo dicitur auxilium excitans, quia solùm faciat, sed quia in suo ordine tale est vt infallibiliter consequatur effectum, ac subinde, vt infallibiliter habeat coniunctum, vel secum afferat necessarium auxilium adiuuans. Vnde autem hoc habere possit aliquod auxilium excitans, postea videbimus, vt iam dixi. Ad tertium denique negatur consequentia, quia efficacia auxilij non consistit in prædeterminatione, vt dicemus.

12. Fundamento primæ sententiæ occurritur. Respondetur. Ad secundam probationem negatur consequentia.

CAPVT VI.

An efficax auxilium consistat in motione, vel effectione, de se & natura sua prædeterminante physicè voluntatem humanam ad vnum actum, & exercitium eius.

DIximus auxilium efficax consistere in quadam efficaci vocatione. aggredimur iam exponere in quo consistat eius efficacia, vel quomodo fiat, quidve addat communi vocationi. In quo puncto duæ sunt opiniones celebres, vna de physica prædeterminatione, altera de congrua vocatione, de quibus suo ordine dicendum est: vt autem circa priorem clarè procedamus, necessarium est accuratè priùs explicare terminos vt sine confusione, vel æquiuocatione omnia puncta, quæ in hac sententia occurrunt, tractare possimus. Et in primis verbum *determinandi*, à quo verbum *prædeterminandi* compositum est, declarandum est, deinde quid addat illa particula *præ*, & consequenter quid nomine prædeterminationis significetur, vel quotuplex illa esse possit, aperiemus. *Determinare* igitur iuxta primam vocis significationem idem est, quod terminum rei designare, aut constituere, siue id exteriùs fiat, vt in agris & regionibus fieri solet, siue per sententiam, vel decretum, sicut dicitur iudex determinare causam, vel superior determinare quid sit agendum suo vtique præcepto. Hinc ergo, quia voluntas de se indifferens est, ad ea, ad quæ est libera, determinari dicitur, cùm ad alteram partem inclinatur, vel definitur, & quando id fit cum aliqua antecessione, dicitur prædeterminatio. Vtrumque autem multis modis fieri potest, quos distinguere oportet & omissis quæ ad præsentem causam non faciunt, clariùs procedamus.

Duobus

1. Actus voluntatis humanus quot modis denominetur prædeterminatus à voluntate diuina.

Duobus igitur modis potest actus voluntatis humanus denominari prædeterminatus à diuina voluntate, scilicet obiectiuè tantùm, & per quandam extrinsecam denominationem, vel effectiuè influendo aliquid, quod sit intrinsecè in voluntate humana, & determinet illam. Sic inter homines pater dicitur apud se determinare, quem statum filius accipere debeat, & è conuerso status ille dici potest prædeterminarus in voluntare patris. Item dicitur voluntas subditi determinari à voluntate superioris, qua illi præscribit, quid agere debeat. Voluntas enim superioris nihil ponit in voluntate subditi, nec modum operandi eius immutat, sed solùm præscribit, & definit materiam, circa quam versari debet, & ita dicitur determinare illam, extrinsecè imponendo illi obligationem, vel obiectum eius moraliter mutando. His ergo modis dici potest voluntas Dei determinare voluntatem hominis. Primò quidem per voluntatem, quam vocant signi, seu præceptiuam, quæ determinatio non est quoad exercitium, nec ponit aliquid in ipsa virtute agendi voluntatis creatæ, nec inducit necessitatem oppositam libertati simpliciter, sed oppositam libertati à præcepto: vnde hic modus prædeterminationis nihil ad præsens refert. Secundò potest etiam dici, Deus determinare actum voluntatis humanæ obiectiuè & per denominationem extrinsecam, solùm quia æterno decreto absoluto suæ voluntatis secum statuit, vt voluntas humana in tempore talem actum liberum suæ voluntatis habeat. Nam tale decretum Dei cùm sit liber, est quædem determinatio voluntatis eius, quia Deus in hoc liber ostenditur, quod se ipsum determinare potest, vt dixit D. Thomas 1. p. qu. 19. art. 3. & in 2. d. 25. q. 1. art. 1. ad 3. per illud ergo decretum determinat Deus voluntatem suam ad volendum, vt homo in tempore velit, & ideo actus ille voluntatis humanæ denominari potest determinatus, vel ex æternitate prædeterminatus à voluntate diuina. Hæc autem prædeterminatio in Deo existens per se ac præcisè spectata non immutat voluntatem humanam, nec limitat, aut coarctat intrinsecè eius indifferentiam, sed solùm extrinsecè, & obiectiuè denominat illum actum hominis determinatum, sicut actus immanens in potentia denominare solet extrinsecè obiectum suum, sicut volitio denominat volitum obiectum suum, vt visio visum, vt auditio auditum, &c.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

D. Thom. &c.

2. Quamuis autem magna quæstio esse possit, an Deus isto modo prædeterminet sua æterna prouidentia actus liberos futuros in tempore à voluntate humana, nunc verò non illam quæstionem tractamus, quia illa prædeterminatio non est aliud, quàm prædeterminatio quædam talis actus humani, vel hominis ad agendum in tempore talem actum, loquendo nimirum de prædestinatione vt ad voluntatem Dei pertinet, & in æterno illius proposito consistit, nunc autem de prædestinatione non agimus, sed de gratia: esto igitur habeat Deus illud propositum, quo prædestinet talem actum, per illud prædeterminat illum obiectiuè & denominatiuè, vt dixi, non subiectiuè, vel effectiuè; quia sicut prædeterminatio per se & formaliter nihil ponit in prædestinato, sed executio prædestinationis est passiuè in prædestinato, vt dixit D. Thomas 1. p. qu. 23. art. secundo Ita dicendum est de prædeterminatione Dei in hac significatione sumpta: nam dicit in Deo eumdem omnino actum, si respectu eiusdem obiecti sumatur. Et sicut prædestinatio differt à gratia prout est donum nobis datum, tanquam æternum à temporali, seu tamquã causa ab effectu, ita differt hęc prędetermiatio à gratia efficaci, de qua tractamus: ideòque sicut in præsenti non agimus de prædestinatione, ita nec de prædeterminatione in hac significatione sumpta.

3. Eadémque ratio est de diuina præfinitione, illa in vsu Scripturæ & Patrum cum prædestinatione coincidit. Nam definire in hac materia idem est, quod mentis consilio ac proposito voluntatis aliquid proponere, vel statuere, vt 1. Reg. 20. dicitur, *Intellexit Ionathas quòd definitum esset à patre suo,* 1. *Reg.* 20. *vt interficeret Dauid* & 1. Machab. 1. *Multi de populo* 1. *Mach.* 1. *Israel definierunt apud se, vt non manducarent immunda.* Et in eodem sensu tribuitur Deo Actor. 27. *Definiens statuta tempora*, &c. & cap. 2. *Hunc definito consilio & præscientia Dei traditum*, & Luc. 22. *filius hominis secundùm quod definitum est vadit.* Quia vero Dei propositum æternum est, ideo Deus non solùm definire, sed etiam prædefinire dici potest quidquid suo æterno decreto fieri statuit; quod decretum præfinitio vocatur Ephes. 3. ibi secundùm *præfinitionem* *Ephes.* 3. *sæculorum*: vbi Græcè habetur nomen προθέσεως, quod *propositum* significat: vnde ibi particula *præ* solùm significare videtur antecessionem propositi interni ad executionem externam, quę in hominibus temporanea est, & ideo rectè dicitur in Deo semper indicare antecessionem æternitatis.

Act. 27. & 2. *Luc.* 22.

τῆς πρὸ nomen.

4. Quamuis alia etiam ratione possit illa particula *præ* addi verbo definiendi, vt significet non solùm antecessionem æternitatis decreti ad executionem eius, quæ in tempore fit, sed etiam vt in ipsa æternitate significet antecessionem rationis propositi voluntatis ad præscientiam futurorum, quam volunt aliqui esse propriam significationem verbi præfiniendi, vt Deo attribuitur in Scriptura, nihil in hoc colligi potest, quia in ea non inuenitur verbum hoc compositum *præfinitio*, sed tantùm simplex *definitio*, vt ex allegatis locis manifestum est, & in nullis alijs inuenitur. Neque etiam aliunde potest illa verbi impositio, aut proprietas ostendi: vnde licèt non negem posse particulam *præ* in illa significatione sumi, nihilominus id non exigit verbi proprietas, vel significatio, sed iuxta materiæ capacitatem loquendum erit, quòd etiam de verbo prædestinandi intelligendum est, nam hæc duo verba idem significant. Imò in Scriptura, vbi in vulgata Latina hæc verba variantur, in Græco idem verbum respondet quod est ὁρίζω, vel προορίζω, vbi est verbum προορίζω semper ponitur in vulgata verbum *prædestino*: vt Roman. 8. *quos præscivit, & prædestinavit*; & iterum, *quos prædestinavit, hos & vocavit*, & ad Ephes. 1. Ephes. 1. *qui prædestinavit nos*; & iterum *prædestinati* 1. Cor. 2. *secundùm propositum eius*, & 1. Corinth. 2. *quam prædestinavit Deus ante sæcula.* Ex quibus vltimis verbis intelligimus particulam *præ* ex intentione Pauli significare antecessionem æternitatis, & in his omnibus respondet Græcè verbum προορίζω. At verò vbi inuenitur in nouo Testamento Græcum verbum ὁρίζω in vulgata ponitur verbum *definio*, sine præpositione, vt patet ex locis Lucæ, & Actorum suprà citatis. Solùm ad Roman. 1. vbi Græcè habetur simplex participium ἀφορισμένος noster interpres vertit *prædestinatus*, nam quia illa destinatio, seu definitio æterna est, non dubitauit interpres illam vocare prædestinationem. Vnde etiam intelligitur, illam particulam *præ*, in rigore solùm significare antecessionem æternitatis diuini propositi ad executionem eius tam in verbo *prædestinandi*, quam in verbo *prædeterminandi* in illa prima acceptione sumpti, nam hæc in rigore, vt dixi, idem sunt.

Rom. 8.

Ephes. 1.

1. *Cor.* 2.

5.

6. Possuntque hæc confirmari ex verbis Dionys. cap. 5. de diuinis nominibus, in fine, quem locum obiter etiam hic declarabimus, est enim celebris in hac materia, & aliqui non rectè illo vtuntur. Agens ergo Dionysius de diuinis exemplaribus seu ideis,

Dionys.

ideis, inquit iuxta translationem Ambrosij Florentini. *Exemplaria verò esse dicimus rationes in Deo substantificas rerum, & singulariter ante subsistentes, quas prædestinationes Theologia vocat, & bonas, diuinásque voluntates, eorum, quæ sunt, definitrices atque effectrices, secundùm quas ipse supersubstantialis Deus, quæ sunt, omnia prædestinauit atque produxit.* Vbi in primis quoad verba attinet, aduerto, vbi prius exemplaria vocantur *prædestinationes*, secundùm aliam translationem, quam D. Thomas commentatur vocari *prædefinitiones*. Vnde idem D. Thomas in commentario sub distinctione dicit, *quas sacra Scriptura vocat prædestinitiones, seu prædestinationes*, pro certo habens illa verba esse synonyma. Et vbi postea ipsę ideæ dicuntur *definitrices, & effectrices*, illa versione apud D. Thomam dicuntur *prædeterminatiuæ*: alia autem versio habet, *discretiuæ & effectiuæ*; & in vltimo loco habetur apud eundem D. Thomã verbum *prædefiniuit*, pro verbo *prædestinauit* D. Thomas autem loco vtriusque posuit *prædeterminauit*, sentiens hoc verbum Deo attributum etiam significare internum mentis propositum, & in ea significatione idem esse quod prædestinare, vel definire.

7. Deinde aduerto vocare Dionysium ipsa exemplaria, seu ideas *prædestinationes*, seu *prædefinitiones*, additque etiam vocari *diuinas voluntates*, quia, vt ibi notat D. Thomas, rationes rerum possibilium in mente Dei secundùm se spectatæ, antequam Deus velit ad illarum imitationem aliquid ad extra producere, non habent rationem exemplarium, & ità per voluntatis præfinitionem quasi complentur in ratione exemplarium, & ideo & præfinitiones & prædestinationes & voluntates Dei esse dicuntur. Vnde aduertit ibi Carthusianus non loqui ibi Dionysium de prędestinatione in eo rigore, quo electis tribuitur prædestinatio, sed latiori modo prout dici potest de qualibet prędordinatione diuinâ, siue sit de præmio, siue de pœna, & siue sit ante, vel post præscientiam alicuius rei futuræ, & siue sit præfinitio absoluta rei in se, siue sufficiens tantùm, & in causis suis. Nam quælibet istorum ad rationẽ idearum, seu exemplarium constituendam sufficit. Denique addi potest exemplum simile de verbo *præparandi*, ex D. Thoma 1. p. q. 23. art. 2. ad 3. vbi ait verbũ illud dupliciter posse tribui Deo, primò pro præparatione æterna ex parte ipsius Dei, quæ est decretum æternum, quo se ab æterno præparauit ad saluandum electum, vel aliquid simile agendum. Et sic ait dici posse bonam voluntatem humanam esse ab æterno præparatum in mente Dei, quę prędparatio in voluntate creata non est, nisi denominatio extrinseca ab æterno actu Dei. Secundo verò modo dicitur Deus præparare voluntatem humanam in tempore efficiendo aliquid in illam, quo illam disponat, & intrinsecè prędparatam reddat. Idem ergo est, seruatâ proportione, de verbo *prædeterminandi*.

D. Thomas.

8. In præsenti ergo per se ac directè non agimus de hac prædeterminatione Dei extrinseca, quia non agimus de prędeterminatione cum qua illa coincidit, sed agimus de gratia efficaci, quæ à prædestinatione differt, tamquam effectus à prima & originali causa, & tamquam temporalè quid ab æterno, vt Augustinus docuit lib. de prædest. Sanct. cap. 10. & lib. de don. perseuer. cap. 14. Dico autem præsentem tractationem non esse per se & directè de hac prædeterminatione, quia si vna sit cũ altera connexa, indirectè posset ad illam extendi disputatio, & ideo qui ponunt gratiã efficacẽ in prędeterminatione intrinseca nostræ voluntatis, magnam vim in hoc faciunt quòd omnes actus nostri liberi arbitrij sint prædestinati, præfiniti, seu prædefiniti, & in dicto sensu prædeterminati in proposito ac decreto absoluto diuinæ voluntatis, non solùm prius secundùm æternitatem, sed etiam secundùm antecessionem rationis diuini decreti ad præscientiam futurorum, quia putant ex tali prædeterminatione extrinseca sequi intrinsecum in nostra voluntate per gratiam, vel motionem efficacem, quia nullo alio modo potest illud decretum prędeterminationis Dei infallibiliter impleri; alij verò in contrario extremo vt prorsus caueant à tali modo gratiæ efficacis quem putant esse contrarium libertati, negant etiam illum modum prædeterminationis, seu prædestinationis omnium actuum liberorum in se ipsis antecedentem præscientiam futurorum, sed aiunt ante præscientiam absolutam futurorum, solùm prædefiniti & præordinari in causis efficacibus, vel sufficientibus, sicut modò circa verba Dionysij dicebamus. Post præscientiam verò absolutam voluntatem ordinari ad suos fines, & sic etiam præfiniri in prioritate æternitatis, non in antecessione ad præscientiam absolutam. Non autem vt ab hac controuersia abstineamus, supponimus posse Deum in priori sensu prædeterminare, seu prædestinare actus liberos humanæ voluntatis ita absolutè, vt omnino fiant & liberè fiant credimus, licèt in malis actibus id facere non possit Deus propter bonitatem suam, in bonis possit, & de facto admittimus id fecisse in Sanctis actibus liberis à gratia efficaci procedentibus, & non obstante hac prędeterminatione extrinseca, de intrinseca, inquirimus, an sit necessaria, vel passibilis ad executionem talis prędestinationis, & consequenter, an hoc sit gratiæ efficacis munus.

Augusti.

Vt ergo de intrinseca prædeterminatione dicamus, vlteriùs aduertimus potentiam de se indifferentem duobus modis posse determinari, scilicet actu primo & in actu secundo. Priori modo est determinata, quando prius natura quàm actum operetur, est limitata & definita ad vnum effectum, posteriori modo est determinata quando actu operatur. Rursus prior determinatio in actu primo multiplex est, nam quædam esse potest quoad specificationem tantùm, alia quoad exercitium, vel quod perinde est, vna esse potest solùm quasi conditionata si voluntas operari velit, alia est absoluta, quia per illa voluntas determinatur, vt velit. Priori modo est voluntas de se determinata ad amandam beatitudinem in communi, nam licèt actu de illa cogitetur, non est voluntas omnino determinata ad exercendum actum amoris circa illã, nihilominus tamen ita est distincta, vt si velit aliquem actum circa illam exercere, ille esse debeat amor, seu persecutio, non odium, aut fuga: alio modo ex parte simili, licèt inferiori determinatur voluntas per habitum charitatis ad sanctè operandum, non quidem quoad exercitium actus, vt per se manifestum est, nec cum tanta limitatione, seu determinatione, vt si voluntas habens talem habitum, operari velit ad sanctam operationem determinetur, quia non est vnde habitus ille tantam præbeat determinationem, aliàs esset inamissibilis, quod esse falsum in libro 9. videbimus: nihilominus tamen aliquo modo & sub alia conditione determinat, quia si voluntas illo habitu vti velit, non potest nisi sanctè per illum operari: quomodo dixit Ioann. canonic. capite 3. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est*, vtique si vt talis operari velit, hanc ergo & quancumque similem vocamus determinationem quoad specificationem, vel conditionatam, & secundùm quid, vel sufficientiæ non exercitij. Vnde obiter constat non esse in præsenti sermonem de hac determinatione, quod est memoriæ mandandum, nam solent per hanc æquiuocationem eludi argumenta, quia hoc modo etiam auxilium sufficiens determinat voluntatem ad vnum quoad specificationem sub conditione, quia si homo tali auxilio cooperari velit, non

non nisi bene & in tali specie operabitur, & ita illa est determinatio sufficientiæ, licèt non sit efficaciæ: est ergo in præsenti sermo de determinatione absoluta, & quoad exercitium, quæ tunc esse dicitur in voluntate, quando ita affecta, & proximè completa in actu primo, in illo non sistit, nec sistere potest in temporis duratione, quia non potest se continere, quin exerceat actum secundum. Quando ergo potentia prius natura est sic constituta in actu primo, dicitur etiam determinata in actu primo.

Vlteriùs autem hoc dupliciter contingere potest, vno modo ab intrinseco, scilicet ex innata conditione potentiæ actiuæ, alio modo ex forma, vel actu aliquo, qui licèt intrinsecè efficiat voluntatem ab extrinseco prouenit, nimirum per efficientiam alicuius extrinseci agentis scilicet Dei. Prior modus neque in voluntatē cadit, nec habere potest locum in præsenti puncto, saltem comparatione facta ad voluntatem ipsam secundùm se spectatam. Probatur, quia supponimus voluntatem esse liberam; ergo illa secundùm se spectata, non habet innatam determinationem ad vnum quoad exercitium; quia hoc repugnat libertati naturali, quæ indifferentiam requirit, etiam naturalem, vt iam ostensum est. Item gratia efficax non est conditio intrinsecè connata, seu congenita voluntati; ergo non potest illi dare priorem modum determinationis ad vnum, cùm semper auxilium efficax sit aliquid superadditum voluntati ab extrinseco agente Deo; & ideo dixi hanc determinationem non esse innatam ipsi voluntati secundùm se spectatę, nam comparata ad illam entitatem, quæ est gratia efficax, si talis est illa entitas, vt posita in voluntate determinet illam in actu primo ad exercitium actus proportionati illi auxilio; sic talis determinatio conuenit tali entitati ab intrinseco, nam est conditio illa connaturalis, & intrinseca, quia per nullum alium actum primum illi additur, alias esset processus in infinitum.

2. Imò non solùm ipsa ex se erit determinata ad vnum, sed etiam ex intrinseca sua natura, & conditione habebit determinare voluntatem cui adhæret, ad coëxercendum secum, (vt sic dicam,) eumdem actum, quia non potest aliter illa entitas habere connaturalem annexionem, & omnino intrinsecam cum suo actu secundo, quia non potest suum actum exercere, sine cooperatione voluntatis, vt supponimus; ergo vel ipsa non est ab intrinseco simpliciter determinata ad exercitium suæ actionis, vel eque determinat voluntatem ad secum cooperandum. Illa ergo determinatio in actu primo, si datur, licèt sit ab extrinseco respectu voluntatis, erit intrinseca tali auxilio efficaci, seu illi principio agendi completo ex voluntate, & tali motione, quæ efficax auxilium dicitur. Et consequenter licèt talis determinatio fiat in voluntate effectiuè à Deo, quia Deus est, qui efficit in voluntate auxilium efficax, nihilominus ab ipso auxilio fit illa determinatio formaliter in voluntate, quia tale auxilium adhærendo voluntati, determinat illam. Atque hic est vnus & fortè præcipuus sensus quæstionis propositæ, & hanc vocabimus semper determinationem in actu primo, de illa inquirendo, an fiat in voluntate per auxilium efficax, modo iam explicato.

3. Alium modum determinationis vocauimus in actu secundo, quia per illum constituitur potentia in vltima determinatione. Nam de ratione huius determinationis in actu secundo est vt fiat per effectionem ipsiusmet actus secundi, quia ante illam effectionem semper est potentia in actu primo, siue prius tempore, siue prius natura consideretur, & ideo ante actum secundum, seu effectionem eius, non potest esse potentia determineta in actu secundo, est enim aperta repugnantia. Vt autem illa effectio actus secundi habeat rationem determinationis, supponere debet in potentia indifferentiam aliquam quoad exercitium, quia verbum ipsum *determinandi*, connotat respectum ad rem, vel materiam, seu potentiam, quæ non supponitur determinata, sed indifferens: nam si omnino supponatur determinata, non indigebit determinatione. Et ideo ignis quando calefacit, non dicitur determinari ad calefaciendum; sed agere id, ad quod determinatus est; Sol verò, quia de se est aliquo modo indifferens ad obdurandum, vel liquefaciendum, dicitur determinari a dispositione ceræ, verbi gratia, ad liquefaciendum, & intellectus dicitur determinari à voluntate ad credendum, quia antea erat aliquo modo indifferens, & eodem modo dicitur voluntas determinare se, quando vult credere.

4. In quo modo loquendi animaduerto differentiam inter potentiam indifferentem ex dominio voluntatis, vel indifferentem alio modo minùs perfecto, scilicet ex sola vniuersali virtute agendi, vel ex subordinatione ad superiorem potentiam. Nam potentia libera propriissimè dicitur determinare se, quod adeò necessarium reputatur, vt dixerit D. Thomas, nec Deum nec hominem fore liberum, nisi haberet vim internam determinandi se, vel eminentem, quasi per se ipsam formaliter, vt voluntas diuina, vel actiuè voluntariè agendo in se ipsam vt voluntas humana. At verò aliæ causæ alio modo indifferentes non dicuntur determinare se, sed determinari vel ab alia causa in quocumque alio genere, sicut determinatur virtus Solis ex dispositione, vel capacitate passi, vel à superiori potentia mouente, & applicante, sicut intellectus determinatur à voluntate ad credendum. Hæc ergo determinatio in actu secundo, etiam interuenit in actu, qui fit per efficax auxilium, & ideo alius sensus præsentis quæstionis est, an efficax auxilium immediatè efficiat, vel conferat hanc ipsam determinationem in actu secundo, non præuio aliquo actu primo, in quo talis determinatio consistit, sed per immediatum influxum absolutè voluntatis Dei in ipsum actum secundum, ita vt per illum met, quasi formaliter determinetur voluntas humana à voluntate diuina efficaci influente effectiuè in talem determinationem.

Atque ex his facile declarari potest, cur hæc determinatio humanæ voluntatis, *prædeterminatio* vocetur: non enim additur illa particula *præ*, propter necessesionem æternitatis ad tempus: nam hæc determinatio non est æterna, sed in tempore fit, vt declaraui, imò nec aliqua antecessio durationis temporalis per illam particulam *præ*, indicatur, quia determinatio illa non antecedit tempore effectum gratiæ efficacis, seu actum secundum & vltimum voluntatis, vt etiam declaraui. Dicitur ergo prædeterminatio propter antecessionem naturæ & causalitatis. quod quidem facillimè intelligitur in tali determinatione, si dari in actu primo supponatur, nam actus primus præcedit secundum saltem ordine naturæ; ergo si voluntas per auxilium efficax determinatur in actu primo, profectò prædeterminatur, tum quia prius natura constituitur in actu primo, tum etiam, quia recipit illam prædeterminationem, vt præuiam ad suum consensum, sicut etiam recipit motionem auxilij, & ideo per illud præmoueri dicitur: & hinc dicitur Deus prædeterminare illam non formaliter, & quasi extrinsecè per suum propositum æternum, vt in priori significatione verbi *prædeterminandi* dicebamus, nec etiam formaliter intrinsecè, quia hæc ipsa motio efficax, quatenus

5. *Prædeterminatio*, de determinatione voluntatis humanæ.

est

est intrinsecè inhærens voluntati, illam determinat formaliter, vt iam satis explicaui, sed dicitur Deus prædeterminare voluntatem effectiuè, tum quia facit in illa internam prædeterminationem formalem, tum etiam, quia illam efficientiam habet solus Deus sine cooperatione voluntatis, præueniendo omnino vsum libertatis eius. Denique dici etiam potest *prædeterminatio* per comparationem ad meritum, quia antecedit illud, quamquam hoc habet locum in primo auxilio efficaci, non verò vniuersaliter in omnibus sequentibus, vt postea videbimus.

14. At verò si gratia efficax non determinet voluntatem in actu primo, sed immediatè ad actum, vel per actum secundum, tum etiam particula *præ*, non potest significare antecessionem durationis respectu effectus, seu consensus liberi voluntatis, quia inuoluit ipsum actum secundum, vel formaliter, ad illum immediatè terminatur: vnde etiam antecessio secundum realem ordinem naturæ & causalitatis, difficile ibi explicatur, quiâ actio ipsa, quâ fit consensus voluntatis, vnica est, & simplex, vnde non potest in illa distingui aliquid prius natura & causalitate, quàm aliud. Nec satisfaciet, qui dixerit per illam particulam *præ*, solùm significare prioritatem in dignitate, excellentia, independentia, & inefficientia talis auxilij, quod principales partes habet in tali effectu. Hæc, inquam, non est satis, quia id totum inuenitur in auxilio efficaci simultaneo, & concomitante; ergo illo modo non explicatur propria prioritas auxilij præuij, quæ inueniri debet in auxilio efficaci, de quo tractamus, & per illam particulam significatur. Si ergo in ipsa determinatione actus secundi, prædeterminatio admittatur, necessarium est dicere Deum sua motione efficaci præcedere aliquo modo influxum voluntatis creatę, etiamsi ad eumdem terminum, seu actum secundum immediatè terminetur. Vnde si gratia efficax vocetur ipsa voluntas Dei quatenus mouet & trahit nostram voluntatem ad agendum, sic antecedit ordine naturę, saltem virtuali, quia concurrit imperando, & trahendo nostram voluntatem, sicut voluntas nostra præcedit mouendo brachium. Non videtur autem alienum à proprietate locutionis voluntatem ipsam Dei, vt actiuè influentem ad extra gratiam efficacem vocare, sicut multi censent voluntatem creandi vt actu inferentem ex se effectum, esse actiuam creationem. Quòd si actio ipsa consensus liberi recepta in voluntate hominis, vt est ab efficaci voluntate diuina, vocetur auxilium efficax Dei: sic dicetur prædeterminare voluntatem creatam formaliter, & per particulam *præ*, denotabitur actionem illam pro vt procedit à speciali voluntate diuina efficaci, determinatè facere, vt voluntas creata in eam actionem influat, & vt sic vocari prædeterminationem, quia secundùm illum respectum ad voluntatem Dei habet quamdam antecessionem ad voluntatẽ hominis, cuius influxum ex necessitate quadam sibi connaturali coniunctum habet, hic enim modus antecessionis non repugnat: an verò possit gratiæ efficaci accommodari, postea videbimus.

15. Prædeterminatio *physica*, cur sic dicta. *Cumel. Aluar.*

Supereſt explicanda altera particula, per quam hæc prædeterminatio *physica* appellatur. In quo in primis aduerto Francisc. Cumel dict. libero 1 Opusculor. disp. 4. sect. 2. concluſ. 4. reprehendere hunc modum loquendi de prædeterminatione *physica*; imò addit vocabulum illud à me, & à nostris esse inuentum ad improbandam aliorum sententiam. Quod autem ad me spectat, verissimè affirmo illud non excogitasse, nec ab alio, quàm à defensoribus talis auxilij efficacis illud didicisse. Vnde tantum abest, vt à Patribus Dominicanis reputetur à uobis inuentum, vt M. Aluar. disp. 22. numer. 2. affirmat, non esse nouum, sed antiquum in Ecclesia, & à Patribus vsurpatum in eadem acceptione, qua in præsenti disputatione sumitur, quod multis verbis explicare conatur. Sed quidquid sit de nominis initio, aut inuentione ad explicandam peculiarem sententiam, eamque ab alijs distinguendam, necessarium fuit peculiare nomen. Et ad hunc finem illud non fuit incongruum quia per illud explicatur hanc determinationem non esse metaphoricam, sed veram, nec tantùm secundùm quid, aut moralem, seu ex his, quæ frequentiùs accidunt, ac subinde ex accidenti talem, sed esse determinationem simpliciter & ex intrinseca natura talis entitatis, seu auxilij, ac proinde esse per se talem ex aliqua propria causalitate per se. Nam iuxta communem vsum etiam Ecclesiasticum, ita solet illud additum physicè vsurpari. Sic enim ad significandam veram vnitatem trium personarum in Deo, dicitur esse vna persona in alia naturaliter, & à Græcis physicè. Et vnio Verbi ad humanitatem vocatur naturalis & physica, & Theologi solent vocare physicam efficientiam Sacramentorum, vt declarent esse veram & realem. Ad hunc ergo modum in præsenti ad explicandam rigorosam proprietatem huius determinationis illa particula *physicè* determinationi adiungitur.

Aduertendum est autem varijs modis posse auxilium efficax dici physicum, primò in ratione entitatis, & hoc est verum, non tamen sufficit ad rem explicandam, quia etiam gratia excitans sufficiens est vera entitas physica, id est, vera & realis. Secundo in ratione motionis formaliter afficientis & immutantis voluntatem, & hoc etiam non est satis, nam id etiam habet auxilium sufficiens, est enim motio physica, quia verè & realiter voluntatem inclinat, & intellectum afficit & immutat, non tantùm obiectiuè, sed etiam formaliter per internam Spiritus sancti efficientiam, vt in superioribus ostensum est, & ex ipsis terminis est satis notum. Tertiò potest illa determinatio dici *physicè*, propter efficientiam, quia nimirum tale auxilium physicè efficit consensum voluntatis. Et hoc siue sit verum, siue falsum, non sufficit, quia potest esse physicum principium per se influens cum voluntate actu suum, & nihilominus non determinare voluntatem quoad exercitium actus, neque absolutè, sed solùm sufficienter, seu sub conditione; sic enim multi dicunt auxilium sufficiens præueniens physicum principium actus, quando transit in auxilium adiuuans actu, etiamsi non determinet voluntatem illo modo, & habitus charitatis physicè afficit voluntatem, & inclinat illam, & cum illa efficit physicè actum, & tamen, quia in efficientia sui actus subest dominio voluntatis, non determinat illam. De hac autem motione gratiæ efficacis nunc iniquirimus, an distinguatur in hoc ab habitu & à gratia sufficiẽte, quod omnino determinet voluntatem, ita vt illa posita implicet contradictionem, voluntatem non velle.

Quarto ergo modo dicitur *physica* prædeterminatio in ratione determinationis, & necessariæ connexionis inter entitatem talis auxilij, & actum secundum, ac influxum voluntatis in ipsum, duoque per illam vocem *physica* significantur, ac denotantur: vnum est illam determinationem esse simpliciter, & omnino absolutam, ita vt nulla ratione, aut modo impediri possit illa connexio. Aliud est, eamdem determinationem fieri ex vi talis entitatis sine aliquo respectu ad alias circumstantias, vel ad specialem voluntatem, aut præscientiam Dei, sed esse omnino intrinsecam, & naturalem illi entitati, seu auxilio. Quocirca ne hæreа-

hæreamus fortè in voce *physica*, qua nonnulli eiusdem opinionis vti nolunt, res ipsa spectanda est, & statuendum nihil aliud per illam indicari, nisi motionem illam talem esse, vt à solo Deo fiat in homine, & de se, & sua vi naturali ac proprietate habere effectum ita determinandi voluntatem, vt voluntas non possit resistere illi, vel vt impossibile omnino sit, voluntatem illam habere, & non consentire. Et hunc modum determinationis ita censeo sufficere, vt dicatur physica determinatio, vt licèt fingamus motionem illam præuiam & efficacem, non habere physicã, & per se efficientiam in consensum, sed per solam inhærentiam suam determinare omnino voluntatem quasi formaliter ligando, vel impediendo illam, ne posset suum influxum suspendere, id satis fore, vt sit vera & physica determinatio, quia formalis causalitas, quæ est à vera forma reali, physica est.

12. Ex his ergo satis, vt arbitror, declaratus est sensus quæstionis propositæ, neque aliquis existimet supernataneam esse tam prolixam terminorum declarationem, quia non solùm est necessaria ad vim rationum & testimoniorum penetrandam, sed etiã erit vtilissima ad expedienda, cùm longè maiori breuitate multa argumenta, & varia diuerticula præcludenda. Præterquam quòd ad intelligendum statum quæstionis, & varietatem opinionum est necessaria. Primum ergo & præcipuum punctum totius controuersiæ est, an ad efficaciam vocationis seu excitantis auxilij necessaria sit prædeterminatio physica voluntatis. in quo puncto duæ sunt opiniones extremè contrariæ, quas hîc breuiter & generatim attingam, nam postea per partes sunt fusè tractandæ.

Ad efficaciam vocationis sit necessaria prædeterminatio physica.

13. Prima opinio simpliciter affirmat efficaciam auxilij in physica prædeterminatione positam esse. Cuius fundamentum generale, omissis nunc testimonijs, est, quia non potest auxilium præuiæ motionis, seu vocationis esse ita efficax, vt infallibiliter inferat consensum voluntatis, nisi omnino inuitabiliter determinet voluntatem ad talem consensum, sed hoc non fit, nisi per physicam prædeterminationem: ergo. Minor euidens est ex declaratione data. Maior probatur, quia posito auxilio efficaci præuenienti, consecutio actus liberi non potest esse infallibilis, nisi vel ex præscientia, vel quia immutabilis est posito tali auxilio. Sed infallibilitas non potest primò & per se ex præscientia prouenire, ergo necesse est, vt eueniat ex prædeterminatione physica. Minor probatur, quia vel est sermo de præscientia absoluta, & hæc supponit præscientiam auxilij absolutè futuri, & efficaciam eius, vel præscientia conditionata, & hæc vel nullo modo datur de talibus futuris contingentibus, quæ sit omnino certa & infallibilis, antequam præsciantur absolutè futura, vel si datur necessariò supponit, sub illa conditione decretum Dei absolutum & efficax, in quo veritas illa, & certitudo fundetur, quod decretum inuoluit etiam efficaciam, quam auxilium de se habet ad determinandam voluntatem. Et quia hoc tantùm fundamento videtur præcludi via ad saluandum omne aliud auxilium præuium efficax, quod sit potentissimum medium, quo Deus exequatur absolutam prædestinationem, vel de salute electorum, vel de alijs actibus liberis, quos præfiniuit, vt iam supponimus, ideo ab Auctoribus huius scientiæ omni conatu & contentione impugnata est conditionalis scientia, quia illa è medio sublata, non supereat alius modus sufficiens efficaciæ, præter physicam prædeterminationem. Modi autem explicandi & defendendi hanc sententiam sunt multi, & auctores eius in illis non conueniunt, & aliqui non in omnibus punctis, sed in vno, vel alio consentiunt, & ideo nunc nec auctores refero, nec alia fundamenta, membratim enim in sequentibus capitibus illud præstabo.

Opinio prima.

20. Secunda opinio negat esse necessariam prædeterminationem ad efficacitatem auxilij, fundamentum est in primis à posteriori, tum quia posita huiusmodi necessitate auxilium tantùm sufficiens erit de se inefficax, ac subinde non sufficiens tum etiam quia talis ac tanta efficacitas induceret necessitatem libertati actus contrariam. A priori verò fundamentum est, quia ad saluandam veram efficaciã auxilij sufficit futura causalitis eius, quæ sit infallibilis in diuina præscientia, quam Deus sine dubio habet de huiusmodi futuris sub conditione, prius secundũ rationem, quàm talia auxilia efficacia, seu congrua distribuat. In modo autẽ explicandi hanc sententiã est aliqua diuersitas, quę postea per partes tractanda est, & ideo nunc neque auctores refero, neque fundamenta illa amplius vrgeo. Nos verò hanc posteriorem sententiã approbamus & defendimus. Et fundamentum propositum prioris sentẽtiæ euertimus demonstrando, dari in Deo certissimam & infallibilem scientiã veritatum contingentium, non fundatam ex parte obiecti in aliquo decreto libero diuinæ voluntatis, sed in veritate rei secundùm se, vt in secundo prolegomeno tractatũ est. Imò nunc addimus, non parum infirmari credibilitatem contrariæ sententiæ ex eo, quod efficaciter persuaderi non potest, nisi negando Deo quamdam scientiam valde conformem infinitæ illius perfectioni, sapientiæ & altissimæ prouidẽtiæ, nec non sanctis Scripturis & Patribus nimis consentaneam, & quæ nec demonstrari potest impossibilis, neque hactenus, vel probabiliter persuasum est.

Opinio secunda.

21. Addo denique tam certum mihi esse Deum non prædeterminare illo modo voluntates humanas, neque id esse necessarium ad piè, sanctèque operandum, vt si vel talem necessitatem prædeterminationis admittere, vel electionem absolutam, aut prędefinitionem actuum liberorum ante prędentiam eorum negare necessarium esset, potiùs dicerem hoc posterius esse negandum, quàm illud prius admittendum. Nam in doctrina fidei arctius est dari peccatoribus auxilium sufficiens ad salutem, & auxilium efficax non tollere libertatem supernaturalium, quàm sit certum dari absoluta decreta libera in Deo futuris actibus liberis ante præscientiam eorum. Et ideo si oporteret vel illa principia labefactare, admittendo tale genus prædeterminationis, vel illa decreta in illo absoluto sensu non admittere, sed aliter illa interpretari hoc potius esset eligẽdũ, quàm prius: sed cùm omnia illa dogmata vera sint, inter se non repugnat nec in eas angustias redigimur, vt alterum ex illis duobus eligere necessarium nobis sit, vt iam tetigimus, & in discursu sequentium capitum planum fiet.

CAPVT VII.

Vtrùm auxilium efficax necessarium ad piè operandum, sit positum in aliqua excitatione per se, & ex vi suæ naturæ, ac præcisè entitatis, prædeterminans physicè voluntatem ad consensum.

VT duæ sententiæ generatim relatæ prestiùs examinentur, & iudicium de illis datum verum & solidũ ostendatur, per omnes modos discurrere oportet, quibus illæ opiniones defendi solent, vel possunt, vt in illo, qui & principiis fidei magis consentaneus apparuerit, & ad resistendum hæreticis aptior, & minoribus difficultatibus implicatus fuerit, quiescamus. Circa opinionem verò de auxi-

lio

lio prædeterminante tres modi occurrunt, quibus cogitari potest. Primus quòd detur aliquis motus excitantis gratiæ qui natura sua habeat vim hanc prædeterminandi voluntatem, & ineuitabiliter illam inducendi in consensum. Secundus est, vt nulla excitatio per se ad hoc non sufficiat, sed compleatur virtus illa per aliam motionem realem distinctam ab actu præuio excitantis gratiæ, & ab actu liberi consensus, & quasi media inter illos. Tertius vt consistat in ipsa immediata productione deliberati consensus, prout ab efficaci voluntate Dei procedit, vel (quod perinde est) vt consistat in efficaci Dei voluntate, quia talē actionem volūtati hominis immittit, eamdēmque ad secum cooperandum efficaciter trahit. Ex quibus modis duo primi ad prædeterminationem in actu primo pertinent, tertius ad prædeterminationem in actu secundo, iuxta declarationem in superiori capite datam. In hoc ergo capite primum modū, qui facilior est, expedimus.

2. Dubitandi ratio.

Ratio igitur dubitandi in puncto proposito est, quia efficax præueniens auxilium positum est in aliqua excitante gratia, id est, in vocatione quadam alta & secreta & interna doctrina: ergo necesse est, vt detur aliqua excitans gratia, quæ ex se, id est, ex vi sui modi intrinseci hanc efficaciam habeat, ergo illa etiam gratia erit physicè prædeterminans voluntatem. Antecedens probatum est latè capite præcedenti ex sentētia Augustini, qui testimonijs Scripturæ illud confirmat. Nam gratia illa, de qua loquitur Christus Ioann. 6. *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me*, gratia excitans est, nam consistit in interna doctrina, illuminatione, & inspiratione, & tamen illi tribuit Christus infallibiliter effectum liberi consensus, cùm dicit, *venit ad me*, vt enim notat Augustinus lib. de grat. Christi cap. 14. non dixit Christus, *potest venire ad me, sed venit, vbi iam* (inquit) *& possibilitatis profectus, & voluntatis effectus & actionis effectus est.* Nam, vt superiùs dixerat, *quando Deus docet per Spiritus gratiam, ita docet, vt quod quisque didicerit, nō tantùm cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat.* quæ omnia pertinent ad gratiam excitantem. Idēmque confirmant omnia, quæ de efficaci vocatione capite præcedenti diximus. Consequētia verò prima probatur, quia si excitatio non haberet hanc efficaciam ex se, seu ex intrinseco modo suo, iam non ipsa erit efficax, sed aliunde proueniet efficacia ex alio principio vocationi addito, quod accidentarium esset, quod est contra proprietatem verborum Scripturæ, & Augustini. Altera etiam consequentia nota est ex declaratione data capite præcedenti, nam idem est prædeterminare, quod ex se infallibiliter effectum inferre.

Ioan. 6.

Augusti.

3.

Nihilominus in hoc puncto omnes vtriusque opinionis Auctores in hoc conuenire videntur, quòd per solas excitationes non prædeterminatur simpliciter, ac physicè voluntas, hoc in nostra sententia manifestum est, in aliorum autem opinione patet, tum quia ob eam rem, præter excitationem postulant nouam motionem prædeterminantem physicè, quia solæ excitationes ad hoc non sufficiūt Vnde Ledesma artic. 1. conclus. 1. licèt excitationibus tribuat determinationem moralem, de quo statim dicam, addit in fine illius, illam prædeterminationem non esse physicam. Tum etiam, quia isti auctores fatentur, ex duobus hominibus habentibus æqualia auxilia præuenientia excitantia, posse vnum conuerti, & non alium, si vni detur auxilium adiuuans prædeterminans, & non alteri; ergo supponunt excitantia auxilia non prædeterminare physicè. Imò. vt cap. 5. dixi, ideo negant auxilia excitantia in suo ordine esse efficax auxilium, quia illa non prædeterminant physicè voluntatem, & ipsi putant veram efficaciam in physica prædeterminatione consistere. Vt autem hæc veritas magis declaretur, & confirmetur, nonnullis propositionibus distinguenda est.

Ledesma.

Dico primò. Ad actum liberum supernaturalem efficiendum, non est necessaria excitans gratia physicè prædeterminans voluntatem. Probatur primò ex principiis superiori libro positis de gratia sufficienti. Nam Deus præbet homini, qui non conuertitur, vocationem & excitationem necessariam ad salutem, & non dat illi excitationem determinantem voluntatem eius: ergo talis excitatio determinans non est ad salutem simpliciter necessaria. Et confirmatur, quia si excitatio de se determinans voluntatem est necessaria, vt voluntas consentiat; ergo sine illa non potest consentire, ergo sine illa non habet sufficientem excitationem, & consequenter non peccat non consentiendo. Hic verò respondēri potest vulgari distinctione, scilicet excitationem determinantem esse necessariam, vt quis consentiat, non verò, vt possit consentire, & ideo sine illa habere hominem sufficientem excitationem, vt possit velle, non tamen vt velit. Sed hoc virtute impugnatum est in superiori libro, & in simili forma impugnabitur in sequentibus, quia auxilium verè sufficiens est, non tantùm ad posse, sed etiam ad velle, si homo bene illo vti velit, vt potest cum auxilio adiuuante, quia si noua vel distincta excitatio necessaria est, cùm illa non sit in potestate hominis; simpliciter & absolutè actus non est in eius potestate.

Secundò probatur assertio, ratione philosophica, quia voluntas ad actus naturalis ordinis non indiget excitatione, vel cognitione præuia naturali determinante voluntatem, vt ipsa possit, & de facto consentiat pro libertate suā; ergo seruata proportione, neque in supernaturalibus est necessaria excitatio sic determinans. Antecedens videtur certum, & satis declarari à Sapiente Eccles. 15. illis verbis, *Deus creauit hominem & posuit eum in manu consilij sui*, &c. Vbi declarat proposuisse Deum homini vitam & mortem, ignem & aquam, vt porrigat manum ad quod voluerit. Est ergo determinatio illa in manu voluntatis, licèt antecedentia consilia, vel obiecta illam non determinent. Item probatur ex modo, quo præbet homo consensum voluntatis, vel tentatione inductus, vel ad petitionem alicuius. Quis enim dicat tentationem determinare voluntatem physicè, vt omnino velit? Tentatio autem se habet vt excitans ad malum. Idemque est de petitione, nam constat experientia non statim hominem annuere petenti aliquid, & postea suo arbitrio consentire, etiamsi excitatio petentis aucta non fuerit; non ergo ipsa fecit determinationem efficaciter, sed voluntas se determinauit. Consequentia verò prima probatur, quia Deus eleuat voluntatem in supernaturalibus modo accommodato tali naturæ, & hoc est *fortiter & suauiter* illi prouidere. Item, quia eadem ratio cum proportione applicata vtrisque operibus inuenitur, vt magis ex sequenti assertione patebit.

Dico secundò. Gratia excitans prædeterminans physicè voluntatem, neque datur hominibus vocatis ad gratiam, etiamsi de facto consentiant, neque est possibilis non solùm de communi lege, verùm etiam neque ex natura rei. Prima pars probatur primò ex illis locis Scripturæ, in quibus dicitur Deum ita vocare homines, vt relinquat in potestate eorum consentire, vel resistere, vt est illud Apocalyps. tertio. *Ego sto ad ostium, & pulso*, &c. & similia; quia dici non potest in omnibus his locis esse sermonem de sola vocatione, cui resistunt omnes homines, qui illam recipiunt, sed absolutè de quacumque, quæ à quibusdam recipitur, & ab aliis reiicitur: aliàs sine causa diceret Deus, *Si quis aperuit, intrabo ad eum.* & hoc etiam

Paul. ad Ephes. 2. *Cum timore vestram salutem operamini*; & subdit rationem, *Deus enim est, qui operatur in vobis & velle, & perficere.* Duo enim coniunxit Paulus in his verbis, vnum est, homines debere operari salutem suam, aliud Deum esse qui salutem *operatur, & perficit.* Supponit ergo Paulus, non obstante præuia operatione Dei per vocationem ad hominem pertinere, & in potestate eius esse operari, suam salutem, & ideo fortasse monuit, vt cum timore & tremore operaremur, quia possumus resistere vocationi Dei, etiamsi interdum cum illa operemur.

Ephes. 2.

7. Probatur ex Conc. Trid.

Vnde secundò principaliter probatur assertio ex cap. 5. & can. 4. sess. 6. Concilij Tridentini, quibus tradit talem esse inspirationem & illuminationem Dei, vt qui illam recipit, possit illam abiicere. & eamdem vim habent verba Concilij Senonens. dicentis præuenientem gratiam non inducere necessitatem, *quia non est tale gratiæ trahenti auxilium, cui resisti non possit.* Quæ profectò loca intelligenda sunt in sensu composito, saltem respectu gratiæ vocantis, etiamsi talis sit, vt cum illa contingat de facto hominem conuerti; ergo stante tali excitatione manet in voluntate integra potestas ad non consentiendum illi: ita vt homo possit coniungere dissensum cum tali excitatione, si, vt talis est, præcise spectetur: ergo talis excitatio de se non determinat voluntatem ad consensum physica determinatione, quia hæc determinatio, vt ex terminorum declaratione constat, excludit hanc potestatem. Sed hoc testimonium & ratio in eo fundata ad omne genus physicæ prædeterminationis applicanda est, & ideo inferiùs latiùs circà illud immorabimur.

Cone. Senon.

Bannez.

nam de sola excitante gratia facilè ab aliis auctoribus admittitur. Vnde Bannez. 2. 2. q. 10. art. 1. documen. 3. circa finem, cùm sibi hoc testimonium Concilij obiecisset, adhibet primum responsum, primumque (vt ait) verum sensum Concilij, vt de auxilio excitante loquatur; illi enim secundùm se spectato resisti potest.

8. Probatur in doctrina Augustini.

Tertiò probatur in doctrina Augustini, quia id est in potestate nostra, quod si volumus facimus, si nolumus, non facimus: sed per excitantem gratiam velle constituitur in nostra libera potestate; ergo per excitationem non tollitur potestas nolendi id, ad quod excitamur, etiam in sensu composito respectu excitationis, id est, etiam stante tali excitatione. Maior traditur ab Augustino lib. 1. de lib. arbitr. cap. 12. & sequentibus, & lib. 3. cap. 1. & 3. & 1. Retract. cap. 6. & 22. Minor autem sumitur ex doctrina eiusdem Augustini lib. 3. de liber. arbitr. capite vlt. dicente, *Voluntatem non illicit ad faciendum quod libet, nisi aliquod visum: quod autem quisque sumat, vel resumat, est in potestate; sed quo viso tangatur, nulla potestas est.* Ad hunc enim modum alijs in locis de excitante gratia philosophabus videbimus. Nam per excitantem gratiam tangitur cor nostrum, ideoque non est ipsa in nostra potestate: relinquit autem in nostra potestate, tam velle, quam nolle; ergo non determinat physicè voluntatem: vnde est illud Augustini quæst. 2. ad Simplician. *Velle suum voluit esse & nostrum, suum vocando, & nostrum sequendo.* dicitur enim nostrum, quia in potestate nostra est, & in lib. 83. quæstionum q. 68. *Si quis sibi tribuat quod venerit vocatus, non potest tamen sibi tribuere quod vocatus sit.* Ergo, teste Augustino, etiam vocatio illius, qui de facto venit, non ita determinauit voluntatem eius, quia *potest sibi tribuere quod venerit.* ergo non fuit determinata eius voluntas per eius vocationem & similia sumi possunt ex Prospero lib. 2. de vocat. gent. cap. 19. alias 26. & in sequentibus discursum hunc generaliùs vrgebimus.

Aug.

Aug.

Quartò argumentor ratione naturali, supposita doctrina theologica, nam gratia excitans tota consistit, vel in illuminatione intellectus, quam Augustinus vocat internam, seu reuelationem, vel in simplicibus affectibus voluntatis, quos Augustinus vocat spiritualem voluntatem, & suauitatem, sed neutrum istorum potest voluntatem omnino determinare ad consensum; ergo sola gratia excitans non potest de se illam efficacitatem habere illo modo declaratam. Maior quoad vtramq; partem inuenitur apud Augustinum tract. 26. in Ioann. tractando & conferendo illa verba Christi. *Nemo potest venire ad me*, &c. & illa, *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit.* Vbi inter alia dicit, *Attractio est ipsa reuelatio.* & ibidem explicat tractionem per illud. *Trahit sua quemque voluptas.* & serm. 2. de verbis Apostol. dixit, *Ista suauitas ipsa est attractio*, & lib. 1. de grat. Christi cap. 13. & 14. *Si doctrina dicenda est, ita dicatur, vt altius eam Deus infundere creditur.* & lib. 2. de peccat. merit. capite decimo septimo. *Vt innotescat quod latebat, & suauiter fiat, quod delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adiuuat voluntates.* quibus verbis totam hanc gratiam reuocat *ad certam scientiam*, & *victricem delectationem*; & alia multa sumi possunt ex dictis suprà de gratia excitante.

9. Probatur ratione naturali.

Aug.

Aug.

Aug.

Minor autem quoad priorem partem de actu intellectus manifesta est ex alio principio Theologico, quòd intellectus in hac vita non habet potestatem determinandi voluntatē ad vnum. nam illa esset necessitas quoad exercitium, saltem in sensu composito, quæ in hac vita impossibilis est ex sola suppositione actus intellectus, nisi præcedat actus voluntatis, in quo talis determinatio fundetur, vt est notum in doctrina D. Thomæ 1. 2. q. 9. & 10. & 13. & 1. p. q. 82. & in Philosophia etiam, seu Metaphysica manifestum est, quia est ad libertatem necessarium. Nam intellectus non est potentia libera, sed naturaliter apprehendit, aut iudicat: ergo si aliquando liberè assentitur, oportet vt à voluntate moueatur. In actu ergo intellectus, qui antecedit omnino voluntatem, non est libertas, quod maximè notum est in actu gratiæ excitantis, de quo tractamus, vt ex suprà dictis patet; ergo ad libertatem voluntatis necessarium est, vt per illum actum intellectus non determinetur ad vnum, illa enim determinatio esset ab intrinseco, quia motio voluntatis per illum actum intrinseca est, ergo illa determinatio esset necessitas repugnans libertati. Et ideo etiam in Deo ad saluandam libertatem eius circà obiecta secundaria suæ voluntatis necessarium est, vt per suam infinitam scientiam non determinet voluntatem suam ad illa obiecta, sed quòd ipsa se determinet, vt ex D. Thoma 1. p. q. 19. suprà retuli.

10.

D. Thom.

Ratio denique à priori est, quia duo sunt in actu intellectus, vnum est actus ipse, aliud est obiectum eius: actus ergo ipse non habet peculiarem vim determinandi voluntatem, quia non mouet illā, nisi quatenus illi obiectū applicat, nec ratione sui habet aliam efficaciam, vt est verior sententia, & quamuis haberet, illa deberet esse subiecta dominio voluntatis, alias non liber, sed naturalis esset progressus in actibus harū facultatum, sicut est inter phantasiam & appetitum. Obiectum autem solum determinat voluntatem, quando infinitum est bonum, & quando ità proponitur, vt in carentia amoris illius nulla ratio boni repræsentari possit. Et hac ratione dixit D. Thomas voluntatem in hac vita non necessitari ab obiecto ad exercitium actus, sed in sola clara Dei visione, vbi per talem determinationem simpliciter necessitatur voluntas ad Dei amorem. Ad beatitudinem verò in communi dicit idem D. Thomas voluntatem determinari, seu necessitari quoad specificationem, quia in

11. Ratione denuò confirmatur.

illo obiecto nulla ratio mali apprehendi potest. Ad alia verò bona particularia, neque isto modo determinatur voluntas in hac vita quoad exercitium, nisi in actibus indeliberatis, vel nisi homo impediatur, ne alias rationes boni & mali considerare valeat, quod non est necessarium ad gratiam excitantem, neque ad efficaciam gratiæ, aliàs non posset homo per gratiam efficaciter moueri ad eligendum inter bonum, & malum, vtraque ex parte sufficienter considerando, vel stante libertate, & potestate considerandi illud, quod manifestè falsum est, & contra modum loquendi Scripturæ de vsu libertatis, & contra efficacitatem & excellentiam gratiæ. Ergo excitans gratia ex ea parte, qua ad intellectum pertinet, nunquam determinat voluntatem quoad exercitium, & rarissimè quo ad specificationem. Fortasse enim aliquando ex priuilegio id conceditur, tunc autem qualis fuerit determinatio, erit etiam necessitas, vtique quoad specificationem, nam oportet vt tollatur potestas, & consequenter libertas cogitandi alia, quæ ad contrarios actus, vel specie diuersos, possent inducere.

12. Probatur pars secũda de actibus voluntatem excitantibus.

Superest probanda altera pars de actibus voluntatem excitantibus. Probatur autem, quia actus gratiæ excitantis in voluntate, solùm est quidam simplex effectus, qui solet vocari velleitas: hic autem actus non potest determinare voluntatem ad plenum & absolutum consensum, seu, (quod idem est,) non potest necessitare illam quoad exercitium ex sola suppositione talis motionis, quia neque habet cum illa cecessariam connexionem, neque perfectionem illi æqualem. Et declarari potest primò ex testimonio Augustini illis verbis.

Declaratur.

——*Trahit sua quemque voluptas,*

Augustin.

nam illa attractio qua solet delectatio inducere voluntatem, non est necessitas, nec determinatio ad vnam, sed solum inclinatio quædam, & propensio, sed similis est motio gratiæ excitantis, etiam efficacis, teste Augustino, vt patet etiam exemplis eius, *Nuces ostendis puero, & trahis illum: oui ostendis ramum, & trahis illam.* Nam in his etiam vsu rationis carentibus non semper, vel non statim talia obiecta ostensa determinant: quoad exercitium, ergo multo minùs excitationes indeliberatæ voluntatis, vel simplices affectiones, aut delectationes determinant liberam voluntatem ad vlteriorẽ consensum. quod tandem declaratur ac confirmatur ex principio cõmuni Theologorum cum D. Thoma 1. 2. q. 13. 2. 6. ad 1. quòd dilectio finis non determinat voluntatẽ ad electionem etiam medij vnici & necessarij, nisi ipsa sit efficax & absoluta; quia si tantùm est cõditionata, aut desideriũ quoddam, non habet efficaciam mouendi eãdem voluntatẽ ad actũ absolutũ; qualis est electio, sicut etiam voluntas ipsa non mouet intellectum, vel aliàs potentiam per *vellem*, sed solùm per *volo*. Cùm ergo isti motus gratiæ excitãtis sint solùm velleitates simplices, non possunt determinare omnino voluntatẽ ad plenũ consensũ. Tandem isti motus gratiæ excitantis, cùm naturales sint, id est, necessarij, non procedunt ex perfecta deliberatione, nec ex dominio voluntatis: consensus autẽ debet esse deliberatus, vt ex dominio voluntatis; ergo non potest sequi necessaria illatione, seu intrinseca cõnexione ex illis motibus, ergo illi nõ determinant dicto modo vulũtatẽ ad consensũ.

D. Thom.

15. Corollarium.

Quintò hinc colligere possumus rationẽ aliam, quia si gratia excitãs, vt talis est, determinaret physicè voluntatem, planè simpliciter necessitare necessitate sine vlla tergiuersatione cõtraria libertati: certũ autẽ est non necessitare hoc modo; ergo. Maior probatur, quia illa non esset necessitas ab extrinseco, in qua solent quæri diuerticula, quæ postea expendemus, sed esset ab intrinseco, quia esset ex solo iudicio rationis, vel ex intrinseca connexione actuum voluntatis inter se: ergo esset necessitas absoluta contraria libertati. Probatur consequentia, nam primò si illa determinatio voluntatis proueniret ab intellectu, res est clara, quia neque ex parte iudicij rationis esset indifferentia, quia iudicium sine indifferentia fieret, cũ præcedat voluntatem, & non relinqueret indifferentiam in actu voluntatis; quod adeò est necessariũ ad libertatem, vt auctores oppositæ sententiæ in indifferẽtia iudicij libertatẽ constituãt; ergo si voluntas determinatur à cogitatione sancta, quæ in intellectu præcedit iam illa cogitatio nõ relinqueret voluntatẽ indifferentẽ. Imò intelligi non posset talis determinatio aliunde prouenire quoad exercitiũ actus, nisi ex intrinseca natura & cõditione volũtatis, quia cogitatio nõ mouet, nisi secundùm modum intrinsecum & connaturalem intellectui & voluntati; illa ergo necessitas consequentiæ, esset necessitas ab intrinseco, & cõsequenter necessitas simpliciter. Vnde hac ratione determinatio volũtatis ad amandũ in patria dicitur esse necessitas simpliciter contraria libertati, quia prouenit ab intrinseco ex natura taliũ actuũ, & talis obiecti: & motiones indeliberatę volũtatis sunt necessariæ simpliciter, quia ab intrinseco habent illam necessitatem suppõsita tali repræsentatione obiecti; ergo idem esset in ipso consensu, si per sanctam cogitationem omnino determinaretur. Atque idem facilè probari potest de actibus voluntatis inter se, quia motus gratiæ excitantis, vt dixi, necessarius simpliciter est; ergo si ex illo necessario sequeretur consensus necessitate consequentiæ, illa etiam esset necessitas consequentis, quia esset ab intrinseco ex natura voluntatis, vel talium actuum eius, esset ergo necessitas simpliciter. Sicut dicunt Theologi ex absoluta intentione finis sequi necessario electionem medij si vt vnicum & necessarium proponatur, & consequenter, si intentio esset naturalis, id est, non libera etiam electionem fore simpliciter necessariam, quia est intrinseca consecutio ex natura voluntatis: ita ergo esset in præsenti.

Sed quæres an saltem de potentia absoluta dari possit gratia excitans quæ hoc modo voluntatem physicè prædeterminet. Respondeo breuiter duobus modis posse intelligi præuiam motionem vitalem, & excitantem determinare physicè voluntatem vno modo, relinquendo illam suæ naturæ, seu connaturali causalitati: alio modo eleuando illã per Dei omnipotentiam, vtendo scilicet illa vt instrumento ad impellendam physicè, & cum omni determinatione voluntatẽ ad consensum. Dico ergo repugnare dari excitantẽ gratiam quę priori modo determinet physicè voluntatẽ. Ratio est, quia isti præuij motus excitãtes qui in intellectu, vel voluntate ante vsum libertatis præcedũt ex se & natura sua, non habent hanc vim, vt rationes factæ probant: ergo per solos illos non potest necessitari voluntas si Deus eos suo connaturali modo operari & mouere volũtatem sinat, quia illi actus suæ naturæ relicti non possunt immutare connaturalẽ modum operandi voluntatis, nec inducere necessitatem ab intrinseco, qualis illa esset, vt ostensum est. Dicunt verò aliqui posse Deũ tunc suspendere concursum ad omnẽ alium actũ quo voluntas posset resistere tali excitationi, & tunc aiunt necessariũ esse si voluntas consentiat; quia licèt libera sit ad efficiendum hũc, vel illũ actũ propósito obiecto, nihilominus necessariò aliquẽ efficit, nec potest suspendere omnẽ actum. Respondeo primò præmissa hac hypothesi & non cõcessa iam ibi immutare Deum ordinẽ connaturalis prouidentiæ, & deinde illũ effectum non sequi ex gratia excitãte, sed ex intrinseca determinatione volũtatis, cuius natura esse dicitur, vt non possit actũ suum merè negatiuè, vt dicitur, vt non possit actũ suum merè negatiuè, vt dicatur

Obiect.

Respon.

dicam, suspendere: vnde suppositis illis principiis, illa non esset determinatio ab intrinseco, sed necessitas quædam quoad exercitiũ contraria libertati. Quæ, (consequenter loquendo,) non minus fieret per qualibet propositionẽ vnius obiecti boni cum ablatione cõcursus ad suspendendũ actum nolẽdi.

Resp. 1. Respondeo verò secundò ex illa hypothesi solùm sequi necessitatẽ quoad specificationem, non verò quoad exercitium, quia falsa est illa sententia quæ dicit propositio obiecto non posse voluntatem suspendere omnẽ actum, sed necessaria ad aliquem in cõfuso, quia non est maior ratio de tota collectione actuũ, quam de singulis: vnde licèt Deus negaret concursũ ad alios positiuos actus in prædicto casu, non necessitaretur, vel determinaretur voluntas ad eliciendũ consensum, quia illum potest suspendere virtute suæ libertatis, quæ non immutatur propter impotentiam eliciendi alios actus, quæ sequitur ex hypothesi negationis, seu carentia concursus.

15. Alia solutio. Nihilominus verò dico posse Deum de potentia absoluta vti excitatione vt instrumento ad determinandum voluntatem. Probatur, quia sicut potest vti aliis rebus, vel motionibus vt instrumentis physicis ad efficiendum aliquid supra naturã illorum, ita potest vti illa excitatione ad efficiendũ in voluntate actum consentiendi tanta vi & efficacitate (vt voluntas non possit illi resistere: si autẽ hoc faciat, Deus determinabit physicè voluntatem per illã motionem: hæc autẽ prædeterminatio voluntatis reuera esset quædam absoluta necessitas voluntatis, vt in sequentibus probabo. nam eadem est ratio de hac determinatione facta per hoc instrumentũ, vel per quamlibet aliam motionẽ, vt per se notum videtur. Quocirca sicut suprà prolegom. 2. diximus, posse Deum necessitare voluntatem, ita nunc dicimus posse id facere miraculosè per illam excitationẽ & hanc vocamus determinationẽ. Vetũ tamen, sicut ibi diximus non posse volũtatẽ hominis necessitari per solã voluntatẽ extrinsecã Dei, nisi extrinseca actio, vel mutatio in ipsa voluntate sit maior, vel alterius rationis, ita nũc dicimus per excitationẽ non posse voluntatẽ hominis necessitari, nisi eleuetur ad nouũ modũ agendi, alioqui vel non fiet talis determinatio in voluntate, vel non fiet per excitationem, sed ad præsentiam eius Deus per seipsum, vel per aliud principium illam faciet.

Probatur.

Ad rationem dubitandi negatur consequentia: nam esto verũ sit vocationem ipsam seu excitationem esse efficacem, nihilominus quando talis est, non habet illã efficaciam ex intrinseca determinatione, quam ad efficiendũ cõsensum habeat, sed solum quia ita datur vt infallibiliter illũ efficiat, quæ infallibilitas non oritur ex sola natura, seu entitate talis actionis: quomodo autem illi conueniat, discursu sequentium capitum explicandum est, nam hoc in omni sententia locum habet, vt videbimus.

16. Impugnatur ratio dubitandi.

CAPVT VIII.

Vtrùm excitans gratia per seipsam, & natura sua determinet saltem moraliter voluntatem, ideoque talis efficacia auxilij excitantis ad actus liberos & sanctos voluntatis necessaria sit.

1. Affirmatur quæstio. Aluar. Ledesma.

PArtem affirmãtem huius quæstionis insinuant multi ex auctoribus allegandis capite sequenti, expresseque tradunt illam Aluar. disp. 3. concl. 1. & Ledesma dicta q. art. 1. conclus. 1. & generaliter eam attribuit suis Theologis, signatim veri allegat Ioannem Vincentinum, qui putat illam certissimam in Theologia. Tribuit etiam Driedonilib. de Concord. p. 2. c. 3. sed ibi nihil de prædestinatione morali docet, sed solùm de necessitate præuiæ motionis per gratiam excitantem tractat, quæ longè diuersa est, vt infrà dicam. Deinde Ledesma ad suæ sententiæ probationem in primis allegat & inducit ea, quæ in principio quæstionis pro conclus. 3. id est pro determinatione generatim attulerat, illa enim ait, ad minus de morali prædeterminatione conuincere. Ibi autem adduxerat locutiones Scripturæ, quibus dicitur Deus vel inclinare corda hominum, vel immutare illa, vel attrahere, vel facere vt velint, & faciant & offerre cor lapideum, & dare cor carneum. Item illa in quibus dicitur Deus causa nostrorum actuum, & incipere ac perficere nostrum velle, nam est causa, inquit, per suum auxilium; ergo illud debet esse præuium, antecedens & efficaciter prædeterminans, &c. Ac denique illa, in quibus soli Deo tribuitur salus hominis, vt illud, *non est volentis*, &c. & ad hunc modum inducit loca similia Patrum & Conciliorum, quæ nunc superuacaneum est referre, quia nec peculiarem vim habent, & in sequentibus repetenda sunt.

Driedo

Postea verò eadem testimonia inducit per rationes Theologicas, & obiter ponit duo principia notatu digna, in quibus inductio nititur. Vnum est, illa omnia quæ Scriptura docet, non posse fieri per gratiam sufficientem, nam hæc solùm dat virtutem & potestatem: quæ autem Scriptura docet, significant actualem efficientiam Dei in nostros actus. Secundum principium est, cum, qui habet auxilium sufficiens, non habere actualem inclinationem ad opera supernaturalia, sed tantùm habitualem: nam illud auxilium habet rationem virtutis & potentiæ, Scriptura autem loquitur de inclinatione actuali, dum dicit, Deum inclinare cor nostrum, & similia. Reliqua quæ in discursu octo rationum dicit, nihil habẽt peculiare de prædeterminatione morali, & ideo illas nunc prætermitto. In altero verò loco applicat priores rationes, supposito generali fundamento quòd sit necessaria diuina prædeterminatio, inferendo illam debere esse necessariò moralem. Primò, quia Deus debet præmouere, & prædeterminare voluntatem iuxta illius naturam: voluntas autem est moraliter operans, & ideo natura sua postulat moralem inductionem per mentis illustrationes, & pias affectiones antequam physicè prædeterminetur; secundò & ferè in idem redit, quia prædeterminatio physica debet fieri tali modo, vt non tollat libertatem: ad hoc autem necesse est, vt præcedat prædeterminatio moralis; ergo est æquè necessaria. Probatur minor, quia vt prædeterminatio physica non tollat libertatem, necessarium est, vt fiat iuxta naturam ipsius voluntatis: hoc autem non haberet nisi præcederet prædeterminatio moralis; ergo. Tertiò voluntas efficit suum actum & physicè & moraliter: ergo vtroque modo debet prædeterminari à Deo, hoc enim necessarium est, vt omnibus modis verũ sit Deum operari in nobis opera nostra, & facere, vt faciamus illa.

2. Principia notatu digna.

Priusquam sententiam meam proferam, duo in superioribus animaduersa in memoriam reuocare necesse est: Primò cauendam esse æquiuocam transitionem à verbo *præmouendi* ad verbum *prædeterminandi*, & è conuerso, ac si essent æquipollentia, cùm reuera sint longè diuersa. nam *præmouere* latiùs patet, quam *prædeterminare*, & prædeterminatio includit præmotionem, & addit aliquid, nimirum quòd motio talis sit, vt aliquo modo infallibili inducat voluntatem ad consensum, faciendo illam velle; vnde ferè ita se habent præmotio, & prædeterminatio, sicut gratia præuia sufficiens & efficax, nam sufficiens præmouet, sed non requirit illam connexionem cum effectu; efficax verò &

3. Aduertendum circa verba præuenti, mouendi, & prædeterminandi.

præmouet, & habet illam connexionem cum effectu, & inde dicitur efficax. Vnde si habeat illam connexionem vi sua, & in actu primo, dicitur etiam prædeterminare. In præsenti ergo non mouetur quæstio de præmotione; plus enim quàm certum esse supponimus, & præmotionem gratiæ esse necessariam ad singula opera pietatis, & primum omnium esse necessariam præmotionem moralem, quam facit gratia excitans per se, & per vim supernaturalem sibi connaturalem, & innatam, vt latissimè in lib. 2. & 3. declaratum, & probatum est; quod ergo inquiritur est, vtrùm necessarium sit hanc gratiam excitantem in tali gradu, modo, vel entitate dari, vt non solùm præmoueat, sed etiam vi sua intrinseca prædeterminet voluntatem, ita illam præmouendo, vt in actu primo illam prædeterminet, saltem morali modo.

4. Alterum ad tertendum circa prædeterminationem.

Secundò aduerto prædeterminationem moralẽ duplicem cogitari posse, vna est quę solùm dicatur moralis, quia fit per causalitatem, seu motionem moralem; in reliquo verò tam infallibiliter inferat effectũ, quã prædeterminatio quæ physica dicitur, ita vt omninò repugnet, & contradictionẽ implicet poni in voluntate talem motionem moralem præuiam, & nõ sequi cõsensum, seu simul poni motionẽ illã cum carentia cõsensus. Altera prædeterminatio dici potest moralis, quia non solùm in modo causalitatis, sed etiã in gradu certitudinis, (vt sic dicam,) quoad obtinendũ cõsensum moralis dicitur, quia nõ est tam necessaria, vel infallibilis connexio vt intrinsecè repugnet, vel contradictionẽ implicet separari talem præmotionem moralem ab effectu, seu cum negatione illius componi, licèt moraliter, & humano modo procedendo id non contingat.

5. Assertio.

Dico primò ex vi gratiæ excitantis quantumcumque abundantis & perfectæ in suo genere, & per se, ac ex sola sua virtute, & causalitate spectatæ, nunquam potest voluntas ita prædeterminari ad actum consentiendi tali excitationi absolutè & simpliciter, vt repugnet illam excitationi resistere. Hanc assertionem posui in lib. 3. de auxiliis, & mihi illam probant omnia adducta in præcedenti capite: nam siue talis prædeterminatio vocetur physica, siue moralis, siue absolutè & simpliciter talis sit, vt in voluntate non maneat potestas illi resistendi, procedunt omnes rationes ibi adductæ. Primo, quia Concilia sine limitatione docent posita excitatione posse hominem dissentire si velit: cui vniuersali distinctioni non possumus authoritate nostra exceptionẽ, vel limitationem addere. Et ad hoc confirmandum valent plurimum quæ de vocatione Pauli differit Chrysostomus in tom. 3. homil. de ferendis reprehensionibus, & vocat. Pauli: nam si quæ excitatio posset prædeterminare illo modo voluntatem, maximè certè vocatio Pauli: negat autem Chrysostomus illo in loco voluntatẽ Pauli fuisse ita determinatam per illam vocationẽ, vt illa posita, aliud velle non posset, nam licèt non vtatur verbo *prædeterminandi*, sed verbo necessitatis, aut coactionis, re tamen vera eundem sensum intendit, eò enim tendunt omnia exempla & comparationes, quas adducit in commendationem liberi, & plenè voluntarij consensus Pauli, & omnia inutilia essent, & nullius momenti, nisi in eo sensu loqueretur, quod non latiùs pondero, vt prolixitatem vitem, maximè cùm in sequẽtibus multa similia expendenda sint: rogo autem studiosum Theologum, vt locum illum attentè legat & consideret.

Probatur primò.

Chrysostom.

6. Probatur secundò.

Secundò probatur assertio discursu facto in præcedenti capite; quia in motu excitante per se spectato nihil est habens vim determinandi voluntatem simpliciter, & per causalitatem physicam, ergo multo minus per causalitatem moralem, quæ ex suo genere minus potens est ad prædeterminandã in actu primo voluntatem, quia tota motio gratiæ excitantis est, vel ex parte obiecti, vel per quandam sympathiam potentiarum animæ, vel actuum eius: in neutro autem horum inuenitur infallibilis connexio ex vi talium actuum, vt ibi probatum est. Vnde si aliquando vel intellectus determinat voluntatem, vel vnus actus voluntatis determinat ad alium, non est propter solam moralitatem, sed propter physicam causalitatem, vel quia voluntas ex se habet talem determinationem ad tale obiectum, si sufficienter proponatur. Ita videre licet in visione diuinæ essentiæ, quæ determinat voluntatem ad exercitium amoris Dei. Namlicèt, vel verius sit, nec visionem, nec essentiam visam, vt obiectum amabile est per physicam efficientiam mouere voluntatem, nihilominus vel ipsa motio obiectiua & finalis quatenus in suo genere causalitas physica est, habet illam vim propter eminentiam obiecti, vel, (quod facilius intelligitur,) ipsa voluntas naturâ suâ est determinata ad summum bonum, & per charitatis habitum cum eadem determinatione eleuatur, & ideo talis prædeterminatio physica est sicut etiam prædeterminatio quo ad specificationem ad habitudinem in communi sufficienter agitatam, ac propositam physica est, prouenit enim ab intrinseco ex ipsa natura voluntatis. At verò quando voluntas per actum intensionis absolutæ finis determinatur simpliciter ad electionem medij necessarij, illa etiam prædeterminatio alia ratione physica est, quia inter illos actus est connexio omnino necessaria, vt probabilius creditur, fundata in physica efficientia actus intentionis circa actum electionis quæ efficientia ibi est quæ est determinata ad vnum ex natura talis actus, & fortasse etiam ex natura ipsius potentiæ, ab intrinseco determinatur ad volendum obiectum quod sub ratione boni necessarij propon tur: tale autem repræsentatur vnicum medium supposita absoluta finis intentione. Itaque in voluntate rationis nunquam potest esse ex vi obiecti, vel præuij actus, aut excitationis absoluta prædeterminatio moralis in eo gradu infallibilis, ac necessariæ connexionis, quin ibi intercedat prædeterminatio physica: ostensum est autem per solam excitantem gratiam non posse voluntatem physicè prædeterminari; ergo nec moraliter potest in eo gradu.

Atque hinc vrget etiam in præsenti altera ratio tacta in capite præcedenti, quia tanta prædeterminatio moralis necessariò includeret necessitatem simpliciter libertati actus contrariam, sed non obstante quacunque gratia excitante actus voluntatis est liber, vt supponimus; ergo per talem gratiam non prædeterminatur moraliter voluntas in illo gradu. Maior patet ex declaratione facta, quia vbicunque intercedit determinatio prouenit ab intrinseco ex interna determinatione potentiæ ad tale obiectum: determinatio autem ab intrinseco inducit necessitatem contrariam libertati sine controuersia, & ita est in amore Dei clarè visi, & suo modo in affectu beatitudinis in communi, & in consuetudine electionis necessariæ ex efficaci finis intentione. Nam si quæ manet ibi libertas, est in perseuerando in intentione, ac si intentio esset omnino præueniens ac necessaria in determinatione ad electionem absoluta necessitas esset, quia ea in intrinseco, vt declaraui. Cùm ergo gratia excitans quæ datur viatoribus, non ponat aliquid in homine quod ab intrinseco determinet quo ad exercitium voluntatem eius, quia nec ex parte obiecti ita determinat, nec ex connexione actuum, vt satis declaraui, sequitur ex se non posse simpliciter,

Influxus

citer, & cum connexione omnino infallibili ex vitalis motionis prædeterminare voluntatem.

Dices assertionem hanc repugnare dictis in c. 6. ibi enim diximus excitationem posse esse auxilium
Refugium. prævenies simpliciter efficax: auxiliũ autem simpliciter efficax effectum infert omnino infallibiliter, quo modo ergo nunc negamus posse solam gratiam excitantẽ hoc modo prædeterminare voluntatem? Item aliqua gratia excitans dari potest ex voluntate Dei absoluta intendentis hominis conuersionem; ergo talis excitatio prædeterminabit
D. Thom. simpliciter voluntatem, saltem moraliter, quia, vt dicit D. Thom. si de intentione Dei mouentis est, vt homo conuertatur, infallibiliter conuertetur: nam
Respõdetur voluntati eius quis resistet? ergo. Respondeo ad priorem partem, dictum quidem esse aliquam excitationem, seu vocationem esse efficacem, non est tamen dictum aliquam vocationem esse prædeterminantem: hæc enim duo sunt diuersa, vt capite præcedenti dixi, & in sequentibus latè ostendam, & ideo potest esse vocatio efficax, & non prædeterminans simpliciter siue physicè, siue moraliter. Item dictum est c. 6. vocationem aliquam esse efficacem, sed non est dictum de se, & ex vi suæ entitatis, & obiecti, & ideo ex hac etiam parte non est præsens doctrina superiori contraria. Vnde ad alteram partem respondetur in primis etiamsi consequẽtia admittatur, non esse contradictoria, quia in eo casu solum sequitur excitantem gratiam prædeterminare voluntatem, & adiuncta voluntati Dei, non ex vi solius excitationis, ac subinde tunc Deum per talem voluntatẽ aliquid actiuitatis adiungere vltra totam causalitatem connaturalem tali gratiæ excitanti, siue vtendo illa, vt instrumento, siue ad præsentiam eius immediatè operando efficaciùs, quod siue sit verum, siue falsum, non est contra assertionẽ. Secundò verò respondetur negando consequentiam, quia, vt dixi, aliud est infallibiliter facere, aliud prædeterminatè, & ex illa voluntate, seu intentione Dei absoluta solùm sequitur quod illa excitatio infallibiliter consequetur effectum, non verò quòd prædeterminet, quia primum sufficit vt voluntati Dei nemo resistat, quia Deus non intendit per illam voluntatem suam, vt nostra voluntas prædeterminetur, sed vt conuertatur.

9. Altera assertio. Dico secundò. Excitans gratia talis ac tanta esse potest, vt ex se prædeterminet moraliter voluntatem, cum morali scilicet connexione, & consecutione, quæ licèt physicè deficere possit, vel nunquam, vel rarissimè deficit. Hanc assertionẽ damus priori sententiæ, & illam posui in lib. 3. de auxiliis c. 10. probarique potest facilè, quia quidquid non repugnat fieri per excitãtem gratiam, potest Deus facere per illam, dando nimirum excitationem accommodatam ex natura sua ad talem effectum, sed voluntatem nostrã prædeterminari moraliter per excitationem præuiam, non inuoluit vllam repugnantiam; ergo melius & maximè poterit id fieri per excitationes gratiæ. Minor probatur, quia id repugnat libertati actus; ergo non est. Vnde aliàs repugnet: neque enim aliud principium repugnãtiæ in hac materia excogitatum, neque arbitror excogitari posse. Antecedẽs probatur, quia hæc moralis prædeterminatio, vt à nobis explicata est, nec inducit absolutam necessitatem, nec tollit potentiam resistendi etiam in sensu compositò, id est, potentiam componendi dissensum cum tali excitatione; ergo non repugnat libertati. Secundò probatur eadẽ minor inductione, quia multa facimus, & omittimus liberè, ad quæ sumus illo morali modo prædeterminati: nam in his, ad quæ magna consuetudine, vel inclinatione ducimur quando occasio magna offertur, & attentè cogitatur, & sine peculiari difficultate proponitur, quandam moralem prædeterminationem experimur, & ita illa operamur, vt vix possimus, moraliter loquendo, aliud facere, & ita communiter de his dicimus non posse nos aliud facere; quæ impotentia interdum ita est, vt vix aliud vnquam velimus, quãuis reuera possimus. Item hoc probant exempla mirabilium conuersionum; quas Deus per suam gratiã facit ex magnis peccatoribus magnos Sanctos subitò efficiendo: nam, vt id faciat fortiter & suauiter, provt decet prouidentiam Dei, per huiusmodi fortem excitationem fieri dubium non est, pro vt de vocatione Pauli sentit Augustinus lib. de grat. & lib. arbitr. cap. 5. *Augustin.*

Hanc etiam partem confirmaui in dicto libro de auxiliis exemplo grauissimæ tentationis hominis, quæ moraliter determinat liberum arbitriũ, si gratia desit. quod exemplum aliqui reprehendunt, illudq; adeo sinistrè interpretati sunt, vt mihi obiecerint, quòd asseruerim non habere Deum maiorem virtutem ad prædeterminandam voluntatem ad bonum, quàm dæmonem ad malum. Respondemus autem in primis exemplum illud & modũ explicandi hanc causalitatem moralẽ sumptum esse à nobis ex Patribus, primùm ex August. lib. de grat. & lib. arb. c. 21. cuius hæc sunt verba vltima. *Sitamen potens est,* (scilicet Deus) *siue per Angelos bonos, vel malos, siue quocunque alio modo, operari etiam in cordibus malorum pro meritis eorum, quorum malitiam non ipse fecit, sed aut originaliter tracta est ab ipso Adamo, aut creuit per propriam voluntatem, quid mirum est si per Spiritum sanctum operatus in cordibus electorum suorum bona, qui operatus est vt corda ipsa essent ex malis bona.* Ecce vtitur Augustinus eodem argumentandi modo. Et vt argumentum sit efficax, necesse est vt sit vniuocus sermo, (vt sic dicam,) de modo operandi in cordibus hominum, vt de genere moralis illatio fiat, quia per Angelos bonos, vel malos non aliter voluntas nostra mouetur. 10. Respõsio. *Augustin.*

Secundò vsus est illa comparatione Hieronym. lib. 2. contra Iouinianum, non longè à principio. eumque refert D. Thom. 1. 2. q. 80. art. 1. argum. 2 & q. 3. de Malo art. 3. arg. 14. verba Hieronymi sunt, *Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad vitia necessitate trahimur, alioqui vbi necessitas est, nec corona nec damnatio est. Sicut in bonis operibus perfectio est Deus, non enim est volentis, neque currentis, sed miserentis & adiuuantis est Dei, vt peruenire valeamus ad calcem, sic in malis atque peccatis semina nostra sunt incentiua & perfectio Diaboli.* quæ verba ita exponit D. Thomas, vt pro nobis etiam respondeat: obiecerat enim ex verbis Hieronymi sequi tam verè & propriè esse Dæmonem causam mali, sicut est Deus causa boni. Respondet autem, *Quòd similitudo illa non tenet quantum ad omnia: nam Deus est author bonorum nostrorum operum, & sicut exterius persuadens, & sicut interius mouens: Diabolus autem non est causa peccati, nisi vt exterius persuadens, vt ostensum est.* Vt ergo illa cõparatio, seu argumẽtatio cõueniẽter fiat, nõ oportet vt sit æqualitas in modo in quo Deus & dæmon suadẽt, sed satis est quòd sit aliqua similitudo in hoc quod vterq; suadet. Sicut ergo falsò imponeretur Hieronymo quòd dixerit, non aliter Deum esse causam boni, quàm dæmon sit causa mali, ita & nobis immeritò attribuitur. 11. *Hieron.* *Thom.*

Tertiò idem D. Thomas sect. 5. in Ioannem, vt explicet trahendi modũ Patris ad Filium, quẽ dicit *esse congruum, quia trahit releuando & docendo,* alia comparatione æquiualente, vel etiam inferiori vtitur. *nam aliquis homo,* (inquit,) *trahit aliquem suadendo ratione, & hoc modo Pater trahit homines ad Filium, demonstrando eum esse Filium suum, vel per internam inspirationem, vel per miraculorum operationem,* &c. Et infrà vtitur exemplo Augustini de obiecto delectabili, quod appetitum attrahit, iuxta illud. 12. *Idem D. Thom.*

Trahit sua quemque voluptas.

Sicut ergo ex his comparationibus non licet inferre, Deum non aliter trahere, quàm homo, vel obiectum extrinsecum trahat, ita neque ex altera comparatione inferri potest.

13. *Soto.* Præterea inter modernos auctores vsus est priori comparatione Script. lib. 1. de natur. & grat. c. 16. dicens, *quòd autem Deus aliquo modo illuminet, inspiret, & tangat corda nostra, patet similitudine tentationis ad malum*, & ad hoc inducit sequentia verba Augustini: *Fatendum est ex superioribus, & inferioribus visis animum tangi, vt rationalis substantia sumat ex vtroque quod voluerit, & ex merito sumendi vel miseria vel beatitas subsequatur.* Vbi est etiam obiter aduertendum, interdum vti Augustinum voce inspirationis ad explicandam dæmonis suggestionem; sic enim ait 4. de Trinit. cap. 12. *Diabolus suæ societati malignos affectus inspirat*, quem interpretans D. Thomas q. 3. de Malo art. 3. ad 2. ait, *Dicendum quòd Diabolus inspirat homini affectum malignum per modum persuadentis.* Ex quibus non licet inferre æqualitatem in modo vel efficacia inspirationis. Denique Bellarminus lib. 4. de grat. & liber. arbitr. cap. 22. ex efficacia humanæ eloquentiæ ad flectendam voluntatem alterius hominis sumit argumentum ad declarandam efficaciam internæ suasionis ad inclinandam voluntatem hominis quo ipse voluerit.

August. — *Aduertendum.* — *D. Thom.*

Igitur nostra argumentandi ratio nec noua est, aut perigrina, nec in ea indicatur Deum non aliter mouere quàm dæmonem. Neque enim hoc ad argumenti efficaciam, vel conuenientiam necessarium est, quin potiùs quanto excellentiori, & multiplici ac variò modo potuerit Deus mouere hominis voluntatem, quàm Dæmon, tantum erit argumentum efficacius, nam à minori, seu à fortiori sumptum est. Si enim dæmon per solam exteriorem suasionem tantam habet vim, quomodo non habebit Deus maiorem & maximam, cùm & exterius, & interius perfectiori modo persuadere possit. Quem sensum in dicto cap. 10. sic concludendo expressimus. *Ergo multo magis potest Deus sua excitante gratia illuminare hominem, & affectum eius inclinare, & accendere, vt moraliter eum ad consentiendum trahat ac determinet.* Et in cap. 14. ex eodem antecedenti ita infertur. *Multo ergo excellentiori modo potest Deus accommodare homini vocationem congruam.* Non ergo fit argumentum ab æquali, sed ab inferiori, vel, vt expressè dicitur in d. cap. 14. num. 16. fit argumentum *à fortiori*, quia (vt ibidem subditur,) *multo est potentior diuina gratia*, & plures modos nouit Deus inclinandi & trahendi voluntatem.

14. *Auctoris argumentãdi ratio.*

15. Deniq; eodem lib. 3. de auxiliis cap. 11. explicando verbum *trahendi*, Ioan. 6. de morali tractione & persuasione, quæ est explicatio Augustini, & D. Thomæ ibidem, illàm declarauí per aliud testimoniũ Apocalyps. 12. vbi dæmon dicitur *trahere*; quod etiam de tractione per suasionem declarauit Tho. non Angelicus, sed Anglicus ibi, & D. Thomas dicta q. 3. de Malo art. 3. ad 2. respondendo ad quædam verba Bedæ, dicentis quòd Diabolus trahit animam in affectum malitiæ: vnde non licet inferre tractionem, vel persuasionem esse omnino eiusdem modi, sed solùm conuenire in generali ratione suasionis moralis, nam ibi etiam habet locum argumentum à minori. Nam si persuasio dæmonis, cùm sit multo inferior, tractio vocari potest, multo magis persuasio Dei, quæ longè excellentior, & magis interior est, nam Deus multo altius & excellentius potest illuminare intellectum quàm Dæmon possit decipere, nec solùm per sensus, sed etiam per se ipsam potest interiùs docere & dirigere intellectum. Et (quod caput est) potest ipsi voluntati imprimere, & in ea propriè efficere affectiones supernaturales non liberas, & suauitatem, qua moraliter attrahat voluntatem ad liberum consensum. Accedit quòd hic modus prædeterminationis in multis est proprius Dei ex parte actuum, ad quos piè mouit, scilicet honestos, & supernaturalis ordinis, ad quos nulla creatura potest perfectè inclinare etiam moraliter, nisi vt instrumentum Dei. Secundò in modo directo & per se vtique influendo immediatè in ipsismet principiis spiritualibus animæ illuminando, & affectionibus sanctis imbuendo illa. Tertiò in modo remouendi impedimenta, & auertendi cogitationes contrarias, quod multum refert ad moralem hanc determinationem de qua tractamus. Sic ergo explicata & probata assertio extra controuersiam est, vt existimo, neque in ea difficultas alicuius momenti occurrit.

Dico tamen tertiò, hanc prædeterminationem moralem non esse simpliciter necessariam ad singulos actus supernaturales voluntatis liberè efficiendos. Ita docui in citato loco lib. 3. de auxiliis, & fundamento tacto in capite præcedenti; quòd si hæc gratia esset necessaria, qui illam non reciperet, non haberet auxilium sufficiens. Consequens est falsum; ergo. Sequela probatur ex principio sæpè repetito; quod auxilium sufficiens includit auxilia necessaria, præsertim ea, quæ sunt simpliciter præuenientia, & ad actum primum pertinentia; cuiusmodi sunt omnia excitantia auxilia. Minor constat, quia aliàs omnes peccatores, qui ideo non conuertuntur, vel non agunt pœnitentiam, quia non recipiunt neque sentiunt vocationem adeò efficacem, vt moraliter eos determinet, & vehementer inclinet, etiamsi aliam vocationem habeant, quæ illos ita considerare faciat, vt eos indifferentes constituat ad plenè deliberandum, excusarentur à culpa, quia omnis qui non recipit auxilium necessarium excusationem habet sufficientem: consequens autem est planè falsum, vt constat.

II. *Assertio.* — *Probatur.*

Aliter eadem ratio explicatur & confirmatur assertio, quia hæc determinatio moralis in gradu declarato non fit per quamcumq; sufficientem excitationem, sed per abundantem, & moraliter vehementem, nam in omnibus rebus moralibus experimur hæc duo esse valdè diuersa, & voluntatẽ non determinari moraliter à quacunque sufficienti motione, sed oportere illã esse abundantẽ, vel etiã vehementẽ, vt in petitione non quælibet preces, quæ sufficiunt ad imperandum, determinant moraliter voluntatem eius, qui rogatur: preces autẽ importunæ determinant, & quodam modo cogunt. Idem est de consilio, de motione obiectorum sensibilium & de qualibet tentatione intelligendum, in excitationibus gratiæ: nam per eas mouet Deus voluntatem modo illis accommodato; ergo non determinat illam moraliter, nisi per copiosum, & superabundans auxilium excitans. Auxilium autem abundans non est simpliciter necessarium ad singulos actus pietatis, vt est per se notum, tum quia ad agendum non est per se necessaria virtus summa, aut excedens, tum quia superabundantia auxilia, nec dantur, nec offeruntur omnibus, neq; est in hominis potestate, regulariter loquendo, habere has vehementes excitationes, sed Spiritus sanctus illàs diuidit pro vt vult; ergo simili ratione auxilium moraliter prædeterminans non est simpliciter necessarium.

Explicatur. — *Fundamentum contrarium occurrit.*

Tertiò explicatur aliter, quia omnia auxilia excitantia quatumuis magna sint, solùm constituunt tertiam potentiam in actu primo respectu consensus, & quantum est ex se, possunt tempore præcedere ipsum consensum, & in hoc legitimo sensu rectè dicuntur dare potestatem agendi liberè: at verò intra latitudinem potestatis potest esse maior, & minor facultas, & cum maiori, vel minori inclinatione ad alteram partem cum sufficienti indicio & inclinatione voluntatis: ergo illa potestas

stas sufficit ad perficiendum actum si homo velit; ergo altera moralis determinatio non est simpliciter necessaria.

19. Aliorum responsio.

Respondent aliqui hæc argumenta probare, hanc prædeterminationem moralem non esse necessariam ex natura rei, nihilominus esse necessariam ab intrinseco ex ordine diuinæ prouidentiæ, quia aliàs incertus esset eius ordo & fallibilis. Sed hoc non rectè dicitur, tum quia nullibi est nobis reuelatum, vel aliqua graui authoritate traditum ex Dei ordinatione maius & abundantius auxilium esse necessarium ad singulos actus, quàm ex parte actus, vel ex parte liberi arbitrij necessarium sit, tum etiam, quia si minus auxilium sufficit, & multis datur, cur de facto non multi cum illo solo operabuntur si Deus non impediat. Quod si Deus impediat, iam illis non imputabitur, præterquam quòd absurdissimum est id Deo attribuere. Tum præterea, quia si intercedat prædeterminatio physica, illa sufficit ad infallibilitatem prouidentiæ: si verò physica prædeterminatio tollitur, moralis per se non sufficit ad infallibilitatem prouidentiæ, nisi aliunde intercedat præscientia omnino infallibilis futuri, si talis motio Dei præcedat; quòd si hæc præscientia supponitur & admittitur, non erit necessaria prædeterminatio moralis ad infallibilitatem prouidentiæ; ergo propter ordinem prouidentiæ non est necessaria talis prædeterminatio moralis. Denique ipsa experientia & communis modus sanctè operandi fidelium, ostendit non semper homines in actibus duci his vehementibus impulsibus, sed interdum à Spiritu sancto sic moueri, interdum relinqui, vt ordinario modo excitentur per fidem, & deliberent cum integra indifferentia, mò interdum cum repugnantia naturæ, vel aliarum difficultatum, sine tanta gratiæ impulsione. Non est ergo illa determinatio necessaria, per se loquendo, licèt sit vtilissima, & aliquando propter indispositionem subiecti possit esse moraliter necessaria, vt in citato loco latiùs dixi.

Impugnatur.

20. Neq; video cur defensores physicæ prædeterminationis de hac assertione sint solliciti, aut illi contradicant: nam si auxilium aliquod præueniens non excitans, sed adiuuans prædeterminat physicè voluntatem, illud satis superq; erit ad generalem, (vt ita dicam,) efficaciam auxilij simpliciter necessarij ad singulos actus: ipsum autem auxilium physicè prædeterminans non potest simul prædeterminare moraliter, quia non mouet morali modo, cùm non sit actus vitalis, sed pura motio, vel qualitas passiuè tantùm recepta in hominis potentia, & per physicam determinationem, ac efficientiam illam trahens ad coefficiendum; ergo ipsummet auxilium physicè prædeterminans, si datur, non prædeterminat moraliter. Neque etiam necessario supponit prædeterminationem moralem, quia, vt ipsi dicunt, collatio, & operatio talis auxilij non pendet ex tempore, loco aliisque circunstantiis, neque ex aliqua dispositione liberi arbitrij; ergo etiamsi non præcedat in arbitrio prædeterminatio moralis, dummodo obiectum sit sufficienter propositum, poterit satis prædeterminari voluntas per solum auxilium adiuuans prædeterminans physicè ergo in illorum sententia non est, cur sit hęc prędeterminatio moralis necessaria, cùm physica sufficiat, semperque necessaria esse credatur.

21. Fundamentum contrariæ sententiæ occurritur.

Nec fundamentum contrariæ sententiæ probat necessitatem prędeterminationis, sed solum necessitatem præmotionis moralis; de hac enim motione loquuntur Scripturæ, cùm dicunt, Deum inclinare corda, immutare, conuertere, & facere vt velint, &c. nã hæc omnia per morales motiones præstat Deus, & per illas incipit in nobis operari, & cum illis perficit in nobis quod intendit, etiamsi ex parte excitantis gratiæ nihil addat, sed tantùm ex parte adiuuantis. Accedit quòd dicti authores has omnes locutiones de motione physica per gratiam præuiam adiuuantem, & prædeterminantem interpretantur. Nos autem ostendemus illa omnia fieri per vocationem congruam, quæ prædeterminationem moralem non requirit, & à physica longè dissidet: nulla ergo prædeterminatio ex illis locis probatur. De illis autem principiis quæ ad inducendas rationes in testimoniis fundatas adducuntur, dico, primum quidem verum esse, nam illæ locutiones, vel omnes, vel quamplures earum propter vocationem efficacem dicuntur: malè autem inde infertur, illa dicta esse propter prædeterminationem: nam potest esse vocatio efficax sine prędeterminaione physica, vel morali, vt iam dixi, & in sequentibus latè exponam.

Alterum autem principium falsum est, nam gratia excitans siue sufficiens, siue efficax, dat actualem inclinationem, & non habitualem, quia talis gratia in actibus vitalibus consistit, vt dixi, vt est actualis cogitatio sancta, quæ motum aliquem in affectu mouet, qui motus actualis inclinatio est non habitualis. Nec refert quòd auxilium sufficiẽs dicatur dari per modum actus primi, seu potentiæ, nam id intelligendum est, non quantum ad substantiam actus, (vt sic rem declarem,) sed quantum ad causalitatem respectu consensus liberi. Ad eum modum quo intentio finis dici potest virtus, & quasi actus primus ad electionem mediorum, & assensus præmissarum respectu assensus conclusionis, & amore rei possessæ respectu gaudij, & sic de aliis. Et in vniuersum causalitas moralis per actus secundos fit, vt per consilium, petitionem, vel aliquid huiusmodi, & nihilominus ille actus secundus & præuius, & inducens ad aliã, dicitur esse per modum virtutis & actus primi. Cùm ergo Deus inclinat corda per gratiam excitantem, actualẽ quidem præbet inclinationem, indeliberatam tamen, ac necessariam quæ respectu actus perfecti & deliberati per modum actus primi comparatur.

22.

Ad alias tres actiones non esset necessaria nobis responsio, quia procedunt ex fundamento physicę prædeterminationis, quod falsum esse credimus, & nihilominus addimus etiam, ex illo non rectè procedere, nam prima ratio solùm probat ante physicam prædeterminationem debere præcedere moralem pręmotionem, & inductionem per diuinas illustrationes & affectiones, vt in ipsa forma argumentandi concluditur: non tamen inde infertur hanc inductionem debere necessariò esse tantã, vt gradum moralis prædeterminationis attingat. Nam, vt voluntas connaturali modo operetur, minor inductio sufficit, imò tunc quodammodo liberiùs operatur, quando minus vehementer inducitur, vt patet in eo, qui ex vehementi passione peccat, minus enim liberè peccat, quàm qui suo arbitrio, sine passionis vehementi tractione delinquit. Eadem ferè responsio est ad secundum: nam, vt Deus moueat voluntatem hominis iuxta naturam eiusdem voluntatis, satis est quòd præcedat moralis motio, & sufficiens inductio: quòd si hoc non sufficit, vt saluetur postea libertas in prædeterminatione physica, neque etiam sufficit quòd præcedat moralis prædeterminatio: nam ante prędeterminationem physicam maior libertas cernitur in voluntate ad vtrumque, & nondum ad alteram partem moraliter prædeterminata, & post impressam prædeterminationem physicam æqualis necessitas physica ex illa oritur, siue moralis prædeterminatio præcesserit, siue non; quid ergo conferre potest talis prædeterminatio moralis, vt physica non tollat libertatem? Ad ter-

23.

tium negatur consequentia, quæ quoad prædeterminationem physicam suprà in fine libri tertij tractata est; ostendimus enim ibi non esse necessarium vt Deus omnes causas physicè agentes, etiamsi liberæ sint, prædeterminet physicè, sed solùm vt eas physicè adiuuet cum eis coefficiendo, vt licet ibi solùm de prædeterminatione per generalem concursum tractauerimus, eadem est ratio de quacunq; alia, vt in sequentibus videbimus. Quoad alteram verò partem de prædeterminatione morali, etiam non est bona illatio, quia vt Deus sit causa moralis nostrorum operum moralium, sufficit quod ad illa moraliter moueat, & inducat quod facere & sufficienter, & efficaciter potest sine prædeterminatione morali, vt sæpe iam dixi.

CAPVT IX.

Proponitur opinio affirmans efficaciam auxilij præuij consistere in physica prædeterminatione voluntatis per modum actus primi, ac proinde talem prædeterminationem ad omnes & singulos actus pietatis esse necessariam.

1.

HAnc opinionem in hoc titulo præsentis capitis contentam tenent in sententia plures ex recentioribus Thomistis, nam licèt interdum in verbis differant, re tamen vera in tribus propositionibus conueniunt, ex quibus eadem assertio sequitur, in qua rei difficultas consistit. Prima est vltra id totum quod ex parte gratiæ excitantis necessarium est ad vocationem vt homo possit conuerti vel piè operari vt actu conuertatur, vel consentiat necessarium esse vt Deus sola sua voluntate & potentia imprimat in hominis voluntate nouam entitatem, quam vocant motionem virtuosam & efficacem, quæ non est actus vitalis, nec fit à voluntate, sed Deus solus illam efficit voluntate merè passiuè se habente ad receptionem eius. Secunda est quòd hinc sequitur receptionem huius motionis non esse liberam voluntati, sed Deum pro solo suo arbitrio illam dare, vel negare, quia nec potest esse in se immediatè libera voluntati, cum ab illa non pendeat effectiuè, sed voluntas merè passiuè se habeat in illius motionis receptione, quod est contra rationem actus proximè liberi, vt in primo prolegomeno ostensum est, neque etiam libera est remotè in aliqua dispositione libera voluntatis, quia talis libera dispositio requirit similem motionem præuiam, & ita sistendum est in prima, quæ sine tali dispositione detur.

Propositio 1.

Propositio 2.

2.

Tertia propositio est, hanc motionem esse per se & physicè actiuam consensus voluntatis, non quidem solum, sed cum ipsa voluntate, ita tamen, vt in vsu actiuitatis suæ non subdatur voluntati, sed illam potiùs sibi subdat, adeò vt illa motione semel posita in voluntate, non possit voluntas illi resistere, suum actum sustinendo, nedum oppositum eliciendo, imò nec Deus ipse possit facere, vt posita illa motione in voluntate, non statim voluntas eliciat & exerceat actum, propter quem illa motio datur, quia hæc est natura talis motionis, ideoq; vocatur auxilium de se & natura sua efficax, quod ad hunc finem datur, & non potest esse sibi contrarium. Ex quibus principijs apertè sequitur assertio posita, nimirum hoc auxilium per modum actus primi determinare physicè voluntatem ad vnum actum, & ad exercitium eius prius natura, quàm illum eliciat, & nihilominus aiunt illum elicere liberè, quia sub illa motione manet semper potestas voluntatis ad non habendum illum actum, & tota illa determinatio sit modo accommodato libertati voluntatis.

Propositio 3.

Auxilium de se, & naturâ suâ efficax est.

Hæc sententia solet in primis tribui Gregorio & Capreolo, qui ex parte quidem illam docuerunt, non tamen omnino, vt suprà lib. 1. retulimus, quia non per se, neque ex propria ratione actuum supernaturalium talem motionem postulant, sed solùm in lapsa natura, ob illius defectum & impotentiam ad benè operandum, & quoad hanc partem, ibi illam impugnauimus; quantum ad id verò, in quo cum prædicta opinione consentit, in hunc locum illam remisimus. Sententia ergo quam proposui, recentior est, eamque magna asseueratione defendunt Theologi sacri Ordinis Prædicatorum, & aliqui dicunt incœpisse temporibus Magistri Soto, qui eam indicauit lib. 1. de natur. & capite 16. ibi tamen nihil reperio quod ad causam pertineat; imò cùm tres ordines auxiliorum, seu donorum distinguat, in primo ponit eos motus, qui à Deo fiunt in nobis sine nobis liberè consentientibus; non tamen sine nobis vitaliter coefficientibus, vt expressè declarat: in secundo ordine ponit actus gratiæ quos Deus principaliter facit in nobis, non tamen sine nobis liberè cooperantibus: in tertio ponit gratias, quas Deus solus facit in nobis sine vlla proxima & immediata coefficientia nostra, licèt in adultis liberam dispositionem supponant; & in hoc ordine habitus per se infusos constituit. Nullum verò auxilium actuale ponit quod vitalis actus non sit, vel quod à Deo solo fiat in homine passiuè tantum se habente, & nullo modo se ad illud disponente. Determinationis autem, vel prædeterminationis, quæ à solo Deo fiat, nullam mentionem facit, imò semper attentissimè dicit Deum ita mouere hominem, vt potestatem resistendi nobis relinquat. Et quamuis dicat Deum prius natura nos mouere, illud longè diuersum habet sensum. Præterquam quòd in eo capite multa habet Soto, quæ illi prædeterminationi repugnent, vt in fine lib. 3. tetigi, & in sequentibus dicam.

Soto.

Primus ergo ex recentioribus Thomistis, qui sententiam illam magis insinuare cœpit, videtur fuisse Medina 1. 2. q. 10. art. 4. vbi generaliter de concursu Dei cum causa libera disputat: quæst. tamen 109. art. 2. in fine generaliùs loquitur, & specialiter agens de auxilio gratiæ art. 10. dub. 2. in tertia assertione, & in fine articuli ad 3. & vltimam dubitationem hanc sententiam indicat; nunquam tamen vtitur verbo *prædeterminandi*, aut *prædeterminationis*. Neque declarat quid addat auxilium efficax supra sufficiens. imò licèt dicat addere aliquid, nihilominus in illa vltima dubitatione ait, *In eo qui sequitur vocationem esse aliquem modum, vel ablationem alicuius impedimenti, vel aliquid simile nobis occultum, quod non est in eo, qui similem vocationem non sequitur.* quæ certè doctrina neque necessaria est, si prædeterminatio semper requiritur, neque cum illa rectè cohæret, quia posita in vno prædeterminatione, & non in alio parum refert, quòd in cæteris vocatio sit æqualis in vtroque, vt recentiores Thomistæ ingenuè fatentur, sicut infrà videbimus. Magis igitur distinctè illam doctrinam tradit Bannez. 1. p. quæst. 24. art. decimo tertio. dub. secundo concl. tertio. cum dubijs sequentibus, & qu. 16. art. 3. & 4. & q. 23. art. 3. & 5. & omnium summam redigit 22. q. 10. art. 1. document. 3. Postea in defensionem eiusdem sententiæ integrum opus scripsit P. Franciscus Dauila, vbi capite 15. 22. & 27. clariùs dicit hoc auxilium à solo Deo fieri in voluntate ipsa merè passiuè se habente, & ex illo sequi consensum non tantùm infallibiliter, sed

Medina.

Bannez.

Dauila.

sed etiam ineuitabiliter. Alius verò eiusdem sententiæ defensor dixit *immobiliter*. Nunnus Capezudo 1. p. q. 62. art. 5. q. 2. præsertim ad 8. & 11. & circa finem consentit P. Didac. Aluar. super Isaiam cap. 10. postea verò ex professo materiam tractauit in lib. 1. de auxil. qui totus hac doctrina respersus est, in lib. tamen 9. disp. 83. & sequentibus, copiosè de hoc puncto disputat, acriterque sententiam recitatam defendit. De quo argumento etiam scripsit Petr. Ledesin. tractatum copiosum de Auxiliis: præsertim in principio vnicæ quæstionis, & art. 1. 5. & sequentib. Alij etiam recentiores eiusdem ordinis Magistri in eiusd. doctr. defensionem suos tractatus, relectiones, aut controuersias scripserunt.

Capezudo, Aluar. Ledesm.

Eandem sententiam docuit Magister Cumel p. 1. q. 14. art. 13. q. 19. art. 8. & q. 23. art. 5. & 1. 2. q. 111. art. 3. disp. 5. & pro illa postea latè pugnauit in toto ferè opere opusculorum, præsertim tom. 1. disp. 5. concluſ. 3. vbi distinguit tres modos huius prædeterminationis. Primus est quòd Deus determinet voluntatem sola sua potentia efficiendo actum secundum in ea. Secundus est, vt Deus efficiat præuiam formam, vel motionem prædeterminantem voluntatem, &c. Tertius est vt solus efficiat actum secundum in voluntate, & nihilominus illam prædeterminet, quia prius natura facit actū: Et primum modum expresè reiicit tanquàm omnino falsum, & continentem errorem Lutheri. Postea confusè loquitur de aliis duobus modis, & magis videtur sequi tertium, nam in declaratione assertionis §. *restat igitur*, cōcludit intelligere assertionem de auxilio gratiæ *Deiefficaci præmouente noseffice-ter propriè, seu prædeterminante voluntatem, qua se determinat sub hac determinatione Dei, & se agit Deo efficienter inchoante, & se agit, Deo efficienter inchoante, & voluntate simul se mouēte non in alia duratione, nec in alio instāti, aut in aliquo priori, in quo Deus agat, & non ipsa.* Et in hoc sensu latissimè probat suā sententiā. At verba illa omnia, vt sonant, non sunt contra nostram sententiam, vt ego distinctè satis in lib 3. de auxilio declaraui. Vnde hic author non videtur autus opinionem hanc de prædeterminatione in actu primo per formam, vel motionem præuiam declarare, vel defendere. Infra verò post multa, quæ pro sua sententia allegat iterum eandem assertionem pluribus verbis explicat, & apertè dicit hanc gratiam prædeterminantem dari *per modum principij*, imò esse formam dantem voluntati totam vim agendi, nam liberum arbitrium nullas habet vires ad actus supernaturales, quamuis paulò inferiùs etiam modum de prædeterminatione in actu secundo insinuet, vt infrà dicam. Huic etiam sententiæ adhæsit Cabrera 3. p. q. 8. art. 4. per plures disputationes, & q. 62. art. 1. disp. 8. & sequentibus, vbi latissimè pro physica prædeterminatione pugnat, licèt in modo explicandi illam nunc cum cæteris sentiat, nunc dissentiat, & variis modis loquatur, quos obiter suis locis attingemus. Cum his etiam authoribus videtur sentire Petrus Trigosius in Commentar. ad Bonauentur. 1. p. q. 14. art. 5. & 6. dub. 1. & q. 15. art. 2. Alij plures antiqui, & moderni pro hac sententia allegantur; quanto verò fundamēto, infrà videbimus.

Cumel. 4. Sent.

Distinguit Cumel tres modos prædeterminationis.

Cabrera.

Trigosius.

Fundamenta capitalia huius sententiæ duo esse possunt. Vnum est philosophicum, nimirum causam primam præmouere secundam per concursum generalem, & applicare illam ad agendum in omni operatione sua, ac subinde prædeterminare physicè illam, si libera, & ex se indifferens ac indeterminata sit. Iuxta quod principium auxilium efficax in ordine gratiæ non est aliud, nisi concursus generalis ordinis gratiæ, & in illo præuius seruata proportione eiusdem modi necessitatis & efficientiæ cum concursu præuio generali ordinis naturæ ad opera eiusdem ordinis tam necessaria, quàm libera, & in hoc vnico fundamento procedunt omnes ferè moderni Thom. maximè verò Ledesma & Aluarez. Sed in hoc sensu iam est à nobis terminata quæstio in dicto libro tertio: ostendimus enim ibi neque in naturalibus causis, neque in liberis ad actus ordinis naturalis necessarium esse talem præuium concursum, & consequenter neque ad actus supernaturales esse necessarium ex vi generalis influentiæ primæ causæ, vel subordinationis dependentiæ cæterarum ab ipsa. Vnde etiam ex ibi dictis constare potest frustrà induci Scripturæ testimonia, in quibus Deus dicitur facere vt velimus, vel emollire corda nostra, vel auferre cor lapideum, & dare cor carneum, propter auxilium efficax hoc modo explicatum, id est, propter solum concursum præuium in modo suo communem omnibus actibus liberæ voluntatis; quia (vt ibi argumentabamur) ratione illius concursus si detur, etiam dicetur Deus facere vt voluerit Iudas vendere Christum, & vt illum vendiderit, & per veram ac propriam, & positiuam efficientiam corda obdurare, & tollere cor carneum, & dare lapideum, & similia quæ ex illo principio ibi latè probauimus. Quam verò sint absurda, per se satis notum est.

Ledesm. 5. Fundamenta quibus nititur hæc sententia.

6. Auxilium efficax non esse necessarium ex aliqua radice, seu origine indifferenti, regula Augustini.

Quapropter obseruanda est in hac materia regula ex doctrina Augustini desumpta, auxilium efficax gratiæ non esse necessarium ex aliqua radice, seu origine indifferenti, (vt sic dicam,) seu communi bonis & malis actibus, aliàs non minus Deo tribui possent mala, quàm bona, quod perabsurdum est, non solum de malis vt mala sunt, sed etiam de ipsis actibus qui sine malitia non fiunt, vt ibidem ostendi. Sumitur autem hæc regula ex Augustino lib. de grat. Christi cap. 17. quatenus Pelagium, qui dicebat ideo bonam operationem non tantùm nobis, sed etiam Deo tribui, quia posse nobis donauit, impugnat. nam hoc modo etiam mala operatio tribuenda esset Deo, & nobis, quia illud etiam posse nobis donauit. *Atque ita*, inquit, (*quod absit*) *quemadmodum cum Deo laudamur in operibus bonis, sic cum illo culparemur in malis, possibilitas enim illa quam dedit, tam nos facit posse bona, quam mala*; sic ergo nos dicemus: efficacitas enim illa quam per concursum præuium dat, tam nos facit mala velle, aut facere, quàm bona, vtrumq; enim de malis eadem ratione & proportione intelligendum erit vtique de actibus malis. Nam iuxta doctrinam Augustini possibilitas malitiæ moralis, vt talis est, non ex Deo est, sed quia sumus ex nihilo. Et eandem rationem, ac regulam repetit Augustinus eodem lib. cap. 27. & eodem modo lib. de spirit. & liter. cap. 34. tractans verba Pauli, *Quis enim te discernit?* attingit expositionem quæ cogitari posset, dicendo ideo discretionem tribui Deo licèt fiat per liberum arbitrium, quia Deus dedit liberum arbitrium, & refutat, quia liberum arbitrium commune est bonis & malis, & ita [non] minus Deus diceretur auctor mali, quàm boni, si solum ratione liberi arbitrij dictum esset, *quis enim te discernit?* vnde concludit non dici homini fideli, *Quis te discernit?* quia liberum arbitrium recepit, quo posset credere, sed ideo *Quia visorum suasionibus agit Deus vt credamus*, &c. Ergo à fortiori si diceretur fideli, *Quis te discernit*, quia per concursum præuium efficacem Deus determinat voluntatem eius ad credendum. Pari ratione infidelis qui credere noluit, dicere posset, Deus me discernit, quia meam voluntatem efficaciter prædeterminauit, vt nollem credere.

Augustin.

Idem.

7. Explodituꝛ responsio aliquoruꝫ.

Et eodem modo lib. 2. de peccator. merit. cap. 18. explodit responsionem dicentium, bonum actum voluntatis tribui Deo, quia dat & conseruat voluntatem, sine qua actus ille bonus esse non pos-

set,

set, quia hoc commune est actibus malis, & ita malus actus tribuendus esset Deo. *quod* (inquit) *nefas est dicere.* Est ergo regula constans in doctrina Augustini, efficaciam illam, ob quam boni actus specialiter tribuuntur Deo, non esse ponendam in aliqua effectione, vel motione Dei ex genere suo communi bonis actibus & malis: concursus autem causæ vniuersalis & prævius efficax, si datur, communis est, seruata proportione actibus malis & bonis. Non igitur rectè nec conclusione ad doctrinam Augustini ponitur illa efficacia auxilij gratiæ, in sola ratione & necessitate vniuersalis concursus. Huc accedunt rationes præcipuæ sumptæ ex libertate auxilij ad actus gratiæ, tam quoad specificationem, quàm quoad exercitium, quæ per illum modum efficaciæ destruitur, simulque sufficientia auxilij talem efficaciam non habentis è medio tollitur, quas rationes in capitibus, sequentibus prosequemur, explicato priùs alio principio, seu modo fundandi hanc sententiam.

8. Alij ergo hoc genus auxilij efficacis prædeterminantis physicè requirunt, non ex indigentia concursus prævij vniuersalis omnibus actibus, sed ex peculiari necessitate inuenta in operibus bonis voluntatis. In qua etiam sententia est varietas: nam quidam existimant necessitatem hanc non esse per se ex vi, & natura supernaturalium actuum, sed esse quasi per accidens ortam ex peccato originali, & corruptione lapsæ naturæ, & ita censuerunt Gregorius & Capreol. in 2. d. 28. ad 12. argum. Qui proinde non solùm ad supernaturales actus, sed etiam ad quoslibet bonos morales ordinis naturalis illam prę motionem specialem Dei requirunt, non tamen in omni natura, vel in omni statu, sed in natura humana lapsa. Sed de hac sententia nihil denuo vel peculiare dicere necesse est, tum quia non pertinet ad verum auxilium efficax, quod ad omnes & singulos actus pietatis in omni creatura intellectuali, & in omni statu eius necessarium est, vt cap. 3. declaraui; tum etiam; quia sine vlla ratione, vel fundamento requirit talem motionem ad singulos actus naturæ lapsæ, præsertim ordinis naturalis, si per se nō est talis necessitas in omni statu liberæ naturę, vt latè in lib. 1. declaratum est, & probatum. Tum deniq:, quia multo minus potest hoc modo ratio reddi cur propter naturæ lapsæ corruptionem tam efficax prædeterminatio necessaria sit, si alioqui non erat per se necessaria, nā ad supplendam debilitatem & infirmitatem lapsæ naturæ in benè operando & liberè sufficit addere vires illam infirmitatem supplentes & adiuuantes, etiamsi non prædeterminent voluntatem, sicut in statu innocentiæ ex eorundem authorum sententia erant vires sufficientes sine prædeterminatione. Fateor tamen me non legisse in illis authoribus quòd expresè asserant præmotionem illam talem esse, vt omninò ac physicè prædeterminet voluntatem, ita vt voluntas pro sua libertate non possit ei resistere, solùm enim aiunt liberum arbitrium in natura lapsa sine illa motione benè operari non posse, non tamen dicunt cum illa non posse non operari: videtur autem id sequi ex eorum dictis, & ideo in lib. 1. quoad vtramque illam sententiam impugnauimus, & quo ad secundam partem, quæ huc spectat, à fortiori impugnabitur, simulq; cum modernorum sententia.

Gregor. Capreol.

9. Auxilium efficax ob peculiarem difficultatē actuū super naturalium, necessariū est. *Aluar. D. Thom.*

Alio igitur modo ac fundamento asseritur necessitas talis auxilij per se efficacis ac prædeterminantis ob peculiarem difficultatem actuum supernaturalium, quam rationem defendit Aluar. disp. 24. n. 37. & videtur loqui de speciali difficultate quę nascitur ex statu naturæ lapsæ, nam allegat D. Thom. 1. 2. q. 109. art. 9. in ratione secunda, quæ de hoc statu peculiariter procedit. Sic autem ratio non sufficit, quia gratia efficax, vt suprà dictum est, in omni statu requiritur. Item, quia ad singulos actus pietatis est necessaria, quod non nascitur ex statu, sed ex natura talium actuum. Ex illa ergo sumendum est fundamentum hoc, quod potest in hunc modum explicari; quia tanta est eminentia actuum supernaturalium, vt ad eos voluntas nostra ex se sit omnino impotens, & ideo indiget supernaturali virtute, per quam totam vim agendi recipiat; ergo illi non sufficit habitu alis virtus, sed quoties in actum prodire debet, indiget peculiari & actuali eleuatione, quæ non potest fieri nisi per peculiarem motionem prædeterminantem; quia si motio non sit prędeterminans, non erit actualis, nam ex se poterit esse sine actuali operatione, ac subinde per modum habitus, & tunc indigebit potentia alia præmotione actuali vt eleuetur, & ne procedatur in infinitum sistendum est in tali motione, quæ & det supernaturalem virtutem propriè efficiendi actum supernaturalem, & simul illa eleuet, vt illam operari faciat efficaciter, quia aliàs erit necessaria alia præmotio vt voluntas inchoet suum consensum, cum voluntas ex se non possit illum in supernaturalibus inchoare.

Hoc fundamentum non inuenio ita propositum, vel explicatum in defensoribus huius prædeterminationis; insinuatur tamen ab eis in aliquibus rationibus, & argumentis suis, vt infrà videbimus. Atque ita fundamentum hoc reducitur ad hanc rationem Theologicam, quia actus liberi gratiæ sunt supernaturales in se; ergo non possunt fieri à voluntate nisi eleuata per motionem actualem eiusdem ordinis ad physicè agendum, & inchoandum efficaciter actum. Et confirmatur: nam hoc maximè vrget si verum est quod nos asserimus, voluntatem in his actibus operari vt instrumentum Dei, nam instrumentum non agit nisi motum, & dum mouetur non potest in sensu composito non moueri, & hoc est prædeterminari. Huic verò rationis fundamento adduntur omnia Scripturæ testimonia, in quibus soli Deo, eiusque voluntati, aut gratiæ, vel motioni hi actus tribuuntur, & Concilia ac testimonia Patrum, præsertim Augustini & D. Thomæ; sed hæc omnia distinctius proponentur sigillatim in variis capitibus distributa, & ideo illa nunc omitto, & ad iudicem de hac sententia ferendum accedo.

CAPVT X.

Directè ostenditur, auxilium efficax necessarium ad singula supernaturalia opera, non posse consistere in motione, vel qualitate prædeterminante physicè in actu primo voluntatem ad consensum.

DVo asseruntur in sententia relata in capite præcedenti, vnum est auxlium in actu primo prędeterminans voluntatem esse possibile simul cum vsu libertatis: aliud est illud esse necessarium ad singulos actus. Nam illud prius supponitur, vt fundamentum fidei non destruatur, hoc verò posteriùs additur, quia aliàs per illud auxilium prædeterminans non explicatur adæquatè ratio auxilij efficacis, cùm hoc ad singula opera necessarium sit, vt suprà vidimus. Ex illis verò duobus secundum est magis rigorosum, magisque restrictum, nec potest subsistere sine primo; è contrario verò primum punctum ex hypothesi posset subsistere

stere sinè posteriori, id est, licèt esset verum posse saluari sine secundo, quia quod est necessarium etiã est possibile, non verò è conuerso, & ideo prius de hac posteriori parte illius sententiæ dicendum est, in qua omnes authores qui putant illam determinationem libertati repugnare, à fortiori tenent auxilium hoc efficax non esse necessarium: illos autem referemus in sequenti capite. Ex Theologis autem Dominicanæ familiæ refertur Ioan. Vincẽti. docuisse tale auxilium efficax per se spectatum, ac subinde auxilium efficax per se spectatum non esse in sola prædeterminatione physica positum. Hæc igitur sententia probanda in præsenti est.

Vt autem rationes firmiùs procedant & tergiuersationibus, ac subterfugiis minus expositæ, hinc operæ pretium esset de isto auxilio prædeterminante omnia inquirere, quod de præuio cõcursu in lib. 3. à c. 30. tractauimus: sed quia id nimis esset prolixum, lectori committimus, vt ea omnia relegat, & ad hoc auxilium cum proportione applicet, vnicuique enim mediocriter intelligenti id erit facillimum. Nunc ergo supponimus ex communi ferè consensu authorum illius sententiæ, hoc auxilium esse aliquid supernaturale à Deo solo infusum quia non est actio vitalis ipsius hominis, sed tantũ passiuè in eo recipitur, vt per illud operetur. An verò illud auxilium sit qualitas, vel motio, pura, parum refert ad puncta thologica, vel dogmata fidei, dummodo supponatur esse vera entitas creata, & homini inhærens, id enim præcipuè in hac sententia supponitur. Consequenter autem loquendo longè probabilius illud auxilium esse qualitatem, quia motio spiritualis sine termino spirituali intelligi non potest, qui terminus non potest esse nisi qualitas, vt dicto loco probatum est. Addimus præterea qualitatem hanc, seu entitatem poni in re ipsa distinctam, & à subiecto, in quo recipitur, quia est aliquid ordinis supernaturalis, & ab omnibus gratiis excitantibus quæ sint actus vitales, quia illis additur, vt fiant efficaces, & ab habitibus infusis, ob eandem rationem, quia illos reducit de potentia in actum, & ab ipso consensu libero volũtatis, quia ponitur, vt sit vera causa realis eius. Quanta vero sit hæc distinctio, an perfectè realis, vel tantùm secundùm quid, & modalis, metaphysica quæstio est, in qua immorari non oportet, quia ad dogmata fidei, & veritatem Theologicam, quam inquirimus, parum refert. Consequenter autem loquendo verius ac clariùs ponitur tale auxilium, vt propriam entitatem ac realitatem habens omnino realiter distinctam tam à potentia, quàm ab aliis gratiis prioribus, quæ in potentia supponuntur, quàm etiam ab actu libero eliciendo à potentia, cum tali auxilio, sicut de præuio concursu dictum est.

Item supponimus auxilium recipi immediatè in potentia, quæ elicit actum, propter quem datur, vt si detur ad fidei assensum eliciendum, infunditur intellectui; si verò ad habendam voluntatem credendi, vel amoris, aut pœnitentiæ actum, & similis voluntati, erit immediatè imprimendum; quia in illa suum proximum effectum habiturum est.

Et in hoc conueniunt dicti authores, imò quia determinatio propriè dicta voluntati attribuitur, ab illa pendet omnis alia operatio humana, ideo simpliciter hoc auxilium attribuitur volũtati. Disputari autem potest, quando voluntas habet habitui infusum, an vna motio imprimatur habitui, & altera voluntati. Nam Ledesma, & alij ita sentiunt, quia putant auxilium hoc esse concursum præuium necessarium vnicuique principio creato, seu qualitati permanenti ex subordinatione ad causam primam. Supponendo autem non postulari hoc concursum causæ primæ, sed vt dat vires causæ proximæ, & potentiæ in qua recipitur, non oportet multiplicare auxilia efficacia ad eundem actum liberi concursus, vel amoris, etiamsi ad illum actum plures qualitates concurrunt, scilicet voluntas & habitus, nec etiam oportet fingere dare speciale auxilium coniunctum habitui in eadem potentia, & illam efficaciter determinans.

4. *Alia suppositio.*

Vnde tandem supponimus, hoc auxilium esse quendam actum formalem ipsius voluntatis, quia inhæret illi; ergo informat illam, & reducit illam de quadam potentia passiua in actum. Nam priusquam voluntati infundatur hoc auxilium, est potentia receptiua, & capax illius, & caret illo: ergo est in potentia ad illud, ergo quando infunditur, reducitur in actum, sicut mobile per motum, vel sicut materia per formam. Hic autem actus non est actus secundus voluntatis, quia ab illa non elicitur, vt dictum est; ergo est actus primus, quia non datur medium. Constituitur ergo voluntas per hoc auxilium in actu primo completo ad eliciendum suum actum. Atque ita licèt voluntas habeat habitum infusum, non habet iuxta hanc sententiam actum primum completum, sed exspectatur hoc complementum, vtfit integrum principium proximum talis actus. Si autem voluntas careat habitu, vel addendum est aliud principium, quod suppleat vicem habitus, vel tale erit hoc auxilium, vt propriam actiuitatem afferre, & vicem habitus simul supplere possit.

5. *Auxilium dari vt actũ primum, vel vt complementum virtutis causæ proximæ, qui tergiuersentur.*

Non desunt tamen ex authoribus illius opinionis, qui in hoc tergiuersentur, negando hoc auxilium dari, vt actum primum, vel vt complementum virtutis causæ proximæ, quia non distinguunt hoc auxilium à concursu præuio, de quo ita sentiunt. Sed, vt vidimus dicto lib. 3. cap. 33. etiam de ipso concursu præuio id non satis consequenter, vel probabiliter dicitur, & multo minus potest in præsenti applicari, cùm iam rationem concursus excluserimus, & supponamus hoc auxilium postulari propter defectum virium causæ proximæ. Et sanè in doctrina Augustini negari non potest, quin hoc auxilium, si datur, maximè detur, vt det vires voluntati. Nam in eisdem locis, quibus dicti authores vtuntur, vt nobis persuadeant hanc esse sententiam Augustini, apertissimè ille docet, per hoc auxilium dare Deum *vires efficacissimas voluntati*, lib. de Grat. & liber arbitr. c. 17. & aliis locis efficaciæ huius gratiæ tribuit nostrum consensum in omne bonum, quia & facit nos velle, & facere. Non est ergo dubium quin hoc auxilium sit actus primus dans vires agendi voluntati, & cum illa simul efficiens actus eius tanquam principium eorum, quod etiam de propria, & physica efficientia omnes dicti authores intelligi volunt.

6. *Istud auxilium non est simpliciter necessarium ad singulos actus, quomodo probari possit.*

Sic ergo explicato hoc auxilio, quòd non sit simpliciter necessarium ad singulos actus pietatis, duobus modis probari potest, scilicet ostentiuè, seu directè, & ab inconuenienti & indirectè. Prior probatio ex illo principio sumi potest, quòd nihil est postulandum, aut asserendum, vt necessarium, quod sufficienti ratione, aut medio non ostendatur necessarium: sed in præsenti nullo modo potest necessitas huius auxilij sufficienter ostendi; ergo. Maior est in philosophia receptissima, quia natura nihil facit frustrà, & ideo vera Philosophia non permittit multiplicare res, quæ tantùm propter vsum dantur, nisi ad talem vsum probentur necessaria, vnde est axioma receptum, Frustrà fit per plura, quod potest fieri per pauciora. Et simili ratione diximus in lib. 3. concursum præuium non esse credendum nisi probetur necessarium; quia verò in Theologia, quæ authoritate diuina & sacra nititur, satis esse debet

neces-

Suppositio, Auxilium prædeterminans esse aliquid supernaturale a Deo solo infusum.

Alia suppositio.

Quæstio, cum voluntas habeat habitum in ipsum, an vna motio imprimatur habitui, & altera voluntati.

necessitatem authoritate probare, licèt ratione non conuincatur, ideo contrario modo applicanda est illa maior propositio ad Theologicum institutum, quia in mysteriis supernaturalibus nihil affirmare possumus vt necessarium, nisi quod vt tale reuelatum est, vel in reuelatis continetur, vel ex iis probabilius ducitur: aut certè ad alia reuelata explicanda, aut defendenda est aptius, magisque accommodatum: quod ergo supernaturale fuerit, lumenque rationis naturalis excedens, si aliquo ex dictis modis non probetur necessarium, non est admittendum, neque credendum.

7. Declaratur ratione.

Supereſt probanda minor, quæ primò declaratur ratione: nam duo munia possunt in illo auxilio physicè prædeterminante distingui, vnum est quòd sit principium physicum actus supernaturalis, aliud quod habeat illam efficientiam cum determinatione ad vnum quo ad exercitium, ita vt in sua efficientia non subdatur libero vsui voluntatis liberæ. Primum quidem directè pertinet ad dandas vires voluntati, quæ de se sufficiens est etiam physicè ad hos actus efficiendos. Vnde fatemur voluntatem humanam indigere aliquo supernaturali principio physicè adiuuante illam ad eliciendos singulos supernaturales actus. Quòd autem tale principium vt sit completum debeat habere coniunctam secundam conditionem non pertinet ad dandas vires voluntati, & ideo in ea parte non est necessarium, neque etiam ob indifferentiam, vel indeterminationem intrinsecam voluntatis ad velle, quia non est necesse hanc indifferentiam tolli prius natura, quàm operetur, imò hoc est parum consentaneum naturali conditioni, ac modo operandi illius facultatis. Nam vt suprà lib. 3. dicebamus, frustrà naturæ author dedisset voluntati illam naturalem indifferentiam, si oporteret postea priùs ab alio determinari, quàm posset determinatè operari, quod ibi generaliter probauimus de operibus voluntatis, & rationes ibi factæ æquè in præsenti materia procedunt.

8. Cõfirmatur ratio.

Vnde confirmatur hæc ratio, quia ex natura rei non est necessaria noua virtus, quando causa secunda habet intrinsecam virtutem completam in ratione principij proximi: vt sol non indiget alia virtute suæ luci addita, nec ignis alia præter calorem suum. Quo argumento conuincuntur aliqui ex Thomistis, vt fateantur has causas non indigere concursu prævio, vt virtute agendi per modum actus primi, quia non est superfluum, & voluntarium tot multiplicare qualitates; sed in ordine gratiæ potest esse causa secunda completa in ratione principij agendi proximi, vt intellectus per lumen gloriæ in ordine ad visionem, & voluntas per charitatem, &c. ergo tunc saltem non est necessaria alia qualitas vt det virtutem agendi, vel illam compleat, quòd si potentia careat habitu, tunc licèt indigeat alio principio coadiuuante, non est necessarium vt illud principium sit prædeterminans voluntatem, quia sine hac determinatione potest dare vires sufficientes etiam in ratione principij, sicut habitus dat illas.

9. Instantia.

Dicetur fortè neque habitum, neque aliquam aliam entitatem separabilem ab actu secundo posse dare has sufficientes vires, quia potentia ipsa semper manet inferioris ordinis, quam sit habitus eliciendus. Sed contrà, quia licèt mille qualitates infundantur potentiæ, semper potentia manet inferioris ordinis, semperque eius proprius influxus

Euertitur. est necessarius, vt sæpè tetigi, & in sequenti libro ex professo probabitur: ergo sine causa multiplicantur istæ qualitates. Nam vel ob similitudinem rationis in infinitum procedetur, vel sistendum est in vna perfecta qualitate, quæ in ordine supernaturali sit integrum principium proximum ad physicam efficientiam ex parte potentiæ necessariam ad talem actum, vt est, v. gr. lumen gloriæ, vel charitas, vel aliquid simile, vltra quod solùm desideretur concursus Dei simultaneus, iuxta dicta in fine libri tertij. Ergo ob hanc præcisam rationem vt voluntas recipiat à Deo virtutem supernaturalem ad efficiendum physicè quam ex se non habet, non est necessaria multiplicatio qualitatum, nam per vnam perfectam potest Deus totam illam virtutem donare. Neque actualis, seu transiens vltra habitualem necessaria est, quando hæc adest, quia vel esset necessaria propter indeterminationem potentiæ, vel propter subordinationem causæ secundæ ad primam, & vtraque ratio excluſa iam est libro 3. ergo nullus supereſt titulus talis necessitatis respectu potentiæ constitutæ in actu primo per habitum. Respectu verò potentiæ carentis habitu infuso, licèt daremus esse necessariam qualitatem, seu motionem actualem, ac transeunte supplentem vicem habitus, non ideo esset necessarium, vt illa qualitas esset prædeterminans voluntatem, quia sine tali conditione, aut prædeterminatione posset dare vires physicas integras, & proportionatas actui supernaturali in ratione principij physici, relinquendo voluntatem integram in sua naturali potestate vtendi, vel non vtendi principio quolibet sibi superaddito circa obiectum indifferens, seu cum indifferentia iudicij proposiſum. Addo etiam posse Deum per se ipsum supplere efficientiam physicam habitus, non prædeterminando potentiam, sed quasi coniungendo se illi & offerendo suum influxum, si voluntas suum adiungere velit, vt in prolegom. 1. & in lib. 3. explicaui. Nam quo ad hoc, eadem est ratio de Deo concurrente per modum causæ primæ vniuersalis, vel concurrente per modum causæ proximæ principalis, vt in eo casu concurreret.

Solent prædicti authores aliud huius necessitatis principium magni facere, nimirum diuinam prædestinationem, præfinitionem, seu decretum ac propoſitum, seu intentionem efficacem & absolutam, (hæc enim omnia, quod ad præsens spectat, in idem recidunt,) qua Deus ſtatuit hominem conuertere. de qua dixit D. Thomas 1.2. qu. 112. art. 3. in fine corporis. *Si ex intentione Dei mouentis ſit quòd homo, cuius cor mouet, gratiam consequatur, infallibiliter illam consequetur.* Vt ergo illud propoſitum Dei indubitanter impleatur, necessaria est motio prædeterminans. Veruntamen neque ex hoc capite oſtenditur talis necessitas, quia motio prædeterminans non est medium necessarium, vt prædestinatio, & propoſitum Dei infallibiliter impleatur. Imò addo neque esse proportionatum, quia prædestinatio ipsa, & propoſitum Dei ex parte obiecti includit vt voluntas humana plena libertate conuertatur, & gratiam consequatur, ad quem finem non est aptum medium prædeterminatio, vt capite sequenti oſtendam. Sufficit ergo motio prævia quæ suum effectum infallibiliter consequatur, meritò enim D. Thomas illa voce *infallibiliter* vſus est, quæ non requirit prævium determinationem in causa, sed certitudinem effectus, etiam ſi causa de se indifferens sit. Vnde etiam Auguſtin. lib. de dono perſeuer. cap. 14. loquens de mediis prædestinationis, dixit esse beneficia omnia, *quibus certiſſimè liberantur quicunque liberantur*, non dixit *quibus prædeterminantur*, vel quidpiam æquiualens, sed dixit *certiſſimè*, quia satis est quòd talia media infallibiliter sint habitura effectum in præscientia diuina, quod per vocationem congruam sine prædeterminatione subſiſtere optimè potest, vt in sequentibus declarabimus. Et inde ex reſponſione ad rationes sententiæ, & ad testimonia quæ congerit: euidentius conſtabit hanc necessitatem talis prædeterminationis,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nec authoritate, nec ratione probari: nolumus enim nunc ad illa argumenta, & eorum solutionem digredi, ne discursum disputationis interrumpamus, & doctrinam confundamus.

11 Probatur assertio ex inconuenienti.

Secundò & præcipuè probatur nostra assertio ex inconuenienti, quia si hoc auxilium prædeterminans physicè voluntatem est simpliciter necessarium ad conuersionem eius, vt supponitur, sequitur eos, quibus non datur non habere auxilium sufficiens ad suam conuersionem, ac subinde, neque liberè non conuerti; ita vt eis imputetur si non conuertantur postquam sufficienter vocati sunt. Consequens est falsum, & sine vlla contentione à catholicis Doctoribus non admittitur; ergo neque antecedens admitti debet. Probatur sequela, quia illud auxilium necessarium est, & qui illo caret non habet illud in sua potestate; ergo nec auxilium sufficiens habet, nec libertatem quo ad specificationem ad habendum actum supernaturalem. Consequentia nota est ex dictis suprà de libertate, & auxilio sufficiente, quia voluntas non est proximè libera ad actus supernaturales, nisi actu habeat præuenientia auxilia necessaria, & in potestate sua habeat concomitantia. nam vtrumque requiritur ad proximam sufficientiam auxilij. Ad sufficientiam autem ac libertatem, seu potestatem remotam necessarium saltem est habere in sua potestate auxilium efficax. At verò qui non recipit actu auxilium prædeterminans ex ea parte non habet potestatem, & sufficientiam proximam, nec etiam habet immediatè illud in sua potestate actiua, quia non fit ab homine, nec etiam mediatè, quia nihil potest facere, quo illud consequatur, ergo nullo modo est liber cum sufficienti auxilio ad tales actus.

12. Hæc ratio exaggerata semper est à nostris Authoribus, ideòque defensores contrariæ sententiæ nos reprehendunt quod frequenter hoc argumentum repetimus, & nimirum illud exaggeramus, cùm ab antiquis Patribus & Doctoribus sæpiùs dissolutum sit. Nos autem in Patribus, vel antiquis Theologis non inuenimus responsum quod huic causæ possit accommodari, & in his quæ ab ipsis excogitata sunt, non quiescunt, & ideo cùm res hæc multum necessaria sit ad defendenda dogmata fidei ab hæriticis incursibus, mirandum non quòd semper instemus à catholicis Doctoribus postulantes, vt nos docerent, quomodo cum necessitate talis auxilij prædeterminantis stet sufficiens auxilium, & potestas libera, quoad specificationem in his, quibus tale auxilium non datur. Eo, vel maximè, quòd quidam eiusdem Dominicanæ familiæ magnus Theologus Pater Ioan. Vincent. indissolubilem reputauit hanc difficultatem. Et ideo, vt Ledesma art. 11. refert ab illa sententia quoad hanc partem recessit, negando necessitatem talis auxilij, licèt possibilitatem non negauerit, & ideo concesserit aliquibus dari: in quo non esset sibi contrarius, vt illi objcit Ledesma, si aliunde illa prædeterminatio non repugnaret, quia potest Deus sua voluntate dare maius auxilium, quàm necessarium sit. Igitur omissa quæstione de possibilitate contra necessitatem indicauit ille Theologus, & Thomista rationem factam esse indissolubilem, quia libertas non est sine potestate agendi. Vnde si libertas sit quoad specificationem, cùm sit ad volendum vnum, vel aliud, dari non potest sine potestate ad vtrumque, neque etiam potestas esse potest sine sufficienti auxilio, cùm sine auxilio gratiæ homo non possit hos actus operari, & ideo per auxilium sufficiens hoc posse recipi, vt libro 2. & 4. ostensum est.

Vincentius Ledesma.

13. Duobus autem modis principalibus respondent dicti Theologi. Prima responsio est negando auxilium hoc efficax esse necessarium, vt homo possit conuerti, sed tantùm esse necessarium, vt conuertatur, & ideo ante tale auxilium, & sine illo habere hominem auxilium quo possit conuerti, & ita habere auxilium sufficiens. Sicut Adam in statu innocentiæ non habuit auxilium efficax ad resistendum suggestioni Dæmonis, & nihilominus habuit auxilium sufficiens quo posset resistere, si vellet, vt ait Augustinus de corrept. & grat. capite 11. Hoc responsum tradit Cabrera suprà disp. 6. dub. 7. numero 32. & 33. & latiùs Aluarez disp. 18. ad 6. & disp. 115. numer. 21. dicens hanc motionem non esse necessariam, vt homo possit operari, sed vt actu operetur, neque esse *in recto*, vt ait, principium actiuum, & vltimum complementum virtutis actiuæ. Similem doctrinam habet in disputatione vigesima, in solutionibus argumentorum, & alijs locis, quæ ibi citat & pro illis allegat D. Thomam in 3. contr. gent. capite 66. ration. 4. & q. de potent. art. 7. ad 7. Sed nescio quo colore, cùm nullum verbum sit ibi apud D. Thomam de motione prædeterminante liberum arbitrium, nec de principio in recto, vel in obliquo, nec satis intelligo quid hęc verba significent, non enim sunt in vsu.

Responsio dicta Theologorum prima.

Augustin.

Cabrera.

Aluarez.

D. Thom.

14. Simili modo respondet Ledesma dicto art. 11. concluf. 1. ex hoc enim principio defendit auxilium præcedens ad auxilium efficax, & separatum ab illo esse verè sufficiens, quia auxilium sufficiens habet rationem virtutis & potentiæ: efficax autem auxilium dat actualem operationem, & non est necessarium ex parte principij virtutis, seu potentiæ, imò supponit integram potentiam ex parte hominis sufficienter præuenti, subordinatam tamen motioni diuinæ prædeterminanti, quæ sufficiens est ante illam motionem, licèt operari non valeat sine motione, sicut potentia motiua existens in manu de se sufficiens est ad efficiendum motum, licèt subordinata sit appetitui, & sine illius motione ipsa non moueat. Et intellectus habitu fidei instructus sufficiens potentia est ad eligiendum actum credendi, licèt illum non valeat elicere, nisi motus à voluntate cui subordinatur. Ad hunc ergo modum vult ille auctor comparari voluntatem instructam auxilio sufficienti ad diuinam voluntatem, & motionem eius per auxilium prædeterminans quod voluntas prius est potentia sufficiens ad actum eliciendum, ita verò subordinata voluntati diuinæ, vt non valeat inchoare actum suum, nisi prædeterminata à voluntate diuina, & ideo (ait) in se supponitur sufficiens potentia ante talem motionem, ideòque auxilium sufficiens præcedit ante auxilium efficax, & in hac responsione hic auctor præcipuè insistit, licèt aliam adiungat, de qua statim dicam.

Responsio Ledesmæ.

15. Dicta verò responsio in primis nititur in alio fundamento quod auxilium efficax gratiæ solùm est concursus primæ causæ in illo ordine, quod fundamentum in superioribus euersum est; probauimus enim concursum primæ causæ in quolibet ordine, & per se ex vi solius subordinationis ac dependentiæ causæ secundæ à prima non esse quid prœuium in ipsa causa secunda, sed simultaneum, & imbibitum in actione ipsius causæ secundæ, & ideo ante talem concursum in re ipsa exhibitum optimè intelligi præcedere ordine naturæ in causa secunda sufficiens, & integra virtus agendi. Auxilium autem efficax, de quo tractamus, non est concomitans, sed prœuium, vt inter nos conuenit; ergo non rectè supponitur dari per modum concursus: præterea etiam admisso concursu prœuio, suprà ostensum

Responsionis Ledesmæ fundamentum quod.

sum est negari non posse, quin sit actus primus, & det virtutem agendi: ergo etiam si auxilium efficax gratiæ fingatur solùm per modum concursus prænij, erit actus primus, & dabit virtutem agendi. Multo ergo magis est talis virtus, & principium agendi si necessarium est, non propter dependentiam generalem causæ secundæ à prima, sed maximè propriè ac proximè propter defectum virium causæ proximæ, quæ est voluntas, vt ex sententia Augustini comprobauimus.

16. In tali auxilio non esse voluntatem sufficienter constitutã in actu primo. *Cabrera. Cumel.*

Hinc ergo euidenter concludi videtur, sine tali auxilio non esse voluntatem sufficienter in actu primo costitutam; quod quidem his verbis fatetur Cabrera 3.p.q.18.art.4.disp.6.dub.8.numer. 110. vbi comparat voluntatem sine hoc auxilio visui carenti specie ad videndum. Et Cumel in Opusc. libro 1. disp. 4. sect. 2. in declaratione 6. conclusionis dicit auxilium efficax esse donum gratiæ in genere principij, & causa efficientis antecedens pium vsum conuersionis, &c. & concluf. 4. §. *adde etiam*, ait auxilium sufficiens non grammaticaliter, (vt ipse loquitur,) sed theologicè dici sufficiens, quia dat homini, vt possit agere, tribuitque ei vim ad volendum, sed non completè omnino. quia est etiam necessaria gratia efficax intrinseca prædetermnans voluntatem, per modum actus primi, *& tunc* (ait) *homo est completè potens*, & ibidem iterum, atque iterum repetit auxilium sufficiens dare quidem posse, sed non completum, & integrum: accedente autem efficaci compleri, *& fieri proximè sufficiens.* Denique Aluarez, Capezudo, & alij locis suprà allegatis fatentur hoc auxilium esse principium per se actus voluntatis, & esse actum primum, vel saltem complementum eius.

Aluarez. Capezudo.

17. Excluditur hæc responsio.

Hinc ergo multis modis reiicitur responsio. Primò, quia auxilium efficax proximè, & immediatè non dat agere, sed posse agere, licèt det tale posse ad quod statim sequatur agere; ergo sine illo non habet potentia integrum posse per totum antecedens auxilium; ergo totum illud non potest dici sufficiens. Primum antecedens patet, quia voluntas habet immediatè & proximè, seu formaliter agere ab ipsa actione: hoc autem auxilium distinguitur ab ipsa actione, vt iam expositũ est in illa sententia; ergo tale auxilium per se, & formaliter non dat agere, sed aliquid præuium ad agere, quod non est nisi posse; quid enim aliud cogitari potest? Vnde nota est prima consequentia, quia si ante tale auxilium voluntas haberet integrum posse, non indigeret auxilio dante posse; si autem indiget illo, signum est totum præcedens auxilium non dare integrum posse, ac subinde non esse sufficiens, vt in secunda consequentia inferebamus.

18. Alia responsio Ledesmę

Respondet Ledesma dicto art. 11. conclusionem 2. pro alijs suis auctoribus, (licèt in hoc puncto ab illis discrepet,) negandam esse illam vltimam consequentiam in eorum opinione. Nam illi solùm dicunt auxilium efficax consummatiuum, & impletiuum auxilij sufficientis, vnde supponunt ante illud esse auxilium sufficiens, quia complementum supponit rem quam complet, sicut existentia supponit essentiam, quia illam complet. Sed non cluditur verbis tam grauis difficultas, nec in re tam ardua, vti licèt verbis ambiguis ad vim rationis fugiendum, quod certè in illa responsione fit. Duobus enim modis aliquid dici potest complementum rei. Primò tanquam addens aliquam perfectionem rei iam perfectæ: secundò tanquam constituens illam in tali esse completo; & primo modo supponit rem, non autem secundo modo: vt, forma vno modo dici potest complementum materiæ, quia actuat illam, & ita supponit illam aliquo modo, quia vt sic non constituit materiam in esse materiæ; alio verò modo est forma complementum constituiuum compositi, & vt sic non supponit compositum, sed complet, & constituit illud; & sic existentia, (cum istis auctoribus loquendo,) non complet essentiam constituendo illam in esse essentiæ, sed suo modo actuando illam, & ideo potest illam in ratione essentiæ supponere: complet autem essentiam in ratione entitatis actualis illam constituendo, & vt sic impossibile est intelligere essentiam completam in ea ratione entitatis actualis ante existentiam. In præsenti ergo auxilium efficax dicitur, esse complementum potestatis efficiendi actum supernaturalem tanquam constituens, & integrans prinpium sufficiens effectiuum actus supernaturalis. Patet consequentia, quia tale est illud complementum, vt sine illo potentia quæ supponitur sit infirma, & simpliciter impotens ad talem actum efficiendum; ideo enim tale complementum simpliciter necessarium est ex parte principij, vt det vires ad efficiendum.

Auxilium efficax gratiæ quid.

Eadem doctrina adhibenda est, si hoc auxilium dicatur esse complementum auxilij sufficientis, quamquam, si alij auctores attentè legantur, non ita loquuntur, sed dicunt esse complementum actus primi, vel virtutis, seu principij effectiui actus voluntatis. Et ante tale complementum in ratione principij, seu virtutis volunt auxilium esse complementum in ratione sufficientis, quia ad sufficientiam non putant esse necessarium illud complementum in ratione virtutis, & principij actiui. quod non esse consequenter dictum facilè intelligi potest, vt statim notabo. Verumtamen admisso illo modo loquendi, non potest auxilium efficax dici complementum auxilij sufficientis, tanquam formaliter complens, & constituens illud. Nam hoc pugnat cum doctrina ab eis recepta circa distinctionem auxilij in sufficiens & efficax: illa enim duo membra distinguuntur tanquam completa in suis rationibus, & vt inter se distincta. Quapropter si aliquo modo permitti potest, vt auxilium efficax dicatur complementum auxilij sufficientis, intelligendum erit de complemento quasi extrinseco, & addendo nouum modum perfectionis, & virtutis, & sic dicetur auxilium sufficiens supponi ad efficax in ratione sufficientis auxilij, non tamen in ratione sufficientis, & completi principij adamandum, v. g. vel consentiendum. Quæ duo probamus esse repugnantia, quia auxilium, vt sit sufficiens, debet sufficere in ratione principij actiui, aliàs non habet sufficientiam necessariam ad veram libertatem, quæ residet in potentia actiua, vt actiua est, vt in Prolegom. 1. ostendimus. Et ideo de ratione sufficientis auxilij est, vt det sufficientem potestatem actiuam operandi, vt ibidem & latiùs in superiori libro ostensum est.

Declararique potest, & confirmari hæc doctrina exemplo potentiæ visiuæ, & principij sufficientis ad videndum: nam visus per se spectatus est integra potentia visiua, non tamen est integrum principium videndi, ideoque species visibilis recte dici potest commentum principij videndi tanquam constituens illud: non potest autem hoc modo dici complementum potentiæ visiuæ tanquam constituiuum illius, quia supponit illam, licèt possit dici complementum tanquam actus addens illi aliquam perfectionem. Hinc verò manifestè fit, vt licèt potentia visiua, vt talis est, supponatur ante speciem, & inueniatur sine illa, nihilo-

nihilominus sufficiens principium videndi non possit sine specie inueniri, quia sola potentia sine specie non sufficit ad videndum. Ita verò comparantur auxilia excitantia, quæ sufficiens auxilium efficax, sicut potentia visiua ad speciem, vel in vniuersum, vt inchoatum principium ad comprincipium, quo completur; ergo licèt illa auxilia possint dici sufficientia in suo genere, vtique excitantis gratia non sunt, nec dici possunt sufficiens auxilium in ratione potentiæ & principij simpliciter effectiui actus secundi, & vltimi voluntatis.

11. Responsio- nì debùò oc- currit.

Secundò principaliter impugno responsionem illam, nostrumque argumentum confirmo, quia vt voluntas possit facere actus supernaturales, non solùm indiget potestate morali, sed etiam physica, quia licèt voluntas moraliter operetur, cum liberè vult, simul operatur physicè, propriè, & per se, efficiendo actus suos, & ad vtrumque est per se impotens in ordine ad actus supernaturales, & ideo non solùm indiget auxilijs dantibus posse morale, sed etiam dantibus posse physicum, quod in libro trigesimo latè ostensum est, & nobiscum in hoc conueniunt dicti authores. Hinc ergo argumentor: nam homo non potest dici habere auxilium sufficiens simpliciter ad liberum actum efficiendum, propter solam potestatem moralem, nisi habeat etiam physicam, sed per auxilia excitantia, seu antecedentia ad auxilium efficax, & illo præciso non datur voluntati potestas physica ad eliciendum supernaturalem actum, sed tantùm moralis, vt ex sententia dictorum Patrum suppono, nam in hoc non dissentimus; ergo per illa sola non datur ei principium sufficiens. Maior videtur euidens ex terminis, quia non potest actus liberè fieri à voluntate nisi fiet ab illa physicè, vt supponitur; ergo quando voluntas de se non habet potestatem physicam ad eliciendum actum, non potest dari illi absoluta potestas sufficiens ad eliciendum illum, nisi detur illi physica virtus ad ipsum eliciendum. Imò si quis attentè consideret, in ipso verbo eliciendi includitur efficientia physica. Et in actibus liberis imperatis id ad sensum declaratur: nam si caret quis pedibus, non est liber ad ambulandum, etiamsi sit liber ad volendum, vel desiderandum ambulare, vnde neque potest talis homo constitui in statu sufficienti ad liberè ambulandum, nisi ei restituantur pedes; & detur potentia physica ad ambulandum, quia aliàs non erit in potestate eius ambulare, simpliciter loquendo. Sic ergo voluntas nisi ei detur potestas physica ad amandum, vel credendum, non est libera simpliciter, neque habet auxilium sufficiens ad illos actus exercendos: sicut homo nunc non est liber ad videndum Deum, neque ad id habet auxilium sufficiens pro hoc statu, quia caret potestate physica ad efficiendum talem actum.

12. Instantia.

Occluditur

Respondebunt fortasse ante auxilium efficax dari homini per habitus infusos potestatem physicam ad eliciendos actus supernaturales, & ita dari auxilium sufficiens in vtroque genere potentiæ. Sed contra hoc instari potest ex omnibus dictis, quia habitus sine auxilio efficaci est quasi potentia remota, & per se simpliciter impotens, sicut potentia visiua sine specie. Quod maximè conuincit supponendo, vt iam diximus, hoc auxilium prædeterminans non postulari ex parte generalis concursus in genere, sed ex parte virtutis causæ secundæ, vt det illi vires ad operandum supernaturaliter, quia solus habitus non dat illas integras, ac proinde neque sufficientes. Adhuc tamen euidentius id ostenditur in homine infideli vocato ad fidem, vel peccatore vocato ad pœnitentiam, nam in illo non est habitus infusus, qui det potestatem physicam, eliciendo voluntatem credendi, vel actum pœnitentiæ; & omnes motus gratiæ excitantis præcedentes conuersionem non sunt principia physica conuersionis, vt ipsi supponunt contra Molinam, me non repugnante. Nec etiam ipse Spiritus sanctus adiungitur pœnitentiæ confortans immdiatè illam, & cooperans physicè cum illa talem actum: hoc enim ipsi in me impugnant, & volunt virtutem hanc physicè efficiendi talem actum dari homini in eo statu constituto per motionem Dei efficacem, quam dicunt non esse aliam ab ipso auxilio efficaci. Vnde Ledesma dicta quæstione vnica in principio, in quarto fundamento, ait in illo homine auxilium constituere voluntatem in actu primo proximo ad operandum, ac proinde illud esse auxilium sufficiens proximè, & reliqua quæ antecedunt, solum esse remotè sufficientia. Et idem repetit art. 6. §. *aduertendum*, post tertiam conclusionem, & rationem reddit, quia in illo casu nihil aliud est, per quod voluntas constituatur in actu primo respectu talis actus. Et eandem doctrinam habet Aluarez, vt sæpe in superioribus allegaui, & videtur esse communis horum auctorum vt in materia etiam de iustificatione dicemus. Ergo peccatori cui non datur auxilium prædeterminans, non datur auxilium simpliciter sufficiens ad pœnitendum, nec infideli cui prædicatur Euangelium, datur internum auxilium sufficiens ad volendum credere quandiu non datur auxilium efficax, quia non est constitutus in actu primo, nec habet virtutem physicam ad efficiendos. Quæ ratio iudicio meo efficacissimè concludit ad hominem in peccatore, quantumuis actu vocato, & excitato, prius tamen natura concepto quàm auxilium efficax recipiat, non esse auxilium simpliciter, & proximè sufficiens ad conuersionis actum efficiendum. Quod tandem Ledesma suprà concedit, & ad aliam solutionem diuertitur, de qua statim.

Ledesma.

Aluarez.

Tertiò possumus hoc vrgere: nam etiamsi daremus, auxilium efficax non dare potestatem agendi, eo ipso quòd simpliciter necessarium dicitur ad volendum, quocumque modo fingatur necessarium, siue ex parte principij, siue ex parte actus, siue ex parte Dei, siue ex parte hominis, si tale auxilium nec offertur illi, ita vt in potestate eius actiua constituatur, non potest homo in tali statu constitutus dici habere auxilium sufficiens, aut veram libertatem ad talem actum efficiendum. Probatur, quia si ad agendum est necessarium tale auxilium, ergo ad potestatem agendi est necessaria potestas habendi idem auxilium, vt superiori libro tractando de auxilio sufficienti latè probatum est; ergo si Deus nec dat hoc auxilium, neque expectat aliquid ex parte hominis, vt illud det, sed pro suo arbitrio illud distribuit, vt solent dicere illius sententiæ authores, profectò non est tale auxilium in potestate hominis, ac subinde neque effectus eius est in libera hominis potestate, nec talis homo potest dici auxilium simpliciter ad talem actum sufficiens recipere. Et hoc argumentum maximè vrget contra aliquos ex dictis Theologis, qui dicunt Deum nec dare, nec paratum esse dare omnibus reprobis efficacem prædeterminationem, sed de facto decreuisse æterno decreto illis non dare tale auxilium ex se solo, & ante omnium operum præuisionem, sicut docet Cabrera dicta disputatione 6. dub. 7. à numer. vigesimo, vn-

13. Vrget tertiò.

Probatur.

Cabrera.

de in numer. 28. ait esse simpliciter impossibilem collationem talis auxilij respectu reprobi, quia suppositio antecedens, ait, facit actum simpliciter necessarium, vel impossibilem: illud autem decretum est suppositio antecedens, vt ipse ait, quia antecedit libertatem reprobi, & ideo facit simpliciter impossibilem collationem talis auxilij.

23. Instantia. Quòd si instetur inde sequi esse impossibilem actum ad quem tale auxilium est necessarium, & Præcluditur consequenter omissionem eius non imputari in culpam. Respondetur negando sequelam, quia auxilium non est necessarium ad posse, sed ad agere. Neque aduertit, (præter alia quæ diximus,) licèt carentia auxilij necessarij ad agere non tollat potestatem agendi, nihilominus impossibilitatem simpliciter, & antecedentem habendi id quod est necessarium ad agere, reddere impossibile ipsum agere & consequenter excusare omissionem eius. Propter quod dixit Aug. Augustinus libro de corrept. & gratia capite 11. si primo homini defuisset auxilium, ita vt illud habere non posset, si vellet, non fuisse illi lapsum imputandum, quia nemo peccat in eo quod vitare non potest, vt idem Sanctus dixit libro tertio de libero arbitrio capite 18. & libro de natur. & gratia capite 67. vbi subdit, *Non imputari homini quod inuitus ignorat, sed quia negligit quærere, quæ ignorat, & quia volentem sanare contemnit*; ergo si Deus ex se non vult sanare, nec dare auxilium efficax, non potest homini imputari quidquid ex illa carentia necessariò sequitur. Est ergo sententia illa valde repugnans sufficientiæ auxilij, multumque diminuens vniuersalem, & veram Christi redemptionem circa reprobos, & veritatem prouisionum Dei; quibus se ostendit paratum ad omnes homines conuertendos, omniumque remittenda peccata, ac denique contra iustitiam Dei, & quòd imputet homini, quæ reuera vitare non potest. Ideoque, vt superiori libro notaui, iuxta doctrinam Concilij Senonen. in decreto fidei decimo quinto, vt necessitas auxilij præuenientis in his, qui illo carent, libertatem ad agendum non auferat, necessarium est, vt Deus quantum in se est paratus sit illud dare. Vnde etiam ipse Cabrera in illa sententia constans non est, vt infrà in illo, & alijs adnotabo. Non enim desunt qui respondeant semper esse in potestate hominis in hac vita recipere hoc auxilium efficax, quia quandiu hic viuit, nunquam est extra statum salutis, ideòque potest auxilium efficax recipere. Vnde ex eo quòd homo non habeat auxilium efficax, (ait P. Aluarez,) non rectè infertur non posse operari, sed non operaturum, sicut ex eo quòd paries careat albedine, non sequitur non posse esse album, sed solùm non esse album; ita ergo carens auxilio efficaci ad amandum non amabit; potens autem est ad amandum per virtutem actiuam quam dat auxilium sufficiens, quia semper potest pro isto statu moueri efficaci motione. Sed responsio non satisfacit. Primò, quia auxilium præuium ante hoc efficax non dat virtutem actiuam physicam & sufficientem, vt iam ostensum; imò interdum nullam physicam virtutem actiuam præbet, vt de homine carente habitu charitatis dicebamus.

Respondet Aluarez.

Reiicitur illa responsio.

24. Secundò, quia illa potentia est in homine non habente auxilium efficax ad habendum illud ex parte ipsius hominis, est tantùm potentia passiua, cùm à solo Deo fieri debeat, & sola eius voluntate detur, negetur: habere autem auxilium in potentia passiua tantum, non satis est ad moralem potestatem operandi, de qua tractamus, nisi id sit aliquo modo constitutum in hominis actiua potestate. Quia, (vt suprà probatum est in primo Prolegomeno,) potentia passiua, vt sic, non sufficit ad libertatem arbitrij, vnde non dicitur homo habere in sua potestate quod potest recipere, sed quod potest agere, iuxta illud Augustini libro primo retract. capite 22. & libro secundo, capite primo *Illud est in nostra potestate quod, cùm volumus, facimus.* quod de illo auxilio efficaci prædeterminante dicere non possumus, quia nec possumus illud in nobis facere, nec pro nostro arbitrio, aut voluntate nobis datur, vt statim ostendemus. Ergo illa potentia, quæ est in omnibus viatoribus, ad recipiendum hoc auxilium efficax non satis est, vt dicantur habere auxilium sufficiens, nisi etiam ex parte Dei ita illis offeratur, vt sit in potestate morali ipsorum, ac subinde in eorumdem voluntate sit habere illud, vel saltem non impedire quod à Deo detur; ergo necessarium est Deum quantum ex se est, paratum esse illud dare nisi per hominem stet, imò iuxta dicta in superiori libro de auxilio sufficiente, hoc non satis est ad auxilium proximè sufficiens, sed tantùm remotè: ergo nullo modo saluari potest in ea sententia, quòd infidelis, vel peccator sufficienter vocatus ad fidem, vel pœnitentiam habeat auxilium proximè sufficiens ad voluntatem credendi, vel pœnitendi, quod satis magnum inconueniens est, & multo maius quod nec remotè potest illud habere, vt in sequenti puncto ostendam.

Aug. retract. 22. Aug. Alia igitur responsio dictorum Theologorum est hominem sufficienter vocatum habere auxilium sufficiens simpliciter, quia si per eum non stet, infallibiliter prædeterminabitur voluntas eius ad consentiendum. Ita respondet Medina 1. 2. quæstione centesima nona, articulo decimo in principio dubij post primam conclusionem, §. *tertiò nota*, & in fine articulo ad 3. dubit. Sequitur Franciscus de Auila capite 7. & 8. Aluar. disputatione 18. ad 6. & in alijs locis infrà citandis. Et propterea in disputatione 95. ad 1. distinguit inter auxilium efficax datum & oblatum, dicitque illi auxilio dato non posse resisti, illi autem oblato resisti posse. Eandem doctrinam habet Ledesma in principio quæstionis in 4. fundamento in fine, licèt postea in varijs articulis soluendo argumentum hoc multum laboret, & plura dicat, quæ non videntur satis intelligi, neque inter se conuenire, vt infrà notabo. Eandem doctrinam sæpe repetit Cumel 1. 2. quæstione centesima vndecima articulo 3. ad 3. & in opuscul. libro 1. disputatione 4. sect. 2. in declaratione 5. conclusionis, & sæpissimè in illa & sequenti disputatione. Tenet denique Cabrera suprà disputatione 2. num. 476. 465. & alijs.

Medina. Aug. Aluar. Ledesma. Cumel. Cabrera.

Solent hi auctores ad hanc solutionem confirmandam vti testimonijs Patrum asserentium quòd homini non detur gratia, in ipso causam esse, non in Deo, quos suprà latè retuli libro 4. per varia capita. Et videri potest Augustinus libro 1. retract. capite 22. libro 2. de peccator. merit. capite 17. & quæstione 2. ad Simplician. & libro 83. quæstion. quæstione 68. & Prosper libro 1. de vocat. gent. capite 5. & libro 2. per totum, & Anselm. de casu diabol. capite 2. & 3. & D. Thomam. 3. contra. gent. capite 159. & 160. Imò etiam Concilium Tridentinum sess. 6. capite 5. apertè docet esse in potestate hominis conuersionem ipsam, ac subinde in eadem potestate esse habere omnia auxilia necessaria ad conuersionem. Doctrina ergo ipsa in se vera est, & certa: Patres autem illam non applicant

Prosper. Anselm. D. Thom. Concil. Trid. de iustif. can.

cant ad auxilium prædeterminans, sed absolutè, & simpliciter loquuntur de potestate habendi auxilia necessaria, vt homo saluetur, si velit. Quomodo autem illa doctrina applicanda sit ad præuenientia auxilia vsque ad primum in præcedenti libro pro virili explicatum est, nunc autem videndum est, an possit applicari ad auxtlium efficax si in efficaci prædeterminatione ponatur.

17. Mens authoris in præsenti.

Dico ergo non posse applicari; quod ita ostendo: nam si est in potestate morali voluntatis humanæ sufficienter vocat ad fidem habere infallibiliter auxilium prædeterminans & efficax, vel illud impedire; id esse debet intercedente aliquo vsu libero eiusdem voluntatis, veluti medio, inter auxilium excitans sufficienter, & hoc prædeterminans: non potest autem postulari talis vsus, nec sufficere; ergo non potest hoc auxilium priusquam re ipsa detur in libera, & morali hominis potestate constitui. Maior clarissima est ex his quæ diximus cum Augustino, quia potestas moralis est in his, quæ cum volumus, facimus, vel habemus, aut recipimus: sic enim habitualis gratia est in potestate peccatoris, & sic de alijs: si ergo suppositâ vocatione auxilium prædeterminans est in potestate nostra, oportet, vt sit medio aliquo libero vsu voluntatis nostræ. Quòd autem hoc dici non possit, pro vt in minori subsumebamus, probatur primò ratione suprà insinuata, quia hinc sequitur non esse in potestate peccatoris sufficienter vocati immediatè conuerti, aut velle credere, vel pœnitere. Consequens autem est falsum, ergo. Sequelà patet, quia posita vocatione quantumuis sufficiente non potest voluntas immediatè prorumpere in consensum, seu actum ad quem vocatur, quia non immediatè recipit prædeterminationem; sed prius debet aliquem alium vsum medium suæ libertatis habere, vt in illa responsione supponitur.

18. Ostenditur falsitas consequentis ex modo loquendi Patrum. *August. Prosper.*

Falsitas autem consequentis ostenditur primò ex modo loquendi Patrum, qui semper illa duo tanquam immediata coniungunt, sic Augustinus quæstione secunda ad Simplician. non dixisset *credere esse nostrum & Dei*; subiungit, *Dei vocando; nostrum sequendo*, neque inter illa duo medium agnoscit. Simili modo Prosper libro secundo de vocat. gent. capite 26. priùs declarat quomodo Deus præmoueat ac præparet voluntatem, per gratiam excitantem, & deinde immediatè adiungit, *sed voluntas hominis subiungitur ei*, (id est, illi gratiæ,) *atque comungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidiis, vt diuino in se cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium.* Ergo ex sententia Prosperi potest voluntas sufficienter vocata immediatè incipere consensum cooperando gratiæ Dei, nullo alio interueniente medio vsu libertatis. Idem eleganter docuit Bernardus libro de gratia & liber. arbitrio versus finem, cuius verba sæpius in superioribus retuli. Ratione item declaratur, quia nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia, sed Deus immediatè vocat sufficienter ad fidem, ita vt homo plenè attendat, & habeat obiectum præsens cum sufficienti excitatione voluntatis, & nihil aliud per illam vocationem intendit, aut præcipit homini sic vocato nisi, vt velit credere & credat; ergo ad hoc dat ei auxilium proximè sufficiens.

Bernard.

Declaratur ratione.

19. Argumentum secundum.

Secundò potest hoc ad hominem efficaciter probari contra dictos auctores, quia aliàs expectaret Deus voluntatem hominis, vt daret illi initium efficax conuersionis, seu consensus, quod iuxta illorum sententiam in motione prædeterminante consistit. Consequens autem illud ipsimet in nobis damnant, & licèt dicamus Deum expectare voluntatem, non vt per se operantem, sed vt gratiæ suæ cooperantem, nihilominus id putant ad Semipelagianorum sententiam pertinere, vt infrà videbimus; ergo non possunt consequenter illam sequelam, vel consequens eius admittere, maximè, quia non solùm sequitur expectare Deum liberum arbitrium, vt suæ gratiæ cooperans, Sed vt per se ac viribus suis bene vtens sua libertate post vocationem, vt ostendam. Probatur ergo sequela quoad priorem partem, vt in argumento absolutè est propositâ, quia post vocationem sufficientem in potestate nostra est recipere, vel non recipere auxilium efficax prædeterminans; ergo priusquam Deus illud det, respicit an homo se disponat, nec ne, ad auxilium efficax, vel an illi ponat impedimentum, nec nec; ergo expectat aliquem proprium vsum liberi arbitrij, vt iuxtâ exigentiam eius det, vel neget auxilium. Iam ergo probatur altera pars, quia ille vsus non potest esse ab auxilio efficaci, quia antecedit illud, siquidem ab illo pendet quod detur, vel non detur auxilium efficax: ergo est à solo libero arbitrio, & ita expectat Deus vsum proprium liberi arbitrij solius vt det; vel non det prædeterminans auxilium. Ex quo vlteriùs efficaciùs obijcitur contra hos auctores testimonium Pauli dicentis, *Quis enim te discernit?* 1. Cor. 4. quàm soleat ab ipsis contra nos obijci. patet; quia suppositâ necessitate physicæ prædeterminationis, per illam maximè fit discretio inter bonos, & malos; prædestinatos & reprobos; sed vt vnus recipiat hoc auxilium potius, quàm alius, radix est propria vniuscuiusque voluntas libera, per quam vnus se disponit ad tale auxilium, & non alius, vel vnus posuit impedimentum, & non alter: ergo discernitur vnus ab alio proprio arbitrio; cessat ergo interrogatio Pauli.

Probatur.

Probatur altera pars.

29. Argumentum tertium.

Tertiò ac præcipuè ac ex re ipsa argumentor, quia nullus potest cogitari præuius vsus liberi arbitrij, qui sit conditio sub qua Deus offert quantum est ex se tale auxilium, & non sine illa: duplex enim cogitari potest talis vsus, vnus est negatiuus non resistendi, vel non impediendi infusionem talis auxilij: alius est positiuus se disponendi per aliquem bonum motum ad receptionem talis auxilij; sed neuter vsus potest habere locum respectu talis auxilij: ergo. Maior per se clara est, & illa partitione vtuntur auctores illius sententiæ: circa minorem autem diuisi sunt, nam quidam requirunt dispositionem negatiuam, eàmque esse dicunt non resistere sufficienti vocationi, sed finere se moueri; nam si ita se habeat (inquiunt) voluntas hominis sufficienter vocati, infallibiliter prædeterminatur: quando autem non prædeterminatur, ideo est, quia non finit se prædeterminari, sed resistit. Ad hanc autem dispositionem negatiuam dicunt non requiri aliud auxilium prædeterminans, & ideo dicunt esse in mera potestate liberi arbitrij, & hoc modo esse in potestate eius habere auxilium prædeterminans. Hunc modum dicendi sequitur Cabrera suprà disputatione secunda §. 11. numero 302. 457. & 476. quamuis satis repugnet alteri sententiæ eius suprà relatæ, quòd homini sit simpliciter impossibile habere hoc auxilium ex decreto Dei antecedente ad omnem vsum liberum voluntatis hominis per absolutam voluntatem Dei non dandi illud. Quicquid verò sit de consequen-

Cabrera.

sequentia doctrinæ, fundamentum illius sententiæ esse potest, necessarium est vt ad auxilium efficax aliquo modo sit in potestate hominis iam vocati, sed non est in potestate immediata eius ad inchoandum consensum, quia ad hoc debet prædeterminari à Deo, nec mediante dispositione positiua, quia ad illam erit necessaria alia prædeterminatio: ergo oportet vt sit per dispositionem illam negatiuam, ad quam non est necessaria prædeterminatio, nec nouum positiuum auxilium.

30. Hanc sententiam impugnaui latè libro tertio de auxil. capite 13. Et in ea impugnatione nobis consenserunt Ledesma dicto art. primo ad tertiũ & Aluar. disputatione 105. ad sextam, & Cumel in opuscul. libro 1. disputatione quarta, sect. tertia circa finem tertiæ conclusionis; & propter huius discursus complementum, iterum hîc rationes summatim proponere non grauabor, possumusque ad duo capita impugnationes reducere.

Ledesma. Aluar. Cumel.

Cõuincitur rationibus theologicis.

Primum continet rationes theologicas in secunda obiectione proximè facta insinuatas. *Prima*, quia ex illa sententia sequitur hominem se disponere viribus solis liberi arbitrij sine gratia physicè adiuuante ad obtinendum auxilium efficax, quod non videtur concedendum, quia aliàs multum haberet homo vnde gloriaretur. Neque obstabit quòd illa dispositio negatiua sit, nam est dispositio moralis, & in moralibus magni momenti est libera abstinentia, vel omissio quando est difficilis, & laude digna, vt est manifestum in victoria tentationis contra præceptum negatiuum per solam suspensionem actus mali. *Secunda*, quia vltima resolutio cur huic detur, & non illi, auxilium efficax reducetur in solum liberum arbitrium, quod videtur alienum ab illa interrogatione Pauli, *Quis enim te discernit?* 1. Cor. 4. prima Corinth. quarto, & ab admiratione Augustini dicentis, *Cur hunt trahat, & illum non trahat, noli iudicare*, &c. & verbis Prosperi dicentis, rationem ob quam huic datur auxilium efficax, & non illi, non reddi sufficienter ex vsu liberi arbitrij. *Tertia*, quia iam gratia efficax esset pedissequa liberi arbitrij, non ductrix, nam supponeret vsum eius, & illum infallibiliter sequeretur, iuxta illam sententiam. Item initium salutis quoad efficaciam actus, (vt ille auctor loquitur,) esset à libero arbitrio non tantùm vt cooperante cum auxilio comitante, sed etiam sua sola libertate ita se præparante, saltem sinendo se duci vt infallibiliter trahatur. *Quarta*, quia sequitur dari ex parte hominis causam moralem saltem negatiuam suæ prædestinationis, quæ fuit opinio Henrici, quodlibetico quarto, quæstione 19. & quodlibetico 8. quæstione 5. communiter tamen à Theologis reprobata, vt dixi libro secundo de prædestinatione capite 10. & ab ipso etiam Cabrera dubio septimo. Sequela probatur, quia primus effectus proprius prædestinatorum est auxilium efficax, nam antecedentia excitantia, & sufficientia communia sunt ex generali gratiæ prouidentia, sed auxilium efficax dicitur dari ex dispositione negatiua propria libertate concepta; ergo.

Ratio prima

Ratio secunda.

Augusti. Prosper.

Ratio tertia

Ratio quarta.

Henricus.

Cabrera.

Probatur sequela.

31. Vt autem vis harum rationum magis eluceſcat, obiici potest, quia in præcedenti libro docuimus ex doctrina D. Thomæ, & communi, Deum dare primam gratiam excitantem homini non ponenti obicem, quacunque ratione contingat illum non ponere, etiam per solam carentiam actus liberi mali, diximùsque inde non sequi hominem suis viribus se disponere ad primum auxilium gratiæ, nec dare initium illa, quia illa carentia obicis non est dispositio, nec initium gratiæ; ergo idem responderi poterit de auxilio efficaci iuxta illam sententiam, negando illum vsum negatiuum esse dispositionem ad auxilium efficax, vel initium eius, sed meram carentiam obicis. Cur enim non hîc cum eadem proportione dicetur, Deus ex se offerre auxilium efficax prædeterminans omnibus sufficienter vocatis, non tamen absoluta promissione, sed sub conditione si non ponant obicem sinendo se mouere? Nam posita hac lege licèt detur auxilium efficax non ponenti obicem per vsum negatiuum suæ libertatis non dabitur gratia ob dispositionem eius, sed ex sola libera voluntate Dei, quia licèt contraria dispositio sufficiat ponere obicem gratiæ efficaci, nihilominus illa per se nihil confert ad eam gratiam, sed Deus gratuitò dat eam. Vnde si Deus velit, dare poterit auxilium efficax etiam illi qui reluctatur, & ponit obicem. Quapropter licèt is cui negatur auxilium efficax, quia non sinit se ducere ex parte sua, dici possit se discernere ab alio qui recipit auxilium, quia ratio ob quam ei non datur ab illo sumitur, nihilominus discretio ex parte alterius non potest ipsi tribui, quia nihil fecit dignum tali auxilio, vel de se conducens ad illud, sed Deus sola misericordia illud dedit. Sicut quando vnus vocatur ad fidem, & non alius, discretio fit inter illos, quæ ex parte eius, qui non vocatur, potest habere causam in ipso, ex parte verò eius, qui vocatur minimè. Sic ergo videntur posse eludi rationes factę.

Et videtur maiori ratione hæc omnia esse admitenda in primo auxilio prædeterminante, quàm in prima vocatione, quia ante primam vocationem nulla gratia antecedit in qua fundetur carentia obicis: in hoc autem auxilio efficaci antecedit gratia excitans, & moraliter iuuans ad non ponendum obicem, & sinendum se ducere. Nam licèt vocatio sufficiens non necessitet hominem, nec omnino illum prædeterminet ad non resiliendum, vel sinendum se ducere, nihilominus de se ad id mouet, & quando liberum arbitrium se finit duci, seu non resistit, non solùm id facit, sed moraliter adiutum ab ipsa vocatione, & quasi cooperando illi eo modo, quo in abstinentia illa negatiua, & libera potest intelligi cooperatio. Vnde ex hac parte licèt negatio illa vocetur aliqualis dispositio, non erit contra gratiam, quia illa eo modo quo fit, ex gratia excitante, & adiuuante fit, dispositio enim negatiua non fit physicè, sed moraliter, & ideo satis est quòd à gratia excitante, & moraliter adiuuante fiat. Sicut in exemplo posito de victoria tentationis pura negatiua per solam carentiam consensus ad illam sufficere potest auxilium excitans, & moraliter adiuuans, vt in libro 1. dictum est.

Hæc tamen euasio, & æquiparatio tolerari aliquo modo posset, si vsus ille negatiuus posset intelligi per modum remotionis obicis, quæ sit libera voluntati per solum vsum negatiuum; quia verò hoc intelligi non potest, locum non habet dicta euasio, quod explicabitur melius deueniendo ad secundum caput rationum, quibus illa responsio impugnatur. Primò ergo argumentor, quia si auxilium efficax est prædeterminans, nullus obex potest illi poni ex parte hominis, si Deus ex se paratus est ad dandum illud. Aut enim ille obex est aliquid habituale in homine existens, vel actuale, neutrum dici potest; ergo. Probatur minor quoad priorem partem de habituali, quia vel illud est peccatum originale,

Respondetur

Prædeterminans

Et argumentum cum eo.

le, vel habituale, vel aliud quod non sit peccatum. Primum dici non potest, quia licèt peccatum originale de se reddat hominem tali auxilio indignum, tamen suppositâ generali voluntate Dei saluandi, & redimendi omnes, illud solum non est sufficiens ratio ad negandum adultis auxilia necessaria ad salutem, vt de sufficientibus ostensum est in libro quarto. Et est eadem ratio de efficaci, vel certè maior. Quia, (quod notandum est,) collatio, vel denegatio auxilij efficacis adiuuantis, de quo tractamus, non habet locum nisi in homine sufficienter vocato ad fidem, vel pœnitentiam, nam ille, qui nondum vocatus est, non est capax auxilij efficacis, cùm non possit operari nisi vocatus; & ideo in illo, qui non est vocatus, non oportet aliam rationem quærere, ob quam non recipiat auxilium efficax, seu prædeterminans, nisi quia non habet vocationem, qua conuerti possit: cur autem careat vocatione, aliunde petendum est ex dictis de auxilio sufficienti. Posita autem vocatione sufficienti in homine, verbi gratia, existente in peccato originali, sicut peccatum originale impedimentum non ponit vocationi, ita nec potest solum ac per se peccatum esse obex auxilio efficaci; quia eo ipso quòd non obstante illo peccato, Deus hominem vocat, quasi remittit ex ea parte indignitatem, & reatum peccati originalis, & se obligat, quantum est ex se, ad dandum auxilium efficax, si nihil aliud illi obstat; quia non frustra neque fictè vocat; ergo vocat vt perficiat quantum in ipso est; ergo necessitate quadam consequentiæ secundùm ordinatam & prudentem prouidentiam dando vocationem non obstante habituali peccato offert etiam de se auxilium efficax.

Notandum.

Vnde non immeritò dici potest auxilium efficax cooperans, & adiuuans debitum esse homini vocato ratione vocationis, etiamsi aliàs in originali peccato esse supponatur, si aliud impedimentum non interueniat. Et hæc ratio æquè probat de peccato habituali relicto in actuali, vel actualibus commissis. Nam licèt hæc de se possint impedire vocationem, tamen si illis non obstantibus Deus dat vocationem sufficientem, ratione quodammodo debetur, & necessariò offertur ex parte Dei auxilium coadiuuans ex necessitate non absolutæ potentiæ, sed ordinariæ, & sapientis prouidentiæ, vt declaraui. Præter peccatum autem non potest alia habitualis dispositio cogitari, quæ sit obex ad recipiendam prædeterminationem, nam si quæ fingi potest maximè naturalis aliqua, vel permanens indispositio potentiarum ad operandum vt esset insania, vel amentia, aut somnus, aut aliquid simile; nihil autem horum habet locum in homine actualiter vocato sufficienter: oportet enim vt attendat, & sit aptus proximè ad operandum, si velit, aliàs etiam esset incapax vocationis; nulla ergo habitualis dispositio siue moralis, siue habitualis, quæ non est obex sufficientis vocationis, est de se obex prædeterminationis. Atque hoc maximè necessarium est in sententia contra quam disputamus, quia dispositio illa negatiua, quam ponit, est libera, & pendens ex vsu libero saltem negatiuo, seu suspensiuo actus liberi. Denique est euidens ratio, quia si per dispositionem illam negatiuam tollitur obex, necesse est, vt tale sit, quia à libero vsu pendeat, vt per illum vsum tolli possit. At verò habitualis dispositio præexistens in subiecto, non potest tolli per vsum liberum, præsertim negatiuum. Quomodo enim per hunc vsum libertatis auferretur habituale, vel originale peccatum, quod sine positiua dispositione supernaturali auferri non potest; ideò nan auferatur necessariò, supponit gratiæ efficacis operationem. Idemque de quolibet alio impedimento naturali euidentius est. Sic ergo certum respectu auxilij efficacis, seu prædeterminantis nullum interuenire posse habitualem obicem.

34. Auxilium efficax cooperans, & adiuuans hominem vocatum vocatione debitum.

35. Ponitur probatio de actuali.

Iam probatur idem de actuali, quia vel ille obex consisteret in actu positiuo, vel in carentia actus. hoc secundum dici non potest in illa sententia, de actuali. quia obex consistens in carentia actus positiui, non potest tolli nisi per oppositum actum positiuum; ergo non potest tolli per vsum negatiuum libertatis, quia actus non ponitur nisi per vsum positiuum. Item si vocatio sufficiens sit, verbi gratia, ad voluntatem credendi, interrogo, cuiusnam actus positiui carentia possit esse obex collationi auxilij prædeterminantis ad illam voluntatem? nullius profectò. Nam si sit carentia actus mali, illa non obest, imò prodest plurimum ad non impedienda gratiæ auxilia: carentia autem actus boni si moraliter tantùm sit quædam negatio, quia non est omissio peccaminosa, nec carentia actus debiti ex præcepto impertinens est, nec potest moraliter obesse: physicè autem, (vt sic dicam,) potest prodesse, vt voluntas sit expeditior ad attendendum vocationi ad fidem, & illi assentiendum, si velit. Si verò sit omissio per carentiam actus debiti ex præcepto, hæc nec necessaria est, nec moraliter coniungi potest cum vocatione actuali ad actum omnino diuersum.

36.

Quòd enim non sit necessarius huiusmodi obex, vt homo vocatus non recipiat prædeterminationem ad consensum, manifestum est, sæpissimè enim contingit cùm homo vocatur ad fidem, vel pœnitentiam, non teneri pro eo tempore ad alium actum exercendum, vt est per se notum; ergo tunc carentia aliorum actuum, quamuis bonorum, non potest esse obex, ne recipiatur auxilium prædeterminans ad voluntatem credendi, vel pœnitendi. Quòd verò neque moraliter possit contingere, patet, quia homo non potest simul occupari circa multa, præsertim grauissima, & quorum singula magnam requirant animi attentionem & considerationem; ergo dum homo vocatur actu ad fidem, verbi gratia, & Spiritus sanctus per sufficientem vocationem internam cor eius, & mentem ad id agendum, & intendendum excitat, non imponit illi præceptum, vt eodem tempore aliud præceptum impleat, & de re illa interiùs cogitet & sollicitus sit: non enim esset conueniens prouidentia nec capacitati hominis consentanea. Vnde quando aliud præceptum affirmatiuum instat, potiùs excitabitur homo ad cogitandum de illo, vel si ad id non excitatur, excusabitur per naturalem inconsiderationem, & sic carentia alterius actus non erit obex actui fidei, vel prædeterminationi necessariæ ad illam.

37.

Solùm video cogitari posse, post vocationem sufficientem necessarium esse orationis actum ad obtinendum auxilium prædeterminans ad voluntatem credendi, verbi gratia, & carentiam actus ostendi esse obicem alterius auxilij. Sed neque hoc cum probabilitate dicitur, tum quia si homo sufficienter vocatur ad fidem, eo ipso offertur illi auxilium adiuuans ad credendum tanquam consentaneum illi vocationi, vt suprà declaraui: tum etiam, quia si homo tunc ad orationem non excitatur,

tur, non potest actum illum habere, sed ad alium debet immediatè conari, ad quem excitatur, si verò excitatur ad actum orandi, cessabit protunc excitatio ad alium actum, & redibit quæstio de ipsa voluntate orandi, nam ad illam erit etiam necessarium auxilium prædeterminans, vnde si datur, iam homo orabit, & non ponet vbicem; si verò non datur, quærendum est, cur non detur, vel quo modo sit in potestate hominis, aut quemnam obicem illi ponere possit ob solam carentiam alicuius actus.

Tandem potest hic obex constitui in aliquo alio actu libero, cuius carentia sit remotio obicis, qua posset auxilium efficax impedire. Sed hoc etiam verisimile non est. Primò, quia nullo probabili modo potest explicari quis, vel qualis sit ille actus qui auxilio efficaci suscipiendo obsit, si non auferatur, vel suspenditur. Secundò ad hominem in illa sententia, iuxta quam etiam ad illum actum erit necessaria Dei prædeterminatio. Vel igitur Deus prædeterminat voluntatem ad illũ actũ, vel non prædeterminat: si prædeterminat, non potest voluntati imputari quòd aliam prædeterminationem impediat, quia Deus præuenit illam, prædeterminando illam ad alium actum, cui illa resistere non potuit: si autem Deus non prædeterminat voluntatem ad illum actum, tunc carentia talis actus non est moralis obicis remotio, quia voluntas non per suæ libertatis vsum, sed necessariò, & ex impotentia naturali non habet illum actum. Probatur, quia non potest actum illum habere sine prædeterminatione, & illa caret, vt supponitur: ad illam autem carentiam non potuit ipsa se disponere, quia nec fingi potest, qualis sit illa dispositio, nec si fingatur, in illa sistemus, sed radicem eius inuestigando in infinitum procedemus; ergo quòd Deus det hanc, vel illam prædeterminationem, non potest in aliquam negationem liberam ex parte voluntatis humanæ reduci, sed solùm pendet ex diuina voluntate.

38. Quod præterea ita explicatur, quia stante sufficienti vocatione ad fidem, vel homo est capax sub disiunctione, vel diuisim plurium prædeterminationum ad varios actus inter se ita repugnantes, vt simul esse non possint: vel est tantùm capax vnius prædeterminationis ad vnum actum? hoc posterius dici non potest, tum quia per illud toilitur libertas quo ad specificationem actus, quia hæc requirit capacitatem indifferentem ad plures actus, tum etiam, quia si homo vocatus ad credendum, verbi gratia, protunc solùm est capax vnius prædeterminationis, certè illa potius erit prædeterminans ad voluntatem credendi, quàm ad vllam aliam. Quæ enim alia fingi potest? aut cur illius potius erit capax voluntas, quàm alterius, cùm supponatur actu excitata sufficienter ad volendum credere? vnde si Deus non det illi talem prædeterminationem ad volendum credere, non poterit ipsi voluntati imputari, nec ad alium negatiuum vsum eius reduci, quia si non est capax alterius prædeterminationis, nec etiam est capax alterius actus, & consequenter neque omissionis liberæ illius. Si verò est capax plurium prædeterminationum, interrogo, cur potius vnam, quàm aliam à Deo recipiat, certè non potest in vsum liberum negatiuum ipsius voluntatis reduci, quia prius natura, quàm aliquam prædeterminationem accipiat, æquè caret omni actu, tam voluntatis credendi, quàm cuiuscumque alterius ipsi repugnantis; ergo ex vi illius negatiuæ dispositionis non est cur magis ad vnam voluntatem determinetur à Deo, quàm ad aliam; ergo impossibile est intelligere cur voluntas sufficienter vocata ad fidem prius natura, quàm ad hoc, vel illud prædeterminetur, se disponat, vel (si malis ita loqui,) se non impediat ad recipiendam prædeterminationem credendi per carentiam alicuius actus qui posset impedire voluntatem credendi, nam illa carentia actuum, quæ in illo priori naturæ antecedi, est naturalis, & vniuersalis ad omnes actus.

Et hæc est potissima ratio, &, iudicio meo, demonstratio, ob quam talis negatio alicuius actus intelligi non potest tanquam libera dispositio, vel remotio obicis, quæ aliquo modo siue per se, siue per accidens sit ratio, vel occasio, ob quam Deus det auxilium efficax præueniens post sufficientem vocationem; & ob eandem causam illud non repugnare, vel non resistere Deo vocanti, (vt in dicto libro de auxiliis notaui) licèt per negationem explicetur, non consistit in negatione, sed in aliqua voluntatis cooperatione: nam vocatio ipsa, de qua loquimur, est ad aliquid agendum, scilicet supernaturalem consensum, vnde per negationem omnis actus illi resisteretur: vt ergo non resistatur, necessaria est cooperatio aliqua, & ideo impossibile est, *illud non resistere*, vel *se non resistere moueri*; quatenus liberum est per solum liberum arbitrium fieri sine cooperante gratia: vnde Isai. capite quinquagesimo cùm dixisset, *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico*, quomodo non contradixerit declarat, dicens, *Corpus meum dedi percutientibus*, & adiungit, *Dominus Deus auxiliator meus* &c. Et ideo Augustinus libro de prædestinat. Sanctorum capite octauo diuinæ gratiæ efficaci tribuit, quòd homo non resistat, *quia ad hoc*, (inquit,) *datur vt cordis duritia penitus auferatur*, quod etiam habet Prosper in carmine de ingratis, capite decimoquinto, igitur ad non repugnandum necessaria est prædeterminatio, ergo non potest constitui in potestate hominis per præuiam non repugnantiam liberam, vt illa opinio confingit.

Est igitur alia opinio, dicens hoc auxilium esse in hominis potestate media aliqua dispositione positiua, quam si homo faciat, Deus prædeterminabit eius voluntatem ad consentiendum sufficienti vocationi ad fidem, verbi gratia vel pœnitentiam, sicut est in potestate hominis habere à Deo gratiam habitualem, iuxta illud Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, quia est in hominis potestate habere liberam dispositionem positiuam, quam si habeat, infallibiliter gratiam habitualem consequetur. Et ita videntur sentire interdum dicti authores. Dixit enim Ledesma in principio quæstionis in quarto fundamento ad finem, cùm Deus mouet hominem sufficienti auxilio supernaturali ad detestandum peccata, illud auxilium esse sufficiens tantùm remotè, & mediatè respectu actualis conuersionis; *nam si voluntas vellet*, in virtute huius motionis tandem peruenire ad perfectam conuersionem: ergo eodem modo potest peruenire ad recipiendam prædeterminationem, sine qua impossibile est habere actualem conuersionem. Cùm autem dicitur, *si voluntas vellet*, apertè significatur hoc fieri mediante aliqua dispositione libera eiusdem voluntatis. Eandem doctrinam habet Franciscus Dauila, capite septimo dicens, si homo

homo bene vteretur auxilio sufficienti, Deus daret illis efficax per quod conuerteretur. Idem iudicat Cumel suprà disputatione 4. sect. secunda conclusione 5. in eius declaratione ait, non esse dubium quin si homo præuentus auxilio excitante, & sufficiente non malè illo vtatur, aut non resistat, & habebit efficax, vbi licèt non dicat positiuè *bene vtatur*, tamen cùm aliàs impugnet vsum negatiuum, oportet vt per illum non malum vsum aliquem bonum intelligat: satis enim malè vtitur excitatione Dei, qui nihil boni per illam operatur; vnde paulo inferiùs docet idem author, & bene, quòd non resistere gratiæ, est consentire illi. Et iterum in §. *vnde in hac assertione*, dicit hominem gratia vocante, & excitante præuentum habere posse auxilium efficax Deo adiuuante, si bene vtatur prioribus auxilijs. Paulò verò inferiùs vtrumque modum videtur approbare, dicens, homo non caret prædeterminatione efficaci, nisi quia resistit liberè, vel opponit obicem, vel quia nihil curat de illa se diuertendo, & non attendendo diuinæ vocationi. Idem repetit inferiùs §. *his ita præhabitis*, vbi latè explicat hunc vsum positiuum, & in sect. tertio conclusione septima & similia inuenientur passim in alijs defensoribus illius sententiæ, sed illa omitto, ne & mihi, & alijs molestus sim.

Cumel.

41. Cumel.

Hanc verò sententiam impugnaui etiam in dicto capite 13. libro 3. de Auxil. quas impugnationes idem auctores approbarunt, Cumel dicta disputatione quarta sect. tertia in discursu conclusionis tertiæ. Ledesma dicto articulo primo ad tertium Aluar. in disputatione 105. ad 6. vt manifestum sumit, auxilium efficax non dari ex dispositione hominis libera, & à fortiori sequitur ex dictis ab ipso disputatione 18. 23. 90. 91. & alijs Vt autem veritas hæc intelligatur, & directè impugnetur illa sententia, sine tergiuersatione aduertendum est hîc solùm comparari auxilium prædeterminans cum vocatione sufficienti respectu vnius, & eiusdem actus conuersionis, ad quem immediatè voluntas per talem vocationem excitatur. quod ideo aduerto, quia si vocatio sufficiens ad vnum imperfectum actum cum auxilio efficaci ad actum perfectum conferatur, tum rectè fieri potest vt homo cooperando priori vocationi se disponat ad recipiendum auxilium efficax ad perfectiorem actum: vt virgo gratia si quis excitatur ad fidem, & illi consentit, per illum bonum vsum se disponet, vt excitetur ad attritionem peccatorum, & si illam eliciat, poterit per illam disponi ad auxilium efficax quo perfectè conuertatur, hunc enim ferè ordinem describit Concilium Tridentinum sessione sexta vt in libro tertio fusè explicatum. Imò si quis attentè consideret, in hoc progressu non disponitur homo per actum vnius auxilij immediatè ad illud auxilium prædeterminans, sed ad aliquam aliam excitationem ad altiorem actum, vel ad similem actum iterum meliori modo præstandum, cui excitationi aliud auxilium efficax, vel prædeterminans interdum coniungetur ratione prioris supernaturalis dispositionis. Quòd si dicti auctores citati in prioribus locis hoc tantùm intendunt, vera est doctrina perse spectata, & intellecta de auxilio efficaci, vt sic abstrahendo à quæstione de modo illius. Non est autem hoc punctum difficultatis quam tractamus, debet enim comparari, vnaquæque vocatio sufficiens ad auxilium efficax illi proximè, & immediatè necessarium, vt obtineat illum actum liberum, & consensum ad quem proximè hominem vocat, id est, vocatio ad fidem cum auxilio efficaci ad voluntatem credendi, & vocatio ad attritionem cum ipsamet attritione, & sic de alijs. Dico ergo, si auxilium efficax consistit in motione prædeterminante distincta ab ipsa vocatione, impossibile esse vt illud auxilium pendeat à libera hominis dispositione, quæ sit veluti media inter vocationem, & auxilium efficax, ratione cuius sit in potestate hominis habere, vel non habere auxilium efficax.

Ledesma, Aluar.

Aduertendum.

Trid.

1 Assertum Auctoris.

Probatur primò, quia vel illa dispositio est aliquis bonus vsus talis vocationis, vel est aliquis alius actus: neutrum dici potest; ergo. Minor quoad priorem partem probatur primò ex hypothesi declarata, quia bonus vsus vocationis non est nisi consensus in actum ad quem proximè vocatio excitat; ergo non potest ille actus esse dispositio ad auxilium efficax, quo consentiendum est illi vocationi, aliàs esset dispositio ad se ipsum, imò ad suum principium. Secundò, quia ad illum bonum vsum, quicunque sit, requiritur auxilium efficax; nam ille bonus vsus actus est supernaturalis & gratiæ, vnde non fit sine auxilio efficaci, iuxta dicta suprà cap. 12. secundo; ergo si auxilium efficax est prædeterminans, ille bonus vsus supponit prædeterminationem; ergo non est dispositio ad illam; ergo illa prima prædeterminatio non datur ex dispositione hominis, neque hoc titulo dici potest esse in potestate hominis. De hoc autem primo auxilio efficaci ad primum bonum vsum auxilij sufficientis est sermo, vt animaduerti.

42. Probatur.

Neque contingit hominem per vnum bonum, & pium vsum vnius vocationis mereri, aut se disponere immediatè ad auxilium efficax ad alium actum distinctum ab illo primo vsu, sed, (vt dixi,) per illum primum actum potest quis se disponere ad recipiendam aliam vocationem, cum qua alium meliorem actum efficiat, si velit; ergo bonus vsus vocationis non potest esse præuia dispositio ad auxilium efficax immediatè necessarium ad effectum proprium & immediatum talis vocationis. Quòd si demus, licentiam fingendi vnam & eandem vocationem posse habere duos effectus liberos, minorem, & meliorem, & per priorem posse hominem disponi ad posteriorem, & ad auxilium efficax, necessarium ad illum: nihilominus etiam ad minimum actum necessarium erit auxilium efficax, & in illo vrgetur difficultas. Et deinde non potest cum sufficienti probabilitate affirmari, posito illo priori vsu minus perfecto infallibiliter dari auxilium prædeterminans efficaciter ad alium meliorem vsum illius vocationis. Vbi enim est hæc lex, vel promissio? vel qua probabili ratione id suaderi potest? ergo etiam quo ad illam partem pendebit nouum auxilium prædeterminans ex solo arbitrio Dei; quamuis ratione prioris actus habere possit aliquam congruentiam ex parte hominis: existimo tamen, vt dixi, hanc congruentiam semper esse ex parte nouæ excitationis, vel vocationis, non respectu auxilij efficacis, seu prædeterminantis.

43

Neque minus certum est in principijs fidei non posse hanc dispositionem consistere in aliquo alio actu distincto à bono vsu sufficientis vocationis; nam ille actus, si non sit ex vocatione supernaturali, erit naturalis: non potest ergo esse dispositio ad donum prædeterminationis supernaturalis, præsertim cùm illa dicatur esse quasi dispositio vltima, ad quam sequitur infallibiliter tale donum, quod nullo modo potest tribui actui naturali. Item, quia ad illum actum etiamsi naturalis sit, erit necessaria prædeterminatio diuina ordinis naturalis;

44

lis, si consequenter in illa sententia loquendum est, & ita vel ad illam prædeterminationem erit necessaria alia dispositio, & sic procedetur in infinitum, vel illa dabitur pro sola voluntate Dei, & non ex dispositione hominis. Præterquam quod explicari non potest, quis sit ille actus liber voluntatis, qui & non sit bonus vsus vocationis, & necessariò intercedere debeat inter vocationem ad pœnitentiam, & ipsam pœnitentiam, seu prædeterminationem ad illam. Nam si illa vocatio est in suo ordine proximè sufficiens ad illum actum pœnitentiæ, ad quem excitat immediatè, potest voluntas illi consentire, si velit, aliàs non esset vocatio proximè in suo ordine sufficiens. Nam si sufficiens est, dat potestatem in illo ordine, & alioqui homo est liber, & adiutorium est paratum ex parte Dei; ad quod ergo est alius actus necessarius?

45. Et præterea cùm per vocationem non proponatur nisi pœnitentiæ obiectum, & aliunde necessarium non sit, imò neque vtile, neque ordinariè contingens, vt homo simul in eodem momento de alijs rebus cogitet, profectò nullus actus cogitari potest, qui necessarius sit, vt homo post vocationem sufficientem ad pœnitentiam auxilium efficax ad eundem pœnitentiæ actum recipiat. Tandem potest hoc optimè declarari in negotio Angelorum. Nam omnes in primo instanti suæ creationis acceperunt auxilium efficax ad rectè operandum, vt constat: in secundo verò boni Angeli habuerunt auxilium efficax sine præuia dispositione, quia illa, quæ in primo instanti præcesserat, non fuerat sufficiens, aliàs etiam mali, qui similem dispositionem cum proportione habuerant, ratione illius recepissent auxilium efficax in secundo instanti. Nam in secundo instanti habuerunt sancti Angeli dispositionem præuiam ad auxilium prædeterminans, quia vno deliberato actu suam viam consummarunt, & ille fuit effectus auxilij efficacis; ergo talis prædeterminatio non fuit in potestate illorum ratione præuiæ dispositionis; ergo nec fuit in potestate aliorum Angelorum, quibus datum non est tale auxilium, quia non magis potuerunt ad illud disponere, quàm boni Angeli. Idem ergo est in omnibus, nam cum proportione potest idem discursus applicari.

CAPVT XV.

Corollaria, quibus ratio ab incommodis distinctius concluditur.

1. Corollariũ primum. EX toto ergo hoc discursu concludo in primis, non posse dici consequenter in illa sententia de auxilio efficaci prædeterminante quòd ex parte Dei offeratur illis, quibus post sufficientem vocationem non datur. Probatur, quia si offertur, certè per voluntatem Dei offertur, & per aliquam legem, & promissionem: nam tale auxilium sicut non datur à Deo nisi liberè, & voluntariè, ita non nisi eadem libertate offerri potest: si ergo offertur, per aliquam voluntatem offertur. Aut ergo per voluntatem absolutam, aut per conditionatam, seu antecedentem. Non per absolutam, quia voluntas Dei absoluta semper impletur, & facit quod vult: si ergo tale auxilium offertur, per voluntatem absolutam datur; ergo è contrario quibus non datur, neque etiam offertur per voluntatem absolutam. Neque etiam offerri potest per conditionatam voluntatem. Quæro enim quæ sit illa conditio, sub qua offertur, oportet enim quòd sit conditio contingens, & dependens à libero vsu voluntatis, nàm si esset conditio impossibilis, nulla, & ridicula esset oblatio, si necessaria transiret voluntas in absolutam; ergo esse debet conditio contingens, & non aliunde quàm ex voluntate hominis, ergo esse debet pendens ab vsu libero voluntatis. At hoc dici non potest, quia ille vsus nec positiuus esse potest, nec negatiuus, vterque enim exclusus est, & ab eisdem auctoribus improbatur, vt vidimus: ergo repugnantia sunt hæc duo, scilicet quòd Deus ex se offerat illud auxilium, & quòd non pendeat ex libero vsu recipientis positiuo, vel negatiuo.

Secundò infero, iuxta illam sententiam dici non posse hominem sufficienter vocatum ad fidem, verbi gratia, & carentem efficaci auxilio prædeterminante, sua culpa, carere efficaci auxilio, prout sæpe repetit Cumel disputatione quarta, sectione secunda, capite quinto prope finem, & alijs locis allegatis, & Aluar. suprà à disputatione decima octaua, numer. vigesimo dicit esse in potestate hominis impedire ne habeat illam motionem, & ideo quando non implet præceptum, ei imputari, eo quòd sua culpa se impediuit ne daretur ei auxilium efficax. Idem repetit disputatione vigesima sexta, numero vndecimo, & sæpe aliàs. Dico ergo hoc non dici consequenter in illa sententia, & probo ex proximè dictis, quia hæc culpa supponit quòd tale auxilium offeratur à Deo sub aliqua conditione, quam homo sua culpa non ponit. Et ideo Aluar. disputatione 61. ad septim. etiam ait offerre Deum omnibus auxilium efficax, & ex aliquorum culpa procedere quòd tale auxilium efficax non recipiant. Sed ostensum est, tale auxilium non offerri quibus non datur; ergo non carent illo sua culpa, sed quia Deus non vult dare. Item hæc culpa supponit quòd homo post vocationem sufficientem possit ponere obicem quo impediat sibi dari tale auxilium, vt in his locis proximè citatis dicti auctores fatentur. Ostensum est autem nullum esse talem obicem, quia nec positiuum, neque negatiuum esse potest, etiam ex sententia illorum auctorum, vt ostendi; ergo falsa est assertio talis culpæ, & non consequenter asseritur. Item illa culpa supponit quòd tale auxilium pendeat ex aliqua dispositione libera suscipientis. At hoc ipsum improbant dicti auctores, & merito, vt visum est, ergo dicere non possunt, quando non datur, ob culpam hominis non dari. Maior probatur, quia si aliqua culpa ibi intercedit, liberè committi debet: ex illa autem pendet quòd tale auxilium detur; ergo pendet ex libera dispotitione recipientis. Sic effectus Sacramenti in adultis, ideo potest per culpam suscipientis non recipi, quia pendet ex libera dispositione recipientis; in paruulis verò impediri non potest, quia à libera illorum dispositione non pendet.

Præterea interrogo, qualis sit illa culpa, aut enim est aliqua prior, propter quam Deus negat auxilium efficax, vel est aliqua quæ specialiter committitur ponendo obicem, & impedimentum auxilio efficaci, vt non detur. In hoc enim valde obscurè loquuntur dicti auctores, confundendo duas quæstiones, quas suprà distinxi, quarum vna est de auxilio efficaci non dato antecedenter, vt sic dicam, seu in radice, quia non datur sufficiens. Altera est de auxilio efficaci non dato in se, & immediatè supposito iam sufficiente.

ciente. Vnde Pater Aluar. disp. 113. concl. 2. indistinctè dicit quoties Deus pro loco & tempore non dat auxilium sufficiens vel efficax ad fidem, pœnitentiam, &c. semper id esse in pœnam peccati, vel originalis, vel alterius, siue præcesserit tempore, siue tantùm ordine naturæ, & eodem modo ait in solut. ad 5. neminem deseri à Deo quoad auxilium efficax, nisi prius ipse deserat Deum per aliquod peccatum originale, vel mortale, & de iusto ait, quòd in exercitio prius deserit Deum peccando, quàm Deus eum priuet auxilio efficaci. Quæ quidem magna ex parte possunt habere locum, si de priori quæstione tractaremus, coniungendo auxilium efficax sufficienti, & considerando immediatam rationem ob quam de facto non datur auxilium sufficiens, quod quidem adultis omnibus offertur, & ideo non negatur de facto nisi ob aliquam culpam, vel causam ex parte hominis, vt in libro præcedenti latè dictum est. At verò tractando præcisè de negatione, seu non collatione auxilij efficacis solius, & immediatè ac suppositа sufficienti vocatione, pro vt nunc quæstionem tractamus, non habet locum illa doctrina in sententia asserente hoc auxilium efficax consistere in physica prædeterminatione, ita enim loquimur.

4. Hoc auxilium numquam posse negari propter peccatum originale, vel habituale, seu actuale prius commissum, quia eo ipso quod non obstante præcedente peccato datur sufficiens vocatio, necesse est iuxta ordinatam prouidentiam, vt omne auxilium necessarium ad sequendam vocationem offeratur ex parte Dei, & non negetur propter solum peccatum præcedens, seu in habitu præexistens. Et confirmatur, quia non obstante præcedenti peccato homini non imputatur ad nouam culpam, quod non sequatur vocationem propter denegationem necessarij auxilij. Denique certum est carentiam talis auxilij non posse semper reduci in culpam prius tempore commissam, vel contractam: nam Angeli qui in secundo instanti ceciderunt, in illo caruerunt auxilio efficaci, & tamen in illis nulla culpa præcessit. Idemque est de Adam & Eua in primo instanti, quando in Paradiso peccauerunt. Nunc etiam paruulus baptizatus qui peruenit ad vsum rationis in primo actu moraliter peccat, non recipit auxilium efficax ad illud vitandum, & non propter originale peccatum, quia iam fuit remissum.

5. Cùm ergo auxilium efficax sine præcedenti peccato non detur, signum est illam causam propriam ob quam negatur. Nec etiam est adæquata, dat enim frequenter Deus auxilium efficacissimum ei qui in toto tempore præcedenti in peccatis fuerat, vel etiam immediatè antea actualiter peccabat, vt fortè in bono latrone, & Paulo, & alijs similibus contigit. Ergo ex præcedenti culpâ nulla causa limitur negandi auxilium efficax, maximè illi qui sufficienter in præsenti vocatur, non obstante priori culpa.

6. Deinde nec illa culpa potest esse commissa in eodem instanti temporis in quo auxilium prædeterminans denegatur, quia vel esset prius natura quàm intelligatur voluntas hominis determinata, vel prædeterminata ad hanc vel illam partem, vel esset simul, aut posterius natura, nihil horum dici potest cum probabilitate; ergo. Minor quo ad primam partem declaratur, & probatur, quia in instanti temporis in quo voluntas velle incipit, duo tantùm signa distinguunt Theologi omnes, Vnum est status indifferentiæ ipsius voluntatis, in quo intelligimus in illa negationem omnis actus & determinationis; secundum est signum, vel instans in quo iam voluntas est determinata ad alteram partem, sed in neutro illorum intelligi potest illa culpa, ob quam negetur prædeterminatio; & tertium adderetur sine fundamento: ergo nullo modo potest illa culpa præuia pro eodem instanti cogitari. Maior communis est & necessaria ad libertatem, quia actus non est liber nisi in eo instanti in quo fit, & ideo necesse est vt pro eodem instanti supponat voluntatem secundum se indifferentem, & in statu neutro, vt Scotus loquitur. Minor quoad primam partem probatur: quia in illo signo naturæ nec intelligi potest culpa commissionis, quia nondum intelligitur voluntas aliquid actu velle, nec etiam omissionis, quia illa negatio quæ præintelligitur in voluntate, in illo signo naturæ non est libera, sed merè naturalis, vt etiam in Deo ipso considerari potest, & ratio est, quia illa indifferentia nihil aliud est quàm potestas ad vtrumlibet, quæ ex natura sua habet illam indifferentiam coniunctam; ergo illa negatio non potest esse culpabilis, nam omnis culpa libera esse debet. Item illa dispositio præcedit ordine naturæ etiam in illo cui in posteriori signo naturæ datur auxilium efficax; at in eo non fuit culpa vt est notum; ergo neque in alio cui non datur prædeterminatio; ergo non negatur propter culpam in illomet instanti temporis ordine naturæ antecedentem. Quia vt dixi inter illa duo signa non potest initium cogitari, nec ab aliquo Theologo vel Philosopho positum est. Et quidem meritò, tum quia in voluntate diuina non intelligitur tale signum medium, ergo neque in creata, tum etiam quia ad libertatem actus, vel potentiæ id non est necessarium, nec ad aliquam causalitatem in qua fundatur ordo naturæ, tum denique, quia in voluntate, quæ mouetur per auxilium efficax inter carentiam determinationis quæ natura præcedit, & determinationem ipsam non potest concipi status medius voluntatis, ergo neque etiam in voluntate quæ tale auxilium non habet.

7. Altera verò pars de culpa commissa in eodem instanti, & in eodem signo naturæ in quo prædeterminatio denegatur, probatur, quia inuoluit repugnantiam in illa sententia. Nam Deus dicitur negare tali homini prædeterminationem gratiæ propter culpam, ergo necesse est vt ordine saltem naturæ antecedat, quia illa culpa erit causa demeritoria, & ratione illius dicit Aluar suprà in illo casu habere locum axioma Theologorum, quod Deus non deserit hominem quo ad auxilium efficax, nisi prius deseratur ab ipso, ergo oportet vt culpa saltem prioritate naturæ antecedat. Deinde fit hoc euidens ad hominem in illorum authorum opinione, quia voluntas in illo instanti naturæ in quo determinatur, non potest se determinare nisi prædeterminata à Deo saltem ad realem actum, ergo si in eo signo posteriori naturæ iam peccat, præcessit in illa prædeterminatio Dei ad talem actum, ergo præcessit denegatio auxilij gratiæ prædeterminantis, quia illæ duæ prædeterminationes sunt oppositæ, & ideo collatio vnius est denegatio alterius: ergo sicut prædeterminatio ad actum malum (si datur) non potest dari ob culpam vel malitiam, quæ resultat ex actu, vt videtur per se euidens, & in tertio libro probatum, nec etiam potest esse simul natura cum ipso actu, quia dicitur esse principium eius, ita etiam negatio prædeterminationis gratiæ non potest sequi ex culpa, imo neque esse simul natura cum illa, sed necessariò debet ordine naturæ præcedere, quia imbibitur in contraria prædeterminatione, vt declaraui.

Quod

Quod quis ibi fingat culpam puræ omissionis, quæ mereatur denegationem auxilij efficacis facilè refutabitur: tum quia talis peccandi modus moraliter non contingit vt communiter Theologi docent, tum etiam quia illamet supponit carentiam prædeterminationis diuinæ ad omnem actum, & consequenter etiam prædeterminationis gratiæ, tum denique quia in illa opinione talis negatio actus non potest esse libera, & consequenter non potest esse culpa, vt paulo antea insinuaui, & in sequenti capite iterum dicam. Et ex his à fortiori concluditur talem culpam non posse naturâ posteriorem esse, ergo si auxilium efficax in prædeterminatione consistit, carentia eius in homine habentem sufficientem vocationem nullo modo potest ex culpa eiusdem hominis redundare, vel illi attribui.

8. Cõcluditur, necessitarẽ prædeterminationis non posse componi cum sufficientia proxima auxilij necessarij respectu illius actus, ad quem prædeterminatio desideretur

Ex quibus omnibus concludo tertiò quod in hoc discursu intentum est, necessitatem talis prædeterminationis non posse componi cum sufficientia proxima auxilij necessarij respectu illius actus ad quem prædeterminatio desideratur, tum quia sine tali auxilio non est actus primus completus, tum etiam quia deficiente illo desunt vires necessariæ ad faciendum talem actum. Item concludo carentiam talis auxilij non posse componi cum sufficientia remotâ, quia illud auxilium necessarium nec actu recipitur vt supponitur, nec est ita constitutum in potestate hominis vt ex libertate eius pendeat, aut possit aliquid facere quo auxilium consequatur, neque illo sua culpa caret, sed sola voluntate Dei. Præterea concludo carentiam talis auxilij non posse componi cum completa libertate quoad specificationem respectu actuũ supernaturalium. Probatur, quiâ sine auxilio sufficiente non datur libertas, quia non datur potestas sine qua libertas esse non potest. Denique concludo non posse imputare ad culpam homini sufficienter vocato, & non prædeterminato quod non consentiat vocationi. Probatur, quia sine libertate, & potestate, ac sufficientia auxilij non est culpa. Et declaratur amplius, quia ille dissensus vel non consensus supposita carentia prædeterminationis gratiæ non est in se ac proximè culpabilis, quia non est liber, cum ex illa suppositione consensus sit impossibilis, nec etiam remotè, seu in alio est culpabilis, quia illa carentia auxilij non habet fundamentum in libera voluntate, dispositione, aut culpâ hominis vt latè ostensum est. Ergo nullo modo potest talis dissensus, vel carentia consensus ob culpam imputari. Hæc autem omnia nec concedi possunt, nec ab ipsis Doctoribus Catholicis, qui prædeterminationem defendunt, conceduntur. Illationes autem ita probatæ sunt, & responsiones omnes, seu euasiones ita excluse, vt intellectum cogere videantur, ergo vel hoc solum fundamentum videtur efficaciter probare talem prædeterminationem non esse necessariam ad piè operandum consentiendo sufficienti vocationi, ac proinde non consistere in illa auxilium efficax, quod ad omnem piam voluntatem, omnemque consensum supernaturalis vocationis necessarium est.

CAPVT XVI.

Quibusdam suffragiis rationis factæ occurritur.

1. Ledesma.

PEtrus Ledesma dicto art. 10. ad 3. quamuis argumentis conuictus fateatur hoc auxilium prædeterminans non esse in potestate voluntatis nostræ media aliqua dispositione libera positiua vel negatiua, nihilominus adiungit modum alium quo dicit *maximè, declarari difficultatem istam grauissimam*, motus autem solum est asserere *quod in potestate voluntatis nostræ est consentire diuinæ vocationi, & conuerti tanquam in potestate subordinata diuinæ potestati in aliquo genere causæ efficientis, non vero tanquam in potestate primo & suprema.* De qua propositione, & de omnibus quæ ad eius declarationem postea dicit, nemo nostrum dubitat. Quod autem audire ac intelligere desideramus, est, quomodo veritas illa ad soluẽdum argumentum applicetur, quod ille auctor non facit, sed ex illo principio conatur inferre necessitatem prædeterminationis. Nos autem illationem illam facile negamus, quia vt voluntas nostra subordinetur diuinæ, & consentiat illi tanquam potestas subordinata in genere causæ efficientis, & non suprema, & tanquam secundum liberum, & non primum, ad hoc inquam necessaria non est prædeterminatio sed sufficit dependentia essentialis in concursu simultaneo cum potestate physica præuia, & indifferente ad consentiendum & dissentiendum, vt in 3. lib. declaratum est, & infra in solutionibus argumentorum dicetur. Supponimus ergo subordinationem voluntatis nostræ ad diuinam in qua asserenda non est dissensio, quia illa subordinatio talis est vt non tollat libertatem quoad specificationem, supponit enim in voluntate hominis sufficientem potestatem physicam in actu primo ad se determinandum per eandem potestatem subordinatam diuinæ potestati. Ex hoc autem principio infertur subordinationem illam non consistere in prædeterminatione, neque hanc esse necessariam ad saluandam illam, quia sicut oportet in Deo supponere supremam potestatem, ita necessaria est in voluntate nostra potestas sufficiens licet subordinata, qua potestate priuatur si prædeterminatio est necessaria, & pro sola Dei voluntate non datur, in quo puncto est difficultas, ad quam nihil dictus auctor respondet.

Addit verò aliqua quæ nec euidentiam & intelligentiam rationis factæ obtundant proponere oportet & an aliquid ad difficultatem soluendam attentè inspicere. Primò ergo adducit exemplum subordinationis voluntatis ad intellectum tanquam admonentem physicè vt est probabile, quia non obstante illa subordinatione voluntas habet potestatem ad volendum licet sit ita subordinata intellectui vt nihil possit velle nisi prius prædeterminetur ab ipso. Ad quod respondemus illud quidem non tantùm non soluere sed etiam confirmare, & explicare rationem & difficultatem nostram, quia nunc non agimus an hæc prædeterminatio tollat libertatem quoad exercitium nec ne, id enim in capite sequenti tractabimus: sed inferimus quod si illa prædeterminatio est necessaria, & non datur, tollitur libertas in carentia actus seu consensus. Idemque euidenter sequitur in illo exemplo data hypothesi. Nam si motio, seu prædeterminatio intellectus siue moralis siue physica necessaria est ad liberè volendum, & voluntas ab intellectu non moueatur, impossibile est vt carentia sui actus non sit ill. libera, quia licet ipsa habeat suam potestatem volendi: non tamen simpliciter sufficientem sine intellectu, nec etiam est in potestate eius motio intellectus loquendo de prima, & ideo donec actu moueatur vel prædeterminetur (vt ille loquitur) ab intellectu non est simpliciter libera ad volendum. Hac enim ratione dicunt Theologi ignorantiam antecedentem tollere voluntarium seu impedire libertatem, & excusare culpam, ergo si-

mili

nisi modo carentia prædeterminationis cum plane sit antecedens (vt ita rem explicem) id est nullo modo sit à voluntate hominis, planè tollit voluntarium, impedit libertatem & excusat à culpa.

1. Sententia recitata.

Dicit vlterius idem auctor Deum prædeterminantem voluntatem non debere considerari tanquam aliquid extrinsecum, sed tanquam magis intrinsecum voluntati quam ipsammet sibi; *& ideo concursus Dei* ait *non est appellandus extrinsecus cum sit omnino necessarius ad operationem voluntatis.* Vnde videtur hic author velle quod vt voluntas hominis dicatur habere in sua potestate prædeterminans auxilium satis est quod illud sit in potestate voluntatis Dei, quæ intrinsecè est in illa, & quod sicut voluntas se determinando necessitatem sibi non infert, ita etiam Deus prædeterminando illam, necessitatem ei non infert, & quod sicut motio intellectus est intrinseca homini, & ideo non necessitat illum, ita & motio Dei est intrinseca.

4. Euertitur fundamentum huius doctrinæ.

Sed fundamentum huius doctrinæ solum est positum in quodam nouo vsu vocum & æquiuoco, ac inusitato modo loquendi. Vnde doctrina ipsa nulla ratione admittenda est. Primum declaratur, quia licet Deus intimè sit in voluntate per essentiam, præsentiam, & potentiam, & per grátiam; nihilominus respectu effectuum quos causat efficienter in voluntate, simpliciter est causa, seu principium extrinsecum. Et ita loquuntur D. Thomas in 1. 2. quæst. 9. art. 6. in ipso titulo articuli quærens an voluntas moueatur à Deo sicut ab exteriori principio, & respondet affirmando; Idemque dixerat in art. 4. & repetit in quæst. 10. art. 4. & 1. p. q. 105. art. 4. ad 2. & 3. Estque per se euidens quia Deus semper operatur in voluntate vt causa efficiens; at verò causa efficiens in omni bona philosophia causa extrinseca est, non quia non manere possit in effectu vel subiecto, in quo operatur; sed quia non pertinet ad intrinsecam constitutionem effectus. Hinc ergo quod ad alteram partem pertinet, manifestum est illam intrinsecam præsentiam Dei nihil referre ad explicandam libertatem hominis in actibus gratiæ supposita necessitate prædeterminationis, quia verò iste auctor eandem doctrinam applicat ad vitandam necessitatem quoad exercitium, de illa parte in capite sequenti.

6. Quicunque cognoscitur intimitas Dei in homine, seu in voluntate, semper voluntas Dei est omnino distincta à voluntate hominis.

Nunc quod ad præsens attinet ex dicto principio euidentissimum est, quod quacunque cognitetur coniunctio vel intimitas Dei in creatura, seu in voluntate, semper est Deus suppositum distinctum, & voluntas eius est omnino distincta à voluntate hominis, vnde non potest dici homo habere in sua potestate ea quæ à sola diuina voluntate pendent, nisi quatenus sunt illi promissa ab ipso Deo sub aliqua conditione à voluntate ipsius hominis dependente. Aliàs enim damnatus haberet etiam auxilium efficax in sua potestate, quia habet intra se intimè Deum, qui potest illud dare si velit, & in potestate mea esset videre Deum, quia sua voluntate potest in me id facere, ergo per illam intimam præsentiam non explicatur quomodo auxilium efficax sit in hominis potestate, ergo nec illa sufficit ad libertatem hominis, sed sufficiet ad libertatem Dei, vt iterum in capite sequenti, & de exemplis ibi adductis dicam, quamuis ex dictis tum hic tum in primo prolegomeno capite 6. satis illis responsum sit.

4. Alia instantia.

Pergit auctor ille dicens auxilium prædeterminans non tempore sed natura antecedere determinationem ipsius voluntatis, & hoc satis esse vt ipsa determinatio voluntatis, & eius consensus sit in potestate illius. Ad hoc autem dicimus in primis in præsenti puncto non tractari quomodo ipsa determinatio voluntatis in actu secundo seu consensus ipse sit in potestate voluntatis, hoc enim in caput sequens reseruamus, sed tractari quomodo prædeterminatio quam Deus solus in illo priori naturæ facturus est, sit in potestate voluntatis, ad hoc autem nihil refert quod tempore vel naturâ tantum præcedat consensum voluntatis, nam hoc satis est vt ab ipsa voluntate non fiat, nec ab aliquo vsu libero eius pendeat, & inde apertè infertur non esse in potestate morali eius, sed tantum in potentia receptiua, quæ non sufficit, vt sæpe diximus. Quocirca illa consecutio: *Prædeterminatio non præcedit tempore, ergo est in potestate voluntatis.* si intelligatur de potestate morali mala est, quia nullum habet principium in quo fundetur, oportet enim vt supponat hoc vniuersale pronunciatum, *quidquid non tempore, sed natura tantum antecedit consensum voluntatis, est in potestate morali eius.* quòd falsum est: nam excitatio necessaria & efficax potest antecedere non tempore sed natura, & visio Dei non antecedit tempore amorem, sed tantum natura, & tamen non sunt in potestate morali & libera voluntatis. Si verò consequens illud intelligatur de potestate tantũ passiua, & non sufficit ad rem præsentem, & antecedens est impertinens ad illam, quia siue motio voluntatis præcedat consensum eius tempore, siue natura, semper necessarium est vt ante motionem voluntas sit in potentia passiua ad recipiendũ illam. Quapropter non video qua fiducia ille auctor solutionem hanc concludat dicens. *Hæc solutio est clara, & apertè dissoluit argumentum propositum, quod quidem cõmunit auctores oppositæ sententiæ*, idq; hac ratione suadet, quia vt argumentum euidenter soluatur, satis est dicere probabilia, sed illa quæ in hac solutione dicuntur sunt maximè probabilia, & apparentia; ergo euidenter dissoluunt argumentum. At enim quæ hactenus diximus satis vt credo demonstrant, nihil in omnibus recitatis contineri quod declaret quomodo prædeterminatio hæc sit in potestate morali hominis vocati, in quo est cardo totius difficultatis. Et vt non disputem, an omnia ibi dicta probabilia sint, saltem respondeo ad soluendum argumentum, non satis esse dicere probabilia, nisi illa ad punctum difficultatis applicentur, & illud aliquo modo probabili dissoluant, quod in omnibus illis dictis non assequimur.

7. Alia ité notanda eius Auctoris declaratio.

Vnde idem author illis non contentus addit aliam notandam declarationem. In fine enim illius argumenti 3. optimè difficultatem proposuerat isto modo. Postquam homo sufficienter vocatus est, nihil potest facere vt Deus inchoet prædeterminationem physicam in illius voluntate: ergo non est in hominis potestate. Respondet autem *quòd si homo sit constitutus in potentia ad conuersionem per auxilium sufficiens, in tali casu potest facere aliquid vt Deus inchoet prædeterminationem physicam suæ voluntatis.* Sed quidnam quæso est quod potest ille homo facere vt Deus inchoet? nam videtur hoc apertè repugnare his quæ idem author dixerat ostendens hominem non posse habere aliquem bonum vsum suæ libertatis, quo à Deo prædeterminationem illam obtineat: quia si potest homo facere aliquid vt Deus inchoet prædeterminationem, iam se disponit ad illam, & ad ipsum hominem reducitur inchoatio talis auxilij. Item incidit illa responsio in id quod tanquam inconueniens solet nobis obiici, quod initium salutis quoad efficaciam sit ab homine, quia ipse inchoat aliquid vt Deus auxilium efficax sibi conferat.

8. Quomodo explicetur quid sit illud, quo homo facere possit?

Vt ergo dictum illud corrigat & explicet, quid sit illud quod homo facere possit, adiungit dicens. *Nam potest inchoare prædeterminationem ipsam præsupposità diuina prædeterminatione quæ, est simul tempore, quamuis prius ordine naturæ, & causalitatis.* At profecto non est

est hoc nodum expedire, sed impedire magis ac religare; quomodo enim voluntas inchoabit prædeterminationem, quam ipsa non facit? Aut quomodo facit vt Deus inchoet prædeterminationem quæ est simul tempore, si Deus in omni genere causæ priùs ordine naturæ & causalitatis prædeterminationem iam fecisse supponatur? Aut denique quomodo illa duo non inuoluunt repugnantiam *inchoare prædeterminationem præsuppositæ prædeterminationi*. Nam quod præsupponitur in voluntate ante inchoationem eius, nullo modo potest inchoari ab ipsa, præsertim cum iuxta hos auctores ipsa prædeterminatio Dei sit principium omnis actionis voluntatis, & omnis inchoationis eius. Denique vt euoluamus ea, quæ tam inuolutè sunt dicta, distinguamus prædeterminationem in actu primo, de qua tractamus, à determinatione in actu secundo. Priorem enim facit Deus solus iuxta dictam sententiam, & illam non potest inchoare voluntas; illa verò suppositæ potest voluntas inchoare determinationem in actu secundo, quæ nullo modo potest dici prædeterminatio, quia nõ solum non præcedit priorem prædeterminationem, verum etiam nec concursum simultaneum Dei. Neq; etiam ratione huius inchoationis determinationis in actu secundo potest dici voluntas inchoare prædeterminationem natura antecedentem, cùm nullo modo sit causa illius sed effectꝰ, ac proinde nec ratione eiusdem determinationis, vel inchoationis potest dici voluntas habere in potestate sua prædeterminationem à Deo præstandam, cum illam expectare debeat, vt inchoaré suã actionem possit. Quę quidem omnia non animo contradicendi à me dicuntur, sed vt res, si fieri possit, intelligatur: quoniam à multis annis hac opprimor difficultate, & summo affectu intelligendi, vel inueniendi aliquem illius exitum hos & alios authores euolui, & omnia eorum responsa meditatus sum, nihilq; inueni, quod vel apparenter, aut verisimiliter repugnantiam illam mihi componeret, & ideo non timui molestus esse lectori omnes prædictos dicendi modos enumerando, & si quis alius supereſt, vel excogitari potest, in sequenti cap. illum attingemus, nulla enim diligentia superuacanea censenda est, quia ex hoc puncto magna ex parte verum iudicium præsentis controuersiæ pendet, & in illo grauissima dogmata fidei concutiuntur, quæ non solum inconcussa retinere, sed etiam pro viribus explicare, & eorum rationem reddere tenemur.

CAPVT XVII.

Obiectionibus contra discursum factum latisfit.

1. Quæ instãtiæ obiici solent?

SOlent nobis obiici instantiæ quædam quibus vis rationis factę eneruari videtur. Nam electio, seu prædestinatio ita est ad salutem necessaria vt sine illa comparari non possit, & illa non est in manu hominis, sed ex sola voluntate Dei pendet, & nihilominus habet homo auxilium sufficiens, quo simpliciter potest saluari. Idem argumentum sumitur ex prædestinatione singulorum actuum supernaturaliũ, nam sine illa esse non possunt, & nihilominus homo est liber & habet auxilium sufficiens ad actus à Deo non prædefinitos faciendos, cum tamen talis præfinitio in potestate hominis non sit, item vocatio congrua est necessaria ad supernaturalem actum, ita vt sine illa nunquam fiat, & talis est vt non sit in potestate hominis, non est enim (vt Augustinus dixit) in potestate nostra vt his vel illis visis tangamur, & nihilominus qui non congruenter vocantur sufficienter vocantur, vt absolutè possint venire si velint teste Augustino quæst. 2. ad Simplician. & quæst. 68. & 83. ergo. Item qui de facto non conuertuntur non habent in tempore auxilium efficax ad conuersionem; ergo Deus ab æterno decreuit non dare illis auxilium efficax, ergo ex decreto absoluto Dei carent aliquo auxilio necessario ad conuersionem, & nihilominus habent auxilium sufficiens, & simpliciter possunt conuerti, ergo illa consecutio non est formalis, nec habet maiorem efficaciam in auxilio prædeterminante quàm in his omnibus. Nam in his omnibus necesse est distinguere inter necessarium ad agendum, & ad potestatem agendi vt priori deficiente, & negato possit subsistere secundum, ergo idem in prædeterminante auxilio locum habet.

Solutio

Ad hæc primùm in generali dicimus exempla non esse de auxilio aliquo natura sua necessario ad obiectio operationem, & ideo non esse similia, quod in sequentibus latius per singula capita explicandum erit, nunc autem breuiter singula perstringemus ne lector dubius, vel suspensus maneat. Electio igitur, prædestinatio & præfinitio nõ sunt auxilia vt in 3. prolegom. dixi, sed sunt actus immanentes in Deo, quos necesse non est per se & immediatè esse principia operationum, & ideo licet admittamus illos fuisse in Deo ex parte ipsius ad meliorem prouidentiæ modum necessarios, nihilominus possent homini dari sufficientia auxilia ad salutem non solum remota, sed etiam proxima. Eo vel maximè quod etiam illi actus non sunt in Deo sine aliquo ordine ad futurum vsum libertatis cum auxilio concomitante gratiæ prius præuisum à Deo per scientiam saltem conditionatam, vt in 1. & 2. prolegomeno tactum est, & in sequentibus sæpius dicetur. Qui ordo non est contra gratuitam electionem aut prædestinationem, nec contra voluntariam prædefinitionem, quia non est *habitudo* ad illum vsum libertatis futurum tanquam ad causam seu rationem illorum actuum, sed tanquam ad effectum mediis auxiliis congruentibus, quæ vsum libertatis non impediant, sed dirigant.

Reſpõſio ad 1. obiectionem

Vnde ad tertium de vocatione congrua dicimus imprimis illam esse necessariam non ex natura rei, sed suppositæ præscientia futuri euentus sub conditione, & ideo de illa rectè dici esse necessariam ad actionem, non ad potestatem quia nec ad actionem necessaria est per se, sed suppositæ talis scientiæ. Deinde dicimus in vocatione congrua duo esse distinguenda, scilicet, auxilium quod est principium actus, & congruitatem ad futurum consensum ratione primi dat potestatem agendi, & in illo consistit sufficientia, quæ potest esse æqualis in auxilio non congruo: congruitas verò non auget virtutem auxilij, vt infra ostendetur, sed est necessaria ad infallibilitatem effectus, & ideo sine illa potest optimè dari auxilium sufficiens. Vnde tandem dicitur in potestate hominis sufficienter vocati esse facere vt vocatio eius congrua sit, & ideo licet de facto illi non sit congrua illi imputari, quia auxilium sufficiens habuit. Vnde est illud Augustini quæst. 2. ad Simplician. *Noluit Esau, & non cucurrit, nam si voluisset, & concurrisset Dei adiutorio peruenisset, qui etiam vellet, & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.* Fuit ergo in potestate Esau aliquid. Et ad idem pertinet quod dicta quæst. 68. & 83. de vocatis ad cœnam dicit. *Nec omnes illi qui vocati sunt venire voluerunt, nec illi qui venerunt venire possent nisi vocarentur, ideoque nec illi debent sibi retribuere quod venerunt, quia vocati venerunt; nec illi qui noluerunt venire debent alteri tribuere, sed tantùm sibi, quoniam vt venirent vocati;*

erat in eorum libera voluntate. Ergo in eadem voluntate erat facere aliquid, quo vocatio in eis esset congrua, non fuit tamen in voluntate eorum facere vt prædeterminarentur.

4. Responsio ad vltimam instantiam. Et hinc etiam facilis est responsio ad vltimam instantiam, nam is qui post sufficientem vocationem non consentit seu operatur, non caret aliquo principio supernaturali ad operationem, sed tantum concursu simultaneo, cuius carentia non est ex parte Dei, sed ex parte liberi arbitrij, nam Deus ex se paratus est, & offert illum concursum homini vocato; ipse autem homo non vult influxum ex parte liberi arbitrij necessarium adhibere, & ideo & actuali concursu & operatione caret, quod in auxilio prædeterminante locum non habet, vt satis probatum est. Non ergo rectè existimant alij auctores eandem esse difficultatem de auxlio simultaneo in operatione imbibito, & de prædeterminatione, cùm differentia sit notissima: nam auxilium simultaneum non fit sine cooperatione liberi arbitrij, & ideo potest impediri per voluntatem hominis liberè non adhibentis suam concausationem, vtsic dicam; prædeterminatio autem est à solo Deo, & præcedit ordine naturæ, & causalitatis omnem influxum liberi arbitrij, quia nec illius præparationem, seu dispositionem, nec concausationem requirit, imò est causa influxus eius, & ideo non habet, vnde sit in potestate liberi arbitrij.

5. Instantia. Instat verò Ledesma, quia etiam auxilium physicum intimè imbibitum in ipsa operatione est causa effectiua ipsius operationis; ergo est prius natura quam illa & præuium ad illam. Et è contrario etiam auxilium prædeterminans tenet se ex parte actus, & non ex parte principij, ergo est eadem diff. cultas.

Respondetur. Respondetur vtramque partem antecedentis falsam esse, & contra dicta eiusdem argumentis in aliis locis, nam auxilium imbibitū in ipsa actione non potest esse causa actionis voluntatis, cùm sit idem indiuisibiliter cum ipsa: vnde quidam eiusdem ordinis Theologus, & prædeterminationis defensor dixit non obstante subordinatione ad causam primam simul natura attingi effectum, & actionem à causa prima, & secunda. Ridiculumque est asserere quod Deus prius natura faciat meam visionem quam ego, aut quod prius natura faciat meum consensum quam mea voluntas, esto à voluntate non fiat nisi cum subordinatione ad primam causam. De auxilio autem prædeterminante si detur satis per se patet esse omnino prius causalitate & natura, supràque de concursu præuio satis ostensum est præcedere per modum principij, vel complementi eius, quod multo est euidentius in auxilio prædeterminante, quod non tantum ponitur ob generalem concursum, sed vt det vires voluntati vt declaratum est.

CAPVT XVIII.

Vtrùm possibile sit auxilium efficax physicè prædeterminans voluntatem in actu primo ualuo libero vsu eiusdem voluntatis in eodem actu secundo, ac subinde an libertas quo ad exercitium in actu voluntatis simul possit cum auxilio physice & in actu primo prædeterminante voluntatem concordari.

1. NOnnulli ex Theologis qui negant auxilium prædeterminans in actu primo esse necessarium ad omnia opera pietatis, licet consequenter negent in illo consistere adæquatè auxilium efficax, nihilominus fatentur interdum dare Deum auxilium efficax per hunc modum prædeterminationis, quia est consentaneus omnipotentiæ Dei, & efficaciæ diuinæ voluntatis, & non repugnat apertè libertati. Primò, quia illa motio tantum inducet necessitatem in sensu composito, quæ non repugnat libertati. Secundò, quia Deus sapientia sua infinita nouit vnamquamq; causam secundam mouere fortiter, & suauiter, fortiter vt efficienter faciat illam facere, & suauiter vt modo illi consentaneo illam operari faciat, ac subinde liberè si libera sit, licet nos fortasse modum illum operandi Dei non assequamur. Tertiò argumentantur exemplis vt in actibus prædefinitis seu prædestinatorum, aut electorum. Præsertim verò in actibus voluntatis Christi, in subitaneis conuersionibus vt Pauli, & in confirmatis in gratia.

2. Aluar. Lorca. Hanc sententiam refert P. Aluar. disput. 91. nu. 5. & in margine citatur P. Lorca, sed ille in alio sensu loquutus est vt cap. 13. declarabo. Eandem opinionem tribuit Ledesma F. Ioanni Vincent. in artic. 1. & in principio quæstionis refert aliquos dixisse auxilium prædeterminans dari prædestinatis vt infallibiliter operentur, nam ille modus operandi est necessarius ad certitudinem antecedentem prædestinationis: reprobis verò ad bene operandum non dari, quia in illis non est necessaria illa infallibilitas antecedens. Refert item alios dixisse hoc auxilium prædeterminans dari in natura lapsa, non verò datum fuisse Angelis Sanctis, neque etiam Adamo fuisse necessarium in statu innocentiæ. Qui omnes dicendi modi supponunt hoc auxilium esse possibile salua libertate, esto non sit per se necessarium, & hanc opinionem fere ante triginta annos in quibusdam solemnibus disputationibus cuiusdam insignis collegij D. Thomæ Aquinatis vidi publicè defendi. Et videtur illam insinuare Card. Tolet. ad Rom. 11. notab. 4. dicens. *Augustinus existimat totum esse gratiæ, quia facit hominem cooperari, & determinat arbitrium hominis, quia dat vt velle possit, & facit velle. Existimo tamen non semper id esse, sed sæpe iuuat hominem vt velle & operari possit, quod tamen velit, & operetur hominis est facientis quod est in se, quamuis non sine adiuuante gratia.* vbi dicens, *existimo non semper id esse*, significat aliquando id esse, & quod difficilius est, sentit secundum Augustinum semper ita esse quod postea videbimus.

3. Auxilium, motio, qualitas, &c. indita voluntati ex sola efficientia Dei, & ex se prædeterminans illam physicè in actu primo, omnino repugnat cum libertate. Nihilominus dico auxilium, motionem, qualitatem, ante entitatem inditam voluntati ex sola efficientia Dei sine concursu libero effectiuo voluntatis, & ex se prædeterminans illam simpliciter seu physicè in actu primo ad eliciendum actum secundum, omnino repugnare cum libertate eiusdem actus, & hoc modo esse impossibilem. Hanc sententiā tractaui in opusculis, & in Metaphysica, & in prima parte, illamque censeo communem Theologorum: Quia verò de hoc etiam est controuersia sciendum est quæstionē hanc cœpisse in Hispania ante annos 40. distinctè, & in propriis terminis in scholis agitari, & præsertim in Salmanticensi, de quā possum tanquam ocularis testis deponere: ex libris vero postea editis intelligimus eandem controuersiam in aliis etiam prouinciis, & regionibus ortam esse, & paulatim adeo creuisse vt oportuerit Apostolicam sedem modum in hac disputatione seruandum præscribere. De auctoribus ergo qui ante hanc ortam sententiam scripserunt dicam postea, quia magis lubrica esse potest eorum sententia, eo quod non tam clarè neque eisdem verbis, quæ nunc vsurpantur, rem disputarunt; solum ergo hic adnotabo aliquos qui post illa tempora scripserunt, & in primis satis eorum plures ex Theologis

gis Societatis Iesu sententiam hanc & accuratè disputasse, & pro viribus asseruisse. Præcipuè verò id præstitit illustrissimus Bellarminus lib. 1. de grat. & lib. arb. cap. 12. Fonseca lib. 6. Metaph. cap. 2. qu. 5. Molina in concordia ad art. 13. quæstion. 14. disp. 13. 38. & 40. & ad q. 23. disp. 1. memb. 6. Valent. in controuersia lib. de diuin. grat. p. 2. cap. 3. & in 2. tom. summæ Theologiæ disput. 8. quæst. 3. punct. 4. §. 2. Vasquez. 1. p. disput. 88. & 98. & 1. 2. disp. 185. cap. 6. & 11. Leonard. Les. in disputatione speciali de gratia efficaci; & alij obiter, & per occasionem eandem sententiam indicant.

4. Probatur auctoritate

Ex aliis vero modernis scriptoribus ex professo defendit hanc sententiam Illustriss. Fertinand: Mascaregnas in tract. de auxiliis diuin. grat. & Francisc. Diotaleui. in opusc. de concursu Dei ad actus liberos. & Alexander Pesant. 1. 2. qu. 111. art. 5. dis. 4. vbi satis explicat suam sententiam licet in disp. 7. eam suspendere videatur eo quod Clementis VIII. decretum ea de re illo tempore expectaretur. Eandem doctrinam habet in 1. part. q. 19. art. 8. & q. 23. P. etiam Lorca licet in contrarium allegetur quia aliquam prædeterminationem physicam admittit esse possibilem, nihilominus in sensu in quo nunc loquitur, expresse tenet hanc sententiam 1. 2. disp. 21. de grat. sub. tit. *Explicatur concordia*, &c. declarando mentem suam ait, *Non enim est existimandum hoc auxilium esse aliquam qualitatem per modum actus primi determinantem voluntatem vt quidem praue philosophantes dicunt, hæc enim conferret libertatem, quia quacunque ratione voluntas ante operationem intelligatur determinata, aufertur libertas.* Eandem sententiam multis modis docet & confirmat Curiel lib. 2. controuersiar. præsertim à num. 137. per multa sequentia, & specialiter in nu. centesimo septuagesi. sexto dicit. *Videri autem secundum fidem nullum esse auxilium ex his quæ tenent se ex parte voluntatis creatæ, quatenus per modum principij præsupponitur suis actionibus, quod ita determinet voluntatem ad agendum, vt non relinquat ipsam secundum se, & intrinsecè indifferentem, & interminatam physicè ad agendum, & non agendum, ita vt pro sua libertate possit re ipsa agere, & non agere*, quod late postea probat. Breuius hoc punctum attingens Ludouic Tena in epist. ad Hebr. cap. 4. in vltimis verbis nostræ sententiæ subscripsit sine disputatione vel probatione, & cap. 12. difficult. 2. num. 59. ait gratiam non esse efficacem sine nostro consensu, imo nostro consensu fieri efficacem. Pro hac nostra sententia quantum ad hanc partem allego F. Cumel in opusc. lib. 1. disp. 4. concluf. 4. quæ est. *Ita affirmatur à nobis efficacia diuini auxilij esse à Deo, & non ex nostra cooperatione, vt non dicamus Deum prædeterminare nos ad extra se solo aliqua actione prius in nobis posita, seu aliqua actione prædeterminante prius in nobis recepta, in qua mere passiue se habeat liberum arbitrium*, quod latissime repetit in explicatione conclusionis 5. & addit. *Quia sic tolleretur libertas, & necessitaretur voluntas.* Et in disp. 5. & aliis locis sæpe id repetit negando expresse posse salua libertate prædeterminari voluntatem physicè, & in actu primo per actionem solius Dei ipsa voluntate passiuè se habente. Eteodem modo possemus pro eadem sententia referre Ledesmam, cuius verba paulo post referam.

5. Supponendum.

Vt ratione probemus assertionem, supponendo quod sæpe dixi, non esse controuersiam an voluntas nostra iam sufficienter vocata indigeat principio physicè cooperante illi, & adiuuante illâ cum actu operatur nam in hoc omnes conuenimus, estq; certissimum, & euidens supposito principio fidei quod illi actus sunt supernaturales. Neque etiam est controuersia, quod sit in particulari hoc principium, an licet sit habitus in his qui operantur ex habitu; in aliis vero sit vel ipsa vocatio physicè concurrens cum potentia, vel sit ipsa virtus increata Dei per se ipsam eleuans & adiuuans potentiam, vel sit etiam aliquis actus primus datus per modũ transeuntis. Hi enim omnes modi concipi possunt sine prædeterminatione physica volũtatis, & si hoc modo quilibet illorum asseratur, habet suam probabilitatem; & non pertinet ad præsentem controuersiã, sed ad aliam, quæ lib. 3. tractata est. In præsenti ergo solum dicimus illud principium quod cum voluntate efficit physicè actum supernaturalem, non posse talẽ esse vt simul etiam formaliter ipsam determinet, quin etiam libertatẽ in efficientia talis actus tollat, illamque ad eum exercendum absolutè necessitet.

Supereſt ergo, vt explicata assertio probetur, quia posito in voluntate illo principio prædeterminãte illam, actus non est liber remote, seu in causa, neq; etiam est formaliter liber, ergo nullo modo. Consequentia est clara, & Maior similiter, quia impressio seu receptio talis auxilij non est libera voluntati, quia neq; ab illa fit, neq; voluntas ad illã se disponit, neq; ex libero vsu eius pendet vt capite præcedenti probatum est, consequenter in illa sententia loquendo, ergo actus qui necessario sequitur ex illa causa non est liber in causa, quia illa prædeterminatio est causa quasi adæquata illius actus, vt etiã prædicti auctores loquuntur, seu est vnica, & totalis radix, in quam vltimò resoluitur talis actus inter principia proxima eius: nam illud auxilium vlterius resoluitur in diuinam voluntatem, quæ est altior causa minusque à libertate hominis pendens. Iam ergo probatur Minor de formali libertate, quia actus est liber formaliter ea habitudine ad suum proximum principium, sed hic actus est liber ad suum proximum principium; ergo. Probatur minor; quia proximum principium talis actus non est nuda vel sola voluntas, sed est hoc compositum seu constitutum à voluntate, & hac entitate auxilij, sed ab hoc composito ineuitabili necessitate procedit actus, ergo non est formaliter liber ex habitudine ne ad suum principium.

Hæc ratio per se spectata videtur multum cogere intellectum, potest autem eius efficacia variis modis ex hactenus dictis declarari. Primus est quia auxilium illud per se spectatum non efficit libere sed necessario, vt supponitur, quia natura sua est determinatum ad exercitium sui actus, adeo vt dicant auctores illius sententiæ non solum naturaliter, verum etiam neque de potentia absoluta posse ab actione separari. Nec etiam vt coniunctum voluntati: quia (vt ait Aluar.) auxilium efficax præoperantis gratiæ non subditur quantum ad vsum potestati nostræ liberæ voluntatis, sed potius è conuerso eam sibi subiicit, & obsequentem facit fortiter, & suauiter, ita vero fortiter vt non possit voluntas illi resistere; sed ista duo sint incompossibilia talis auxilij entitatem ineſſe voluntati, & illã non cooperari; ergo non potest actus ille denominari, aut esse formaliter liber. Probatur consequentia, quia tam necessaria est cooperatio illa voluntatis, quam efficientia ipsius auxilij, quia auxilium ineuitabili necessitate post se trahit voluntatem, & efficientia eius prorsus est necessaria homini, quia eius dominio non subditur, ergo non minus necessaria est coefficientia voluntatis, non habet ergo ille actus, vnde habeat formalem libertatem.

Ad vim huius rationis vitandam addit Aluarez notandum verbum in dicta disp. 87. nam cũ dixisset voluntatem non subdere sibi auxilium efficax quoad vsum, sed illi ita subiici vt impossibile sit habere illud, & simul illi non cooperari, addit, *quamuis possit, si velit, non cooperari.* Sed quis non statim in his verbis repugnantiam videat. Vt si quis cogitaret impossibile esse non cogitante intellectu de Deo non posse voluntatem ipsum amare, posse tamen

tamen si velit, planè diceret repugnantia, quia conditio *si velit*, non habet locum, vbi supponitur volendi impossibilitas. Hæc autem potestas tollitur dum dicitur esse impossibile quod proponitur. Quod si sensus sit posse voluntatem non cooperari, si velit ablata entitate auxilij efficacis, illud, non est non posse cooperari si velit, sed est non posse tunc operari, nec posse velle, quia neutrum potest sine prædeterminatione vt ipsi dicunt. Sicut in exemplo posito valde absurdum esset dicere intellectu non cogitante de aliquo obiecto non posse quidem cum illo incogitantia coniungi operationem voluntatis, quamuis possit circa rem illam operari si velit subintelligendo ablata incogitantia seu posita cogitatione in intellectu, quia hoc non est velle operari cum incogitantia, sed cum cogitatione, ita enim illud prius non est posse velle non cooperari auxilio efficaci præexistenti, sed est posse non velle, aut potius non posse velle, si illud non detur. Vnde sicut in dicto exemplo propter illam potentiam volendi ablata incogitantia non potest homo dici libere non velle rem de qua non cogitat, si necessario de illa non cogitat, ita in præsenti propter potestatem non cooperandi ablata entitate auxilij non potest dici voluntatem liberè cooperari auxilio, quod necessario, & sine vsu libertatis in se recipit, & quo stante non potest non cooperari.

9. Secundus modus explicandi vim dictæ rationis sequitur ex præcedenti, & est satis vulgaris, quia per tale auxilium quædam necessitas infertur voluntati libertati actus contraria. Probatur illatio, quia voluntas præuenitur quadam motione, cui non potest resistere. Ergo patitur necessitatem in agendo per talem impetum, quia satis euidens necessitas est illa cui resisti non potest, cum ante libertatis vsum inferatur. Et in idem ferè redit, si dicamus auxilium illud non relinquere in voluntate libera potestatem agendi, & non agendi, quia vbi non est potestas resistendi, neq; est potestas non agendi, sine potestate autem non agendi non est indifferentia; ergo nec libertas. Vrgetque magis hæc ratio, quia supra ostensum est ad vsum liberum necessariam esse potentiam proximam agendi & non agendi, posita autem illa prædeterminatione non manet talis potestas proxima, quia impossibile est non agere stante voluntate in tali dispositione, ergo exercitium talis actus non potest esse liberum.

10. Duo principales modi respondendi ad prædictam rationem.

Ad hanc rationem duo sunt principales modi respondendi. Primus admittit voluntatem nostrã non esse liberam in receptione auxilij, quia à solo Dei fit, nihilominus tamen libere operari cum tali auxilio. Secundus est etiam in receptione ipsius auxilij efficacis seruari, & interuenire vsum libertatis. Et quia in vtroq; modo multipliciter insistitur; & hoc est vnum ex præcipuis punctis huius controuersiæ, de vtroq; suo ordine dicemus, & multa quę hac occasione ab aliis auctoribus dicuntur expendemus. Primus ergo respondendi modus duplici verborum forma explicatur, sed in idem recidunt. Communiter ergo dicitur hæc necessitas esse tantum in sensu composito, & ideo non tollere libertatem. Contra hoc vero opponimus illam necessitatem compositam esse ex antecedente suppositione, & ideo repugnare libertati iuxta doctrinam Anselmi in prolegomeno primo traditam. Et ideo alij respondent, licet voluntas posito auxilio non possit non agere in sensu composito, posse in sensu diuiso, & id satis esse ad libertatem.

Sed hæc responsio satis refutata est in prologemeno 1. quia illa potentia in sensu diuiso non est potentia propriè actiua sed magis passiua quatenus potest Deus auferre illam prædeterminationẽ, & relinquere voluntatem in sua naturali potestate. Et in idem redit quod illa non est potentia proxima ad vtrumque, sed est proxima ad agendum, & remota ad non agendum, quæ non sufficit ad libertatem quando illud, quod proxime necessarium est ad non agendum non est in potestate voluntatis. Sic autem est in præsenti, nam voluntas prædeterminata per auxilium, non potest immediate exercere potestatem non agendi, quia stante auxilio non potest cum illo componere suspensionem actus, ideo enim illa potestas, quam retinet, dicitur esse in sensu diuiso, vt ergo exerceat illam potestatẽ opottet vt tollatur prædeterminatio. Et hac ratione vocamus illã potestatem remotam, seu mediatam. Non est autem in potestate voluntatis ponere illud, quod proximè necessarium est ad non agendum nimirum tollere prædeterminationem, quia sicut à solo Deo, & sua volũtate efficaci posita est, ita ab illo tolli potest, quia solum ab illo pendet.

11. Confirmatur, & declaratur, quia vt voluntas in hoc instanti iam prędeterminata in actu primo per hoc auxiliũ sit libera, oportet, vt prius natura, quã eliciat actum, sit potens ad non eliciendum illum in illomet instanti temporis in quo operatur, alias numquam actus esset liber, sed posita prædeterminatione iam non habet potestatem non agendi pro illo eodem instanti, quia non habet potestatem componendi carentiam actus cũ illo auxilio; ergo reuera non est libera pro eo instanti ad illum actũ. Aliter explicatur, quia vt actus sit liber, oportet vt eadẽ potentia, quæ est integra facultas volendi, sit capax nolitionis, seu carentiæ volitionis, quia alias in illo adæquato principio non esset indifferentia neq; potestas ad oppositа, sed adæquatũ principiũ consensus supernaturalis non est sola voluntas, sed compositum ex voluntate, & auxilio, quod compositum non est capax carentiæ actus, & multominus nolitionis contrariæ ad quam non prędestinatur; ergo illa potentia quæ in sensu diuiso manet ad libertatem non sufficit, quia non est talis quæ exerceri possit à totali, & integro principio liberi actus. Ideoq; merito dicimus potentiam proximam ad non agendum esse necessariam ad actum liberum, quia potestas remota, quæ in ipsa potentia durat, solum potest deseruire pro alio tempore, & pro sola voluntate, si auferatur prædeterminatio, quod satis non est. Et confirmatur, quia si actus à voluntate sic prædeterminata fit, non est in potestate volũtatis cessare ab illo, vel sua potestate inchoare, (vt sic dicam,) suspensionem actus, nisi Deus prius natura auferat prædeterminationẽ, ergo continuatio illius actus non est libera, nec est in potestate volũtatis; ergo nec inchoatio, seu productio illius fuit libera. Deniq; si res moraliter cõsideretur, videtur per se euidens illam potentiam, quæ in sensu diuiso manet sub illo auxilio nihil, conducere ad laudem actus, vel hominis operantis, quia quod potestas illa maneat sub auxilio naturali, & necessariũ est, & illa potestas tunc non exercetur ab ipso homine vllo modo libero, quia hic, & nunc non caret suspensione actus per dominium, & potestatem suam, sed quia tali modo prævenitur, vt ineuitabiliter habeat talem actum; ergo reuera nõ manet actus liber.

12. Reiicitur quorundã distinctio duplicis necessitatis.

Nihil etiam ad rem pertinet quotumdam distinctio duplicis necessitatis, scilicet ab intrinseco, & dicentium necessitatẽ, quæ ex hoc auxilio nascitur respectu voluntatis esse ab extrinseco, & ideo non repugnare eius libertati, sicut repugnat necessitas ab intrinseco, qualis est in amore beatifico. Hæc inquam responsio nihil prodest, quia in primo prolegomeno ostensum non minus repugnare libertati necessitatẽ ab extrinseco, quia non minus impedit vsum necessitatis non agẽdi. Et reuera (vt mox dicebam,) moraliter rem considerando, vt actus non

fit laude, vel reprehensione, præmio, vel pœna dignus, parum refert, quod necessitas hinc, vel inde proueniat, si tãta sit, vt sit homini ineuitabilis qualis esset præsens necessitas, vt expressis verbis aliqui ex dictis authoribus confitentur. & sanè consequenter, quandoquidem impressio talis qualitatis euitari non potest ab homine, si Deus vult illam dare. Neque emanatio actionis ab auxilio ineuitabilis est, etiam per potentiam absolutam, vt ipsi dicunt. Quod autem id quod est ineuitabile non possit ad culpam imputari per se notum videtur, cur enim inculpabile est, quod per ignorantiam inuincibilẽ vel per absolutam coactionem fit, nisi quia est ineuitabile. Item ob hanc causam patres defendentes libertatem contra hæreticos negantes illam ex parte prouidentiæ, vel actionis Dei summo studio defenderunt, & declararunt nullam necessitatem ab extrinseco inferri voluntati, per Dei scientiam, vel prouidentiam, supponentes profecto hanc necessitatem repugnare libertati actionis. Hoc autem constat ex dictis in prolegom. 1. & plures patres afferemus infra eorum mentes in hac controuersia inuestigantes. Deniq, addo quod posito illo genere prædeterminantis auxilij necessitas non tantùm erit ab intrinseco, sed etiam ab extrinseco, quia entitas talis auxilij natura sua, & ab intrinseco est determinata ad agendum, sicut impetus impressus lapidi, licèt sit illi intrinsecus, & violentum motũ in illo faciat, nihilominus ab intrinseco, & naturaliter est determinatus ad faciendum illum motum, ergo multo magis auxilium illud est per se & ab intrinseca sua natura determinatum ad illam actionẽ cum nec Deus ipse, vt aiunt, possit illam impedire; ergo necessitas illa respectu auxilij est ab intrinseco & consequenter respectu voluntatis oritur illa necessitas ex intrinseca impotentia quã habet ad resistendum illi auxilio, & ita respectu illius principij adæquati necessitas illa est ab intrinseco, quandoquidem oritur ex vltimo, & formali constitutiuo illius principij. Et hæc ratio maximè vrget si talis prædeterminatio seruata proportione est ad omnẽ actionem voluntatis necessaria: nam tunc voluntas natura sua postulat illum modum agendi, & ita necessitas illa est connaturaliter debita voluntati, & ideo satis ab intrtnseco existit. Verumtamẽ etiam si non sit per se necessaria talis prædeterminatio quoties data fuerit necessitas erit ab intrinseco ex parte voluntatis, saltem ob intrinsecam impotentiã resistendi naturali impulsioni talis auxilij, vt dixi.

CAPVT XIX.

In humana voluntate non posse simul esse auxilium ex se ac physicè illam prædeterminans cum potestate resistendi etiaem auxilio.

1. NOnnulli ex his auctoribus, qui auxilium prædeterminans defendunt, cum viderint sine potestate resistendi non posse libertatem subsistere, dicere tentarunt hoc auxilium prædeterminans non imponere necessitatem, nec auferre potestatem non agendi, etiam in sensu composito, sed solum determinare ad semper sic agendũ, quæ non est necessitas, sed determinatio, nec tollit potestatẽ resistẽdi si velit etiam in sensu composito, sed solum facit vt voluntas illa potestate non vtatur, quia licèt infallibiliter id faciat, non tamẽ ineuitabiliter. Vnde consequenter aiunt, illud auxilium, licèt determinet potentiam ad vtrumque, etiam in sensu composito, licèt infallibiliter in alteram partem inclinanda sit voluntas. Hunc modum defendendi illam sententiam sequutus est Cabrera suprà disput. 2. §. 8. num. 309. 310. & sequentibus. Nec videtur ab hac sententia alienus Cumel. disp. 4. & 5. vbi sæpissimè negat voluntatem determinari per auxilium præuium, donec voluntas sua ratione se determinet cum efficacia illius auxilij, & consequenter ait habere vim ad ponendum illi obicem, & resistendum vt specialiter patet disp. 5. post concluſ. 3. sub tit. *aliis argumentis.* §. *aduerte tamen.* Et pro hac responsione facit quod notat Ledesma art. 2. ad 5. quod voluntas affecta illo auxilio operatur infallibiliter, item quod ait art. 10. ad 1. quod in actu ad quem prædeterminatur voluntas, non est necessitas, sed infallibilitas proueniens ex efficacia auxilij, efficacia autem ait, & necessitas sunt res omnino dissimiles, quia licèt necessitas includat intrinsecè efficaciam, efficacia non includit necessitatem, licèt includat omnimodam infallibilitatem; nam si hoc verum est cum illa efficacia optimè manere poterit potentia ad non agendum, etiam in sensu composito, quia efficacia infallibilis tantùm non tollit hanc potentiam, vt nos infrà dicemus. Hanc etiam doctrinam sub quadam notanda distinctione admittere videtur Aluarez disput. 93. n. 2. ait enim auxilium efficax dupliciter posse considerari. Primò secundum suam entitatem præcisè, id est, talis motio, vel entitas in voluntate recepta, & sub hac ratione ait voluntatem posse resistere auxilio efficaci, quod ait ab omnibus concedi. Vnde fit non obstante tali auxilio efficaci sic spectato voluntatem posse non agere, etiam in sensu composito: nam verbum resistendi sensum compositũ inuoluit. Alio modo ait posse auxilium efficax considerari secundum omnem virtutem realem quam habet, vt venit à Deo, & vt est instrumentum voluntatis Dei efficacis, & sic non posse voluntatem illi resistere, & consequenter tantum retinere potestatem ad non agendum in sensu diuiso.

Ex his verò auctoribus Cabrera quantum à sua, & suorum sequacium sententia recedit, tantùm nostram sententiã, & rationem factam confirmat, latè enim probat ad libertatem necessarium esse vt non obstante præmotione Dei maneat voluntas indifferens simpliciter, & cum potestate ad resistendum & non agendum in sensu composito, quod nos intendimus, estque nostræ rationis fundamentum. Hinc ergo nostram sententiam confirmat, suam verò consequenter deponit. Vnde quidam alius eiusdem doctrinæ sectator responsionem illam reiiciens dixit. *Nec nobis placent qui dicunt hanc præmotionem efficacis auxilij in omni sensu relinquere facultatem indifferentem, hoc quippe non est determinare, sed indeterminare. Certè (ait) prædeterminatio quam iste noster recentior Thomista nouit imprædeterminatio est, & ita quos impugnare instituit amplexatur.*

Tres ergo contradictiones in illa doctrina notare possumus. Prima est, quod voluntas physicè determinetur ad vnum, & simul maneat indifferens, quia determinatum, & indeterminatum contradictoriè, vel priuatiuè opposita sunt, idem autem est indifferens quod indeterminatum. Prætea sic explico, quia vel est sermo de indifferentia remota, vt sic dicam, & passiua quæ est in voluntate secundum se spectata, vel de indifferentia proxima, & in actu primo completo respectu talis actus pro eodem instanti prius natura quam eliciatur. Si de priori tantùm sit sermo, est vocum æquiuocatio, quia illa indifferentia est tantum in sensu diuiso, & non sufficit ad libertatem ostendi, & manet in voluntate etiam intellecta, quia nihil aliud est quàm capacitas naturalis ipsius voluntatis, si autem intelligatur secundo modo vt necessarium ad libertatem, sic immediatè, ac formaliter repugnat esse potentiam physicè determinatam ad vnum

vnum actum prius natura, quàm illum eliciat, & in eodem signo esse indifferentem respectu eiusdem actus vt ex ipsis terminis constat, quia in eodem puncto temporis, & naturæ, & respectu eiusdem actus secundi esse simul determinatũ, & indeterminatum in actu 1. proximo contradictoria sunt

4 Secunda cõtradictio.

Secunda contradictio est quod actus sequatur infallibiliter ex efficacia prædeterminationis, & non sequatur ineuitabiliter. Nam licèt alio modo, & ex alio capite possint illa duo simul coniungi, vt infra dicam, tamen posita hypothesi physicæ prædeterminat onis de se efficacis repugnantiam inuoluit, quia quando effectus est infallibilis ex vi causę proximæ, & ex natura talis entitatis intrinsecè determinatæ ad talem effectum, ita vt repugnet ex illa non sequi, talis effectus ineuitabilis est, quia nihil aliud ũgnificat hæc vox, nisi quod effectus prodeat à causa, cuius actio euitari non potest, tale autem est auxilium per se efficax, ideo enim infallibiliter agit, quia ex se est ita determinatum ad agendum, vt eius actio impediri non possit. Et declaratur, quia, vt ipsi etiam, aiunt, implicat contradictionem auxilium efficax poni, & non sequi actionem consensus, quia eo ipso non esset efficax, quid autem potest esse magis ineuitabile quàm id quod implicat contradictionem non fieri. Tunc ergo infallibile distinguitur ab ineuitabili quando est infallibilitas in effectu non in causa, hîc autem est causa, vt declarauí, & ideo distingui non possunt.

Neque contra hoc obstat distinctio ab aliis adhibita inter efficaciam, & necessitatem, quia licèt efficacia in cõmuni sit superior ad necessitatem, quia dari potest efficacia libera, tamẽ efficacia rei intrinsecè determinata ad vnum, & ad exercitium actus & ineuitabiliter secum trahentis ad agendum potentiam, cui inest intrinsecè ineludit necessitatẽ, & similiter infallibilitas ex tali efficacia proueniens necessitas est non tantum secundum quid, sed simpliciter, quia licèt respectu voluntatis sit ex suppositione, illa tamen suppositio est omnino antecedẽs & in illa recipienda voluntas ipsa absolutam necessitatem patitur. Nec plus valet aliorum responsio distinguentium duplicem necessitatem, vnam infallibilitatis, & aliam coactionis, & dicentium hãc posteriorem repugnare libertati non priorem, & illam solum sequi ex prædeterminatione. Verumtamẽ si vtrumq; ex illis membris sumatur, propriè distinctio est insufficiens, quia datur necessitas simpliciter, & in causa, quæ nec est tantum infallibilitatis, nec coactionem propriam infert, & nihilominus repugnat libertati, & sic per physicam prædeterminationem infertur, quia facit actum esse simpliciter necessarium, vt ostẽsum est, licèt relinquat illum voluntarium, & non coactum. Quod si in primo membro necessitas coactionis late dicatur omnis illa necessitas simpliciter, quæ est pręternaturalis, & ab intrinseco, certè talis est, quę per physicam prædeterminationem infertur, vt probatũ est. Vel si è contrario necessitas infallibilitatis dicatur omnis illa quæ sine propria coactione inuenitur, & cũ voluntario coniungitur, si non est vniuersaliter verum necessitatem infallibilitatis non esse contrariam libertati, talisque est necessitas quam inducere prædeterminatio physica, vt ostensum est.

5 Tertia cõtradictio.

Tertia contradictio est quod auxilium sit per se, & natura sua efficax, & quod maneat in volũtate potestas ad resistendum illi in sensu composito. Nam in primis illa potestas nunquam reducitur ad actũ vt ipsi fatentur, idq; infallibiliter; & non ex præscientia Dei, qua præuidit effectum contingentem futurum hoc modo potius quam illo, nam hoc ipsi ex professo impugnant: ergo est infallibile ex vi causę, ergo contrarium est impossibile, sed ad impossibile non est potentia; ergo non est in voluntate potestas ad resistendum huic motioni ex suppositione illius. Probatur consequentia, quia resistere esset coniungere negationem consensus cum illa motione, sed hoc est impossibile, neq; ad illud est potestas in voluntate; ergo neq; ad resistendũ tali motioni. Præterea declaratur in hunc modum, quia si comparemus potestatem voluntatis ad naturam, & entitatem illius motionis, ita se habent, vt non possit voluntas illud auxilium facere inefficax; ergo non potest illi resistere, nam per resistentiam fieret inefficax. Antecedens probatur, quia illud auxilium est efficax ex intrinseca natura sua, vt illi dicunt, sed nõ potest voluntas mutare naturam talis auxil.j; ergo non potest facere illud inefficax. Itẽ non magis potest voluntas resistere illi auxilio, quam voluntati diuinæ beneplaciti efficaci, sed huic voluntati Dei non potest voluntas nostra resistere vt Scriptura docet, ergo nec tali auxilio, si tale est. Maior est frequens in illis auctoribus, & est consequens ad illorum doctrinam. Quia ponunt illud auxilium habere vim ad implendam voluntatem diuinam tam infallibiliter & efficaciter, quàm necessarium est ad omnipotentiam, & infallibilitatem diuini decreti, ergo fieri non potest vt sit tale, & quod in voluntate sit potestas resistendi illi auxilio, etiam in sensu composito, & confirmatur tandem, ac declaratur, quia potestas in sensu composito est potestas ad componendum vnum cum alio, & ideo stantẽ consensu non manet in voluntate potestas ad dissensum in sensu composito; quia non potest voluntas vnum actum cum alio componere, id est, simul vtrumque habere, sed iuxtà illam sententiam, ita repugnat, si mul componi auxilium prædeterminans cum carentia actus, sicut repugnat componi consensum cum dissensu: ergo repugnantia est dicere cum tali determinatione manere in voluntate potestatem resistendi in sensu composito.

6. Hæ contradictiones non euitantur per sua dictam distinctionem Auxilij efficacis.

Neq; hæc incommoda euitantur per distinctionem auxilij efficacis quoad puram entitatem suam vel quoad totam virtutem quam habet vt instrumentum Dei. Nam in primis quæro de auxilio secundum præcisam entitatem spectato an prędeterminet physicè voluntatem, necne. Nam si non prædeterminat physicè, non est efficax secundum commu nem sententiam horum auctorum; ergo male ponitur sub auxilio efficaci, & tamquam membrũ; & confirmatur: nam si non determinat physicè voluntatem, ex se non habet infallibilem connexionẽ cum consensu voluntatis, nec etiã habet illam expræscientia conditionata in sententia horũ auctorũ ergo simpliciter, & omnimodo non habet talẽ connexionem infallibilem, ergo est simpliciter coniungens, vt cum entitate illius auxilij coniungatur carentia talis consensus, ergo tale auxilium nõ est efficax ex se, nec dat actu operari, sed posse. Si autem auxiliũ sic spectatum in sua præcisa entitate prędeterminat physicè voluntatem, incidimus in contradictiones allatas. Nã repugnat voluntatẽ posse resistere tali auxilio efficaci, nã resistentia (vt dixi) includit sensũ compositũ, quia nisi adsit aduersarius, non habet locum resistentia; in sensu autẽ composito impossibile est voluntatem resistere entitati ipsam physicè prædeterminanti, quia physica prædeterminatio in sua ratione includit vt non subdatur dominio voluntatis, sed illam potius sibi subiiciat, vt ex terminis est notum, & aliis locis idem auctor dicit: voluntas autem vbi dominium non habet, nec resistere potest, quia non nisi per potestatem dominatiuam suorum actuum resistit.

7. Præluditur alia quæstio.

Fortè dicetur entitatẽ illius auxilij secundũm se spectatã, si in re ipsa separetur à reali virtute instrumentali Dei, non esse prædeterminantem, nec futurũ esse auxilium efficax, nunc verò numquam separari ab illa virtute, & ideo semper in re esse effi-

eax & prędeterminans, & ideo vocari auxilium efficax nō formaliter, vt sic dicam, sed denominatiuè ab illa virtute. Sed hæc & similia fruſtra dicuntur, & si euoluantur vix intelligūntur. Interrogo enim an illa virtus inſtrumentalis addat aliquid reale entitati auxilij præcisè ſpectatæ nec ne. Quia ſi nihil addit, ſuperflua eſt diſtinctio, quia illa entitas per ſe ipſam erit virtus inſtrumentalis diuinæ voluntatis, & omnipotentiæ; ergo ex vi ſuæ entitatis habebit omnem virtutem realem, quam habere poteſt vt ex Deo procedit. Quod ſi ſub vna ratione habet aliquā virtutem realem quam ſub alio non habet aliquid etiam entitatis, illi addi neceſſe eſt quando ei realis virtus additur, nam virtus realis non eſt ſine reali entitate. Magis verò ſentit dictus auctor illam virtutem realem inſtrumentariā eſſe aliquid reale additum entitati auxilij, dicit enim virtutem illam eſſe intentionale quid, per quod virtus principalis agentis eſt incompletè vt inſtrumento. Vnde videtur ſentire hanc virtutem ſimilem illi quæ additur per concurſum præuium omnibus cauſis ſecundis ex eius, & aliorū ſententia, quòd ſi hoc ita eſt, ſuperflua eſt illa prior entitas auxilij efficacis, cui ſecundum ſe ſpectatæ dicitur voluntas poſſe reſiſtere. Ad quid enim eſt tot entitatum multiplicatio: nam ſi Deus addit hanc virtutem inſtrumentariā auxilio excitanti, vel habitui infuſo, ſatis erit, vt eleuet illa ad inſtrumentaliter agendum in virtute Dei, & ad determinandam potentiam, vt efficaciter operetur; ad quid ergo eſt illa alia entitas, quæ dicitur auxilium efficax cum de ſe ſit, inefficax? vel qualis eſſe poteſt? Nam ſi ſit per modum actus vitalis erit auxilium excitans, ſi ſit entitas de ſe permanens, erit habitus, ſi verò ſit motio, vel qualitas tranſiens erit eiuſdem rationis cum virtute illa inſtrumentaria, ac ſubinde ex vi ſuæ entitatis habebit omnia quæ auxilio efficaci, & prædeterminanti tribuuntur.

8. Inſtantia.

Dici adhuc poteſt auxilium quidem efficax eſſe vnam, & ſimplicem entitatem; tamen illam non habere totam ſuam efficacitatem ex ſe, & quaſi eſſentialiter, vel vt naturam proprietatem, ſed ſolum vt procedit ab efficaci voluntate Dei, qua vult hominis voluntatem talem actum efficere; & conſequēter vult vti illa entitate vt inſtrumento. Vnde ſi fieret à Deo entitas, & non ex illa voluntate efficaci; ſed ex præciſa voluntate faciendi talem entitatem; illa non haberet vim prædeterminandi, nec tantam efficacitatem. Sed hoc repugnat valde principiis illius doctrinæ. Sic enim deſtruuntur omnia, quę de præuio concurſu primæ cauſæ, & de motione intentionali illi auctores dicere ſolent vt lib. 3. vidimus. Nam ſi entitas illius auxilij non habet naturā ſuā intrinſecam illam efficaciam, & vim prædeterminandi, ſeu applicandi voluntatem, & cauſam ſecundam, ſed ſolum ex Dei voluntate ſine vlla reali additione, ſola voluntas efficax Dei volētis immediatè vti potentia, vel habitu, vel actu gratiæ excitantis vt inſtrumēto, ſufficiet, eritq; ſuperflua præuia motio, quaſi media, & inhærens potentię; & tūc incidemus in aliam opinionem, & quæſtionem tractandam duobus capitibus ſequentibus, vbi videbimus an ille modꝰ neceſſarius ſit, & an ſalua libertate locū habeat, ideoq; de hac vltima euaſione nihil amplius hic dicere neceſſe eſt. Solum adiungo etiamſi demus auxilium verè efficax compleri ex illa entitate cū virtute inſtrumentali addita, quidquid illa ſit, eandem relinqui difficultatem in ratione facta. Nam de facto præueniri dicitur voluntas per illam entitatem auxilij eleuatam, ſeu aſſumptam, vt inſtrumentū abſolutè voluntatis Dei; ergo illi vt ſic non poteſt reſiſtere voluntas in ſenſu compoſito, quia alias ſequentur contradictiones illatæ, cūm ſupponatur voluntas poſſe reſiſtere illi auxilio ſic completo, & tunc relinquitur idem argumentum quod talis neceſſitas compoſita tollat libertatem, quia tota illa ſuppoſitio integra eſt antecedens ſimpliciter omnem, vſum noſtræ libertatis.

Occurritur Inſtantiæ.

CAPVT XX.

Auxilium ſi ex ſe ſit efficax, ac phyſicè prædeterminans non poſſe à libero vſu ponere, ſed neceſſitatem antecedentem inducere.

VEnio ad alium principalem modum fugiendi vim principalis rationis. Nam aliqui ex dictis auctoribus coacti argumentis factis interdum retrocedunt, & conantur defendere ſuppoſitionem illam auxilij efficacis ſic explicati non eſſe antecedentem, quia pendet ex aliquo vſu libero humanæ voluntatis, quod ſatis eſt vt ſit ſuppoſitio conſequens, vt nos etiā docemus. Illa verò dependentia duobus item modis ab eis aſſerta eſt. Primus eſt, vt ille vſus liber ſit antecedens ad tale auxilium, nimirum circa aliquam diſpoſitionem præuiam ad illud, cuius intuitu, vel ratione cuius tale auxilium infallibiliter detur. Secundus modus eſt vt ille vſus libertatis ſit aliquo modo cooperans ipſummet auxilium. Priorem modum inculcat ſæpe Cabrera, & coguntur approbare qui dicunt hominem ſufficienter vocatum non carere auxilio, niſi culpa ſua, nam inde planè ſequitur pendere ex libertate eius cui datur. Nihilominus plures ex dictis auctoribus hunc dicendi modū reiiciunt, & meritò vt cap. precedenti vidimus, nam illa diſpoſitio libera eſt impoſsibilis in illa ſententia, & in plura incommoda incidit talis aſſertio, quæ ibi tractata ſunt.

Addo inſuper etiam illo modo non ſaluari propriam, & formalem libertatem ſupernaturalis conſenſus qua ipſe verè, & in ſe liber dicatur, & ſit, quòd nullo modo admitti poteſt, & ex Conc. Trid. & aliis teſtimoniis conſtat. Aſſumptū declaro primò, quia quod Deus ſolus in nobis facit ſuppoſita diſpoſitione libera non eſt liberum nobis formaliter, ſed tantùm per denominationem à tali diſpoſitione, ſicut actus exterior denominatur liber ab interiori, vt patet clarè in infuſione gratiæ habitualis, quæ hoc tantū modo poteſt libera denominari; ergo in preſenti licèt præcederet illa diſpoſitio libera infuſio auxilij prædeterminantis quod ſolus Deus facit, tantū erit libera per denominationē à tali diſpoſitione, quia poſito illo auxilio neceſſario ſine noua libertate ſequitur actus, vt oſtenſum eſt. Ergo talis actus non eſt liber niſi per denominationem ab illa præuia diſpoſitione. Ex quo vlterius ſequitur in noſtris actibus ſupernaturalibus nullum eſſe meritum præter illud quod in illa diſpoſitione præuia & libera cogitari poteſt. Ita enim in vniuerſum inuenitur in omni actione quæ ſolum eſt libera per denominationem extrinſecam à præcedenti actu libero, vt in ea nullum ſi proprium meritum præter illud quod in actu denominante inuenitur, vt in actu exteriori non eſt diſtinctū meritum ab illo quod eſt in interiori, à quo proximè imperatur, & in receptione gratiæ habitualis, & in ſimilibus idem ſeruatur, vt in materia de merito latius videbimus; ergo ſimili modo voluntas credendi quæ neceſſario ſit poſito auxilio efficaci non habet nouā laudem, nec proprium meritum præter illud quod in diſpoſitione libera ad tale auxilium inuenitur. Hoc verò nullus Theologorum admittet, & ideo illa ſententia merito ab omnibus explodenda eſt.

Secundus modus dicendi in hoc puncto eſt illam diſpoſitionem liberam non eſſe aliam ab ipſo conſenſu qui eſt effectus auxilij excitantis: nam eandem dicunt eſſe diſpoſitionem ad ipſummet auxilium.

ſium. Nam poteſt in genere cauſæ materialis illud antecedere, licèt in genere cauſæ efficientis ab illo ſequatur. Ita refert Cumel in dicto lib. 1. opuſcular. diſput. 4. ſect. 2. ſub tit. *Conferentia difficultatum*, & Lorca diſput. 21. de gratia in fine, & poteſt tribui Valentiæ tom. 2. d. 8. q. 3. puncto 4. §. 2. conc. 5. quamuis ibi loquatur de infuſione habitus quam ponit inter auxilia gratiæ efficacis. Non potuit autem id ſentire de auxilio prædeterminante, quod ibi latè & efficaciter impugnauerat. Cuiuſcumque tamen fuerit illa ſententia, falſa eſt ſine dubio, meritoq; à prioribus auctoribus impugnatur. Primo quia in vniuerſum impoſsibile eſt effectum factum à forma in genere cauſæ efficientis eſſe veram cauſam eiuſdem formæ in genere cauſę præparantis ſubiectum ad introductionem talis formæ: Quia intelligi non poteſt forma in aliquo genere realiter cauſare, niſi iam habeat eſſe reale, quod habere non poteſt, priuſquam fiat à ſua efficiente cauſa, ergo ante hanc efficientiam impoſsibile eſt præcedere aliquâ realem cauſalitatem eiuſdē formæ. Sed de hoc fuſius diſputabimus infra tractādo de iuſtificatione. Nunc addo etiamſi vera eſſet illa mutua cauſalitas inter formam efficientem, & diſpoſitionem eius nihilid referre ad ſaluandam libertatem ſuppoſitó modo efficiendi auxilij efficacis per phyſicam prædeterminationem. Nam argumentum factum probat efficientiam illam eſſe neceſſariam, & ſine vſu libertatis propter impotentiam reſiſtendi, & continendi influxum voluntatis: hæc autem impotentia, & neceſsitas eadem eſt, etiamſi conſenſus dicatur præcedere in genere cauſæ materialis. Nam hoc (iuxta illam ſententiam commune eſt diſpoſitionibus, & agentibus naturalibus, vt in forma, & calore ignis, & ſimilibus. Ergo ad ſummum erit conſenſus diſpoſitio phyſica ad tale auxilium, non verò diſpoſitio libera. Accedit ſpecialis repugnantia in principiis illius ſententiæ. Nam hoc auxilium ponitur tamquā prævius influxus primæ cauſæ à quo eſſentialiter pendet actio cauſæ ſecundæ, quis autē dicat, vel intelligat actionem cauſæ ſecundæ eſſe diſpoſitionem præparantem ipſam cauſam ſecundam ad recipiendum prævium influxum Dei ad eandem actionem? Item in illa ſententia impoſsibile eſt intelligere concurſum ſimultaneum Dei præcedere ad prævium reſpectu eiuſdem actus, ſed in eodem actu non poteſt actio cauſæ ſecundæ, vt eſt ab ipſa in illo genere cauſæ antecedere ſimultaneum concurſum Dei; ergo multominus poteſt antecedere ad concurſum prævium, ſeu auxilium efficax. Denique auxilium efficax ponitur in voluntate, vt det illi poſſe agere, & agere, ſed impoſsibile eſt intelligere actionē in potentia antequā agat, & multo impoſsibilius antequam poſsit agere, ergo impoſsibile eſt, vt actio propter quam datur auxilium efficax, ante illud præcedat in quolibet ſigno naturæ, aut genere cauſæ.

Impugnatur.

4. Tertius modus.

Tertius ergo dicendi modus eſt hanc ſuppoſitionem iſtius auxilij efficacis non eſſe antecedentem, quia ipſummet auxilium, ſeu prædeterminatio, quæ per illud fit, non eſt à ſolo Deo, ſed etiam à libero arbitrio cooperante, & efficiente ipſammet prædeterminationem ex propria deliberatione. Ita docet Ledeſma dicta quæſtione, art. 10. ad part. 1. & ad 7. vbi ait prævium auxilium non præſupponi ſimpliciter ad actum ſecundum, ſed eſſe initium ipſius actus, ita vt quando eſt tale auxilium prædeterminans, iam ſit ipſe actus in ſuo principio, & ad 8. ait ideo voluntatem non obſtante hac prędeterminatione liberè ſe determinare, quia taliter prædeterminatur à Deo quod ipſa concurrit ad ſuam prædeterminationem. Et in art. 8. ex profeſſo probat hanc prædeterminationem non fieri à ſolo Deo, ſed etiam à voluntate ſimul coefficiente illam, & in concluſione 3. id probat, quia ſi ſolus Deus efficeret prædeterminationem in actu primo, iam actus eliceretur à voluntate prædeterminata, & ſic non eſſet ſimpliciter liber, ſed neceſſarius, quia voluntas ſic determinata non poſſet non elicere actum ad quem prædeterminatur, & ſic actus ille elicitus non procederet ex libertate *voluntatis, quia in ipſa elicientia actus* (ſic loquitur) *prædeterminatione ſuppoſita non repetitur libertas, ſed potius neceſſitas.*

In quibus verbis & rationi noſtræ, & aſſertioni optimè conſentit, ſed planè diſſentit ab aliis eiuſdē ordinis auctoribus, qui tanquam dogma in ſua ſententia tradunt prædeterminationem phyſicā à ſolo Deo fieri in voluntate, imó & à ſe ipſo in multis aliis locis diſſentit. Nam vult hoc auxilium efficax eſſe eiuſdem modi cum concurſu generali prævio, qui eſt iuxta ſuam ſuorumque ſententiam immediatus influxus cauſæ primæ in ſecundam complens, iuuans, & applicans, & determinans eam ad agendū, ergo non eſt à cauſa ſecunda, quia nondum mota, & applicata nihil poteſt agere. Item in cauſis naturalibus quæ agunt actione tranſeunte, nullus ex illis auctoribus dixit influxum cauſæ primæ in ſecundam eſſe ab ipſa cauſa ſecunda, quia non poteſt calor, verbi gratia, agere in ſe ipſum. Neque id dici poteſt ſecundum ipſos in voluntate libera, quia nihil poteſt agere niſi prædeterminata; ergo prædeterminatio non poteſt eſſe ab ipſa, quia eſſet ab illa vt nondum determinata. Multo ergo minus poteſt id dici de auxilio efficaci gratiæ, ſi in tali prædeterminatione conſiſtit, tum quia minus poterit voluntas indeterminata in ordine ſupernaturali agere, tum etiam quia tale auxilium prærequiritur, vt det vires agendi voluntati, tum maximè, quia tale eſt hoc auxilium, vt detur voluntati independenter ab ipſius vſu libero, vt capite.... ex eorundem auctorum ſententia oſtendemus. 5.

Denique ſi Deus dando hoc auxilium non ſolus operetur iam illud non eſſet immediatus influxus in cauſam, ſed in operationē cauſæ, quia in illa prędeterminatio eſſet quædam operatio cauſæ, ſcilicet voluntatis, cùm ab illa fieri, & conſequenter elici dicatur. Sed in hoc puncto etiam habet notabilem doctrinam prædictus auctor in eodem art. 8. ad 2. dicit enim quod voluntas antequam intelligatur operari, formaliter, & expreſsè præintelligitur habere aliquam operationem interpretatiuam, & veluti virtualem, quæ reducitur ad ipſam operationē formalem. Per quæ verba ſignificat prędeterminationem conſiſtere in illa operatione actuali. Quam duobus exemplis declarat. Vnum eſt, quia voluntas dum amat vult amare non alia operatione formali, ſed interpretatiua. Aliud eſt, quia pura omiſſio eſt voluntaria interpretatiuè non formaliter. 6. Duo exēpla quibus declaratur præcedens doctrina.

Sed doctrina hæc mihi eſt noua, quia in nullo alio Theologo antiquo, vel moderno Thomiſta vel alterius Scholę illam legi, & ita fateor me nón intelligere quid ſit illa operatio interpretatiua in præſenti materia, vel quomodo per illā expediatur difficultas. Vnde interrogo an illa operatio interpretatiua ſit aliquid diſtinctum â voluntate, ſiue vt res omnino diſtincta, ſiue vt modꝰ realis nouus, & nihil reale ſit in voluntate. Si hoc poſterius dicatur, ſequitur auxilium efficax prædeterminans nihil eſſe in rerū natura diſtinctū à voluntate, nec per illud factā eſſe mutationē realē in volūtate, ſed eſſe ipſam voluntatem neſcio quo virtuali, aut morali modo à nobis conceptam, quod quam ſit abſurdum tam ſimpliciter quā in doctrina eiuſdē auctoris, & ſuorū per ſe eſt euidentiſsimū. Nam per illud auxilium dicitur voluntas recipere vires, & iuuari ad agendū, & applicari, & ſimilia quæ ſine aliqua realitate noua intelligi nō poſſunt. Si verò admittatur primū, neceſſarium eſt fateri illam rē, vel realem modum fieri per veram, 7. Quæ quidē doctrina noua eſt auctori. Quæ ſequā tur incommoda. Primum,

veram & formalem efficientiam, quia noua mutatio formalis, & realis non fit sine propria efficiente causa, & ita illud auxilium verè, & formaliter à Deo fit; ergo si fit concurrente voluntate, etiam ab ipsa efficienter fit, ergo est formalis actio; & operatio, & non tantùm interpretatiua. Accedit quod operatio interpretatiua dicitur esse libera non per modum omissionis, seu suppositionis concursus, sed per modum positiuæ operationis: positiuus autem vsus libertatis intelligi non potest sine vera efficientia, vt in prolegom. 1. probatum est.

8. Aliud incommodū.

Ex quo sequitur aliud incommodum, & alia contradictio, nimirum quod auxilium efficax non reducatur, vt sæpe ipsi asserunt in solam Dei voluntatem, sed etiam in hominis libertatem; quandoquidem liberè cooperari dicitur illi prædeterminationi. Alia præterea cōtradictio est, quod illa operatio interpretatiua, vel quomodocumque nominetur, erit à voluntate indifferente, & nondum determinata: cur enim non idem dici poterit de operatione vera, & formali, vel si hoc repugnat, vt ille auctor toties repetit, cur non illud? præsertim cùm illa operatio interpretatiua, vel nihil sit, vel non possit non esse aliqua vera, & determinata efficientia proficiscens à principio actiuo indifferente. Tandē illa operatio interpretatiua necesse est in re ipsa distingui ab operatione formali, quia realiter influit in illam influxu distincto, & simultaneo, & est aliquid supernaturale; ergo non potest esse in voluntate, nisi per supernaturalem actionem, vel tanquā supernaturalis actio; erit vera, & formalis operatiō supernāturalis, & ita quoties homo cōsentit gratiæ vocanti, efficit duas liberas voluntatis operationes vel actiones supernaturales, quod nemo hactenus dixit, neq; verisimile est, quia nihil cogitari potest per secundam illam actionem, quod per vnam non sufficienti sīmè fiat, vt per se constat, & in exemplis in contrarium adductis declarabitur.

9. Respōdetur ad primum exemplum de volūtate amante, & volente amare, &c.

Vnde ad primum exemplum de voluntate amante, & volente amare respondemus contrarium illo exemplo manifestari, nam cùm homo voluntariè amat, vel odit, non alio actu formali, vel interpretatiuo, vult amare. Sed ipsomet actu quo amat directè obiectum amat intimè, & quasi reflexè actum ipsum. Neq; necessarium est prius natura aliquem velle amare, quàm amet, aut voluntatem amandi esse aliquid in voluntate distinctum ab ipso amore, & realiter influens, vel efficiens ipsum formalem amorem, sed vnico impetu voluntas amat obiectū, & illemet amor se ipso est voluntarius, & amatus. Aliàs oportet in infinitum procedere, quia quilibet amor voluntatis est voluntarius, & amatus, & ita in nullo potest melius fisti quā in ipso primo amore quo incipit obiectum amari. Quia sicut illo actu amatur obiectum, ita ratione obiecti ij, se etiā amor amatur, vnde neq; prius amatur amor quam obiectum. Nec obiectum potest amari, quin amor ipse ametur. Sic ergo quando voluntas liberè determinatur ad volendum, vel amandum, libera determinatio non est aliquid prævium ad ipsam actionem amandi, sed quia ipsa actio amandi se ipsa voluntaria est per se ipsam est formalis determinatio volūtatis in actu secundo, antequam non antecedit alia determinatio in actu primo, vt ostendi, neq; est necessaria alia præuia determinatio in actu secundo, quia aliàs procederetur in infinitū, & quia per ipsam voluntariam actionem sufficientissimè fit talis determinatio, vt etiam l. 3. c.... declaraui, & ita illa determinatio non est virtualis actio, sed formalis non distincta ab ipsamet actione consentiendi aut amandi. Sed ipsamet per se ipsam voluntaria est, & quandam reflexionem virtualē includit. Vnde immerito vocatur prędeterminatio respectu eiusdem voluntatis cùm nullo modo antecedat tempore, pore, vel natura determinationem eius, vt iam etiam aduerti.

Aliud verò exemplum non est ad rem, quia omissio pura nulla actio est nec formalis, nec virtualis, sed est suspensio actionis quæ nihil reale addit voluntati quod ab ipsa rarefiat. Dicitur autem virtualiter seu interpretatiue voluntaria, quia contrarius actus est in potestate libera voluntatis, & cùm sufficienti aduertentia non exit in actum, & ideo moraliter ac interpretatiuè censetur acsi directè vellet operari, & ideo dicitur virtualis quædam volitio, nō per aliquem modū actionis quæ in re ipsa inueniatur, sed per quandam imputationem moralem, & quasi æquiualentem æstimationem. In præsenti autem si prædeterminatio illa interpretatiua intercederet, oporteret esse aliquid positiuū & reale, vt declaraui, quia effectus eius non esset carentia actus licut in omisione, sed esset positiua determinatio potentię de se indifferentis: nam cum hæc indifferentia in quadam negatione consistat, non potest determinari nisi per aliquid positiuum additum potentiæ. Quod si illa operatio libera interpretatiua negatiuè explicetur, non poterit esse nisi carentia contrariæ determinationis; & ita incidimus in opinionem ab eodem auctore nobiscum impugnatam de præuia dispositione negatiua, quæ neque potest esse supernaturalis, nec libera, quia iuxta illam sententiam, prius natura quā voluntas se determinet, si à Deo non incipit prædeterminari non liberè sed naturaliter caret vtraq; determinatione & est capax illius, & ita ex parte illius non potest sumi ratio ob quam magis ad vnam quam ad alteram partem prædeterminetur vt capite... latè declaratum est. Relinquitur ergo vt talis prædeterminatio sit à solo Deo, & simpliciter necessaria voluntati, quando illi imprimitur, & consequenter vt actio, quæ ab illa necessario fluit, sit simpliciter necessaria, & non libera. Atque hæc sententia iterum inculcabitur, & impugnabitur in sequenti puncto.

CAPVT XXI.

Vis superioris discursus alio modo manifestatur, & argumentis satisfit.

VLtimò possumus efficaciam dicti fundamenti declarare, quia voluntas potest necessitari à Deo per impressionem alicuius motionis, impulsus vel præuiæ entitatis sibi inditæ quocunque nomine appellerur, sed non potest vehementius necessitari quam per illum modum prædeterminationis, ergo illa prædeterminatio est vera necessitas contraria libertati. Maior probata à nobis est in prolegom. 1. vbi ostendimus esse communem. Minor probatur ex æquiparatione, quia nihil cogitari aut explicari potest in quo excedat illa necessitas ab hac prædeterminatione.

Solent nihilominus isti auctores distinguere duplicem modum prædeterminationis, vnam dicut esse cùm modo necessitatis, aliam non ex necessitate, sed secundum modum naturæ voluntatis, & ideo liberè. Ita Ledesma art. 10. ad 1. & ad 8. vbi addit etiamsi per habitum ità determinaretur voluntas quoad exercitium actus, sicut nunc dicitur determinari per motionem auxilij non fore necessitandam, quia determinatio non esset naturalis, sed secundum modum suum. Eadem distinctione vtitur F. Cumel in opusc. lib. 1. disp. 5. post secundam conclusionem §. *videntes hoc authores*, &c. Item Aluar. dis. 22. num. 11. colligitque distinctionem ex D. Thoma 1. 2. quæst. 10. art. 4. vbi D. Thomas ait, ita

ita Deum mouere voluntatem vt non ex necessitate illam determinet. Sed hunc locum in lib. 3. late tractat. Allegat etiam eundem Doctorem sanctum 1.p.q.23.art. 1.q.5. de verit.art.5.& 3.contra gent.cap.90. in primis, quia in his locis tractando locum Damasceni dicentis Deum non prædefinire actus liberos, illum exponit de præfinitione necessitante, indicans esse aliam non necessitantem. Quæ distinctio ex mente Damasceni, & D. Thomæ possit facile intelligi de præfinitione interna Dei, & externa prædeterminatione. Nam prior non mutat voluntatem hominis, & ideo de illa rectè dicitur non necessitare voluntatem, quia per se & immediatè non agit in illam, vt infrà explicabo, & de prædeterminatione ad extra non contendimus necessitare voluntatem & ideo negasse illam Damascenum, & de illa intelligendam D. Thomæ interpretationem.

Omissis tamen nunc testimoniis de quibus postea, petimus ab his Patribus in quo duo isti modi differant, vt in vno dicatur necessitari voluntas, & non in alio. In quo varia dicta esse inuenio ab eisdem auctoribus, quæ proponam, vt lector iudicet an vel inter se consonent, vel satis intelligantur. Primò ergo voluntas dicitur determinari secundum modum suum, quia prædeterminatur mota per iudicium rationis ex se indifferens, qui modus motionis est maximè naturalis eidem voluntati. Vnde differentia erit, quod quando prædeterminatur cum modo necessitate, non mouetur per iudicium indifferens, ita videtur exponere Cumel supra. Vnde sequitur secunda differentia, quia cùm voluntas prædeterminatur secundum modum suum, non prædeterminatur physicè ab obiecto, nec ab interno impetu, sed tantum ab intrinseco, quando vero prædeterminatur cum modo necessitatis, prædeterminatur ab obiecto, vel ab interno, & connaturali impetu, quod est contrarium libertati. Ex quo constat tertium discrimen; nam quando voluntas determinatur ab intrinseco stante perfecto & indifferenti iudicio, actus est perfectè voluntarius, & rationalis sine interna determinatione, & ideo est liber, quando verò determinatio est alio modo; aut actus voluntatis non est plenè rationalis nec perfectè voluntarius, quia per surreptionem quandam & imperfectam ac indeliberatam cognitionem mouetur, & consequenter cum interna necessitate. Vel si cognitio, & iudicium est perfectum, & inde voluntas spontaneè, & voluntariè fertur, obiectum tale est, vt ab interno impetu voluntas necessario in illud feratur ac subinde ex necessitate.

Hæc verò tollunt suppositionem, quam in argumento fecimus, & in prologom. 1. probauimus, nimirùm stante perfecto iudicio rationis cum indifferentia obiecti plenè cognita posse voluntatem extrinsecus necessitari per diuinam motionem. Et qui attentè considerauerit, intelliget secundum illum modum planè concedi illam prædeterminationem ad vnum quoad exercitium actus esse quàdam necessitatem ab intrinseco immissam voluntati, solum additur illam non excludere libertatem ab actu, vel quia manet idem iudicium de se sufficiens ad actum liberum, vel quia voluntas ibi operatur non ex se determinata, sed vt determinata ab alio. Et ita assignatur differentia inter illos duos modos prædeterminandi ab extrinseco voluntatem cum necessitate, vel sine illa stante eodem iudicio rationis, sed absolutè negatur modus prædeterminandi cum necessitate. Cuius oppositum in loco citato ostendimus esse magis consentaneum diuinæ potentiæ, & communi sententiæ Theologorum. Et certè si D. Thomas in locis quæ proximè allegabantur, duos modos prædeterminandi voluntatem insinuat cum necessitate, & sine illa, in illis apertè loquitur de motione, voluntatis, quæ sit, vel fieri potest à Deo in hac vita stante perfecto iudicio rationis.

Accedit satis esse in dicto prologom. 1. ostensum indifferentiam indicij non sufficere ad libertatem formalem actus, quia non sufficit ad potestatem agendi, & non agendi. Et quia indifferentia iudicij non est indifferentia hominis operantis, sed est potius indifferentia quædam ipsius obiecti, vt sic dicam, nam cognoscitur, vt habens aliquam rationem boni admistam alicui rationi mali, vel cum in perfectione aliqua ratione cuius magis, vel minus potest allicere voluntatem, & de se non valet eam ad exercitium determinare, quia in opposito actu, vel in carentia illius aliqua ratio bonitatis, seu vtilitatis cogitari potest. Hæc autem indifferentia obiecti formaliter non est indifferentia voluntatis operantis, vel actionis eius, sed solum conducit, vt obiectum ex se non moueat cum necessitate voluntatem. Hoc autem non sufficit, vt actus voluntatis sit formaliter liber, quia libertatem formalem habet ex habitudine ad ipsam potentiam operantem exparte sua cum dominio actionis suæ iuxta exigentiã talis obiecti. At verò hoc dominiũ potest Deus auferre, & facere, vt sine illo voluntas feratur in tale obiectum vltra merita eius, vt sic dicam, ergo potest facere, vt stante iudicio rationis voluntas non liberè, sed ex necessitate determinetur. Hoc ergo posito non subsistent differentiæ prædictæ, quia in vtroque casu supponitur voluntas determinata cum pleno iudicio rationis, & in neutro determinatur ab obiecto nec ab interno impetu, in vtroque actus est æquè voluntarius, & spontaneus, quia necest ex indeliberatione rationis, nec ex propositione obiecti sub ratione necessarij boni, vt supponimus, ergo nullum est discrimen.

5.

Est ergo alia responsio quam ex Ioanne Vincent. refert Ledesma in dicto articulo decimo ad 1. supposito eodem indifferenti iudicio dupliciter posse determinari voluntatem ad talem actum. Primo quasi totaliter ex vi solius impulsus causæ superioris, ita vt voluntas nulla ratione se moueat ex vi propriæ deliberationis, & electionis, sed totaliter moueatur à causa ipsam determinante, & applicante, secundò potest ita prædeterminari à causa superiori, vt simul ipsa se ipsam prædeterminet ex vi propriæ deliberationis, & electionis subordinatæ ad determinationem superioris causæ. Prior ex his modis dicitur esse cum modo necessitatis, & repugnare libertati, quia non est secundum modum voluntatis, qui est per propriam deliberationem, & electionem moueri. Secundus autem modus est secundum naturam voluntatis liberę, & ideo non repugnat libertati; & per hanc distinctionem ait Ledesma solui argumentum euidenter, quæ in eo dicuntur probabilia, & quia voluntas cum ex se sit indifferens non potest operari nisi prædeterminata secundum modum suæ naturæ, ideo talis prædeterminatio non repugnat libertati siue ab ipsa voluntate fiat siue à Deo, & ita concludit argumentum in omni sententia habere eandem difficultatem.

6. Alia responsio supposito indifferenti iudicio dupliciter posse determinari voluntatem ad actum.

Verumtamen distinctio illa non potest in præsenti accommodari, & suspicor F. Ioannem Vincent. non de hoc genere determinationis quam nunc tractamus illam adhibuisse, sed de alia tractanda in capite... vt ibi declarabo; scripta enim illius auctoris videre non potui. Itaque præ oculis habenda est distinctio de duplici determinatione voluntatis in actu primo, vel in actu secundo, nam hic non tractamus de determinatione in actu secundo, sed in actu primo, quia si determinatio aliqua sit per auxilium efficax præuiũ quod & ab actione voluntatis

7. Distinctio illa non cadit in præsenti.

Duplex determinatio voluntatis, n

actu primo, vel in actu secúdo, præ oculis habenda.

tis realiter distinctum sit, & in suo genere physicum principium eius, illa non potest esse determinatio in actu secundo, sed in actu primo, vt sæpe ostensum est, & ex ipsis terminis patet, quia antecedit actionem causæ secundæ, & est actus eius non ergo secundus sed primus. Item quia determinatio in actu secundo fit à voluntate effectiuè simul cum Deo, hæc vero determinatio quæ fit per hoc auxilium effectiuè fit à solo Deo, quia infundit, & potest infundere tale auxilium, formaliter autem fit ab entitate talis auxilij inhærente voluntati, ergo est determinatio in actu primo, & non in secundo.

8. Quod autem illi non possit applicari distinctio prior, probatur, quia talis determinatio non semper fit totaliter à causa extrinseca scilicet Deo, quia fit sine concursu effectiuo alterius causæ, materialis autem concursus ex parte voluntatis, in omni etiam determinatione inuenitur; item illo modo semper determinatur voluntas per solum impulsum causæ superioris quia etiam in secundo modo quando dicitur voluntas determinari secundum modum suum, si id intelligatur de determinatione in actu primo vt loquimur, tantum fit per auxilium efficax, quod est quasi impulsus à solo Deo impressus. Vnde loquendo de eadem determinatione falsum est quod in secundo membro dicitur voluntatem ita determinari à causa superiori, vt simul determinet se ipsam; quia ipsa non facit illam determinationem, ergo per illam non determinat se. Multo magis falsum est quod faciat vel recipiat illam ex vi propriæ deliberationis, & electionis, quia deliberatio, & electio non est sine vsu libertatis, sed voluntas recipit illam determinationem ante omnem vsum libertatis vt capite... ostensum est, ergo recipit illam sine vllâ deliberatione, vel electione, quoad hanc ergo partem nulla est differentia.

9. Et hinc fit nullum etiam discrimen esse posse in libertate, vel necessitate actionis, quæ à tali determinatione procedit. Primò quia non magis determinatur voluntas secundum modum suum quoad actum primum in secundo membro quam in primo; Quia in vtroque membro ex parte intellectus idem modus seruatur, quia idem iudicium de se indifferens præcedit vt supponitur. Ex parte autem voluntatis non fit illa determinatio in actu primo cum maiori efficientia, deliberatione, aut electione voluntatis in secundo membro quam in primo vt probatum est. Nihil ergo reperitur in secundo membro cur illa determinatio dicatur magis esse in secundo modo voluntatis quam in primo, ergo ex hac parte actus non est magis liber in vno membro quam in alio, neque reuera esse potest, quia illa membra verbis tantum non re ipsa distinguuntur, quoad hanc determinationem in actu primo. Probatur secundo neque in emanatione actionis seu deliberationis in actu secundo à tali actu primo vllum posse assignari discrimen. Quia in vtroque membro actio illa seu determinatio in actu secundo non est à solo Deo, sed fit ab ipsa voluntate, est enim actio vitalis, ergo quoad hanc partem, etiam cùm voluntas necessitatur à Deo, determinatio non fit à solo impulsu Dei totaliter, si per hoc excludatur coefficientia ipsius voluntatis. Quod si hæc non excludatur non est differentia inter primum, & secundum membrum quoad hanc partem. Deinde in tali efficientia non est maior deliberatio, vel electio in vno membro quàm in alio, quia vtraque efficientia est æquè voluntaria, & spontanea, & vtraque ex vi præcedentis determinationis in actu primo trahentis voluntatem ad cooperandum secum determinationem in actu secundo si ita meretur appellari, & in vtroque etiam casu illa determinatio est cum quadam necessitate, cui voluntas non potest resistere, quæ non est magis absoluta in vno casu quam in alio, quia in vtroque est ex suppositione motionis, & in vtroque est æquè ineuitabilis per resistentiam voluntatis, quia in posteriori membro tam ineuitabilis dicitur esse consecutio actionis vt implicet contradictionem non sequi. Quę ergo maior ineuitabilitas in priori membro quàm in secundo. 10.

Quod si de determinatione in actu secundo fit sermo, nulla est ratio ob quam in posteriori membro dicatur esse cum deliberatione, & electione voluntatis, magis quam in priori, quia non fit cum maiori potestate non operandi seu volendi, quia in sensu composito in neutro casu dicitur esse potestas, in sensu autem diuiso in vtroque eadem potestas voluntatis sub tali prædeterminatione manet. Ergo nulla maior electio, seu deliberatio in altero membro quam in alio intercedit. Sicut ergo verisimile dicitur in priori casu actionem voluntatis non fieri ex deliberatione, vel electione sua, quia non agit vt indifferens, sed vt determinata, nec electio habet locum vbi altera pars ineuitabilis est, ita prorsus dicendum est in posteriori membro. Atque ita si ex aliqua determinatione voluntatis in actu primo sequitur actio ita necessaria, vt non sit verè libera, similis profectò sequitur ex hoc auxilio prædeterminante. 11.

Non est ergo euidens hæc responsio nec procedit ex probabilibus, quæ possint ad soluendum argumentum adaptari. Nam discursus factus videtur demonstratiuè ostendere quod nec inter prædeterminationem in actu primo, nec inter actiones emanantes ab vtroque actu primò inuenitur differentia. Imò hinc directè roboratur argumentum, quia ideo aliquando necessitatur voluntas per similem præuiam motionem, quia iam non operatur vt indifferens, sed prædeterminata ad vnum, & quia illud compositum ex voluntate, & præuia motione, quod est proximum, & adæquatum principium talis actionis naturaliter agit, & non liberè, & ab illo habet actio quod necessaria, vel libera sit, & ob eandem rationem voluntas sic agens prædeterminata in actu primo non potest propriè dici determinare se neque ignis cùm calefacit, quia verbum determinandi se, dicit habitudinem ad causam in actu primo indifferentem. Denique non video quo colore dicatur hanc difficultatem æquè vrgere in omni sententia, cum nos nullo modo admittamus voluntatem cum liberè operatur, operari prædeterminatam physicè ac simpliciter, falsumque esse censemus quod supponitur ibi, voluntatem indigere prædeterminatione in actu primo à se vel ab alio vt liberè operetur. nam si est prædeterminatio in actu primo, illa semper est ab alio & repugnat libertati, & sine illa potest voluntas cum concursu vel auxilio Dei concomitante se determinare, etiamsi prius natura sit omnino indifferens vt in lib. 3. cap... ostendimus. Si vero sit determinatio in actu secundo, illa non est aliud quam ipsa actio volendi, quia voluntas non potest velle quin determinetur sed illa determinatio non est prædeterminatio, nec suppositio antecedens, sed est ipsa formalis determinatio quæ liberè fit à voluntate, & ideo est supposito consequens includens vsum libertatis, & illo supposito inducens necessitatem secundum quid, & longè dissimilem ab illa quæ esse potest à diuina motione prædeterminante. 12.

Atque ex his tandem refelluntur facile qui putant saluari libertatem nostram non obstante tota necessitate, quæ per tale auxilium efficax voluntati hominis fieret per hoc solum quod tota illa impressio prouenit à voluntate Dei libera quæ inde indifferens est, & intimè adest voluntati nostræ, & mo-

&mouendo illam perficit illam suæq; libertatis ac indifferentiæ participem facit. Ita loquuntur interdum aliqui ex dictis auctoribus, & certè Ledesma qui saluare nititur libertatem quoad specificationem & potestatem agendi in eo qui caret hoc auxilio per solam intimam assistentiã voluntatis & potentiæ diuinæ in nostra voluntate vt cap.... retuli, facilè etiam in præsenti dicet indifferentiam voluntatis diuinæ intimè mouentis, & gubernantis voluntatem nostram sufficere vt consensus noster liber sit, etiamsi ex duplici necessitate nobis immissa procedat, nimirum ex necessaria receptione auxilij prædeterminantis, & ex necessaria dimanatione ab auxilio, & voluntate illo affecta. Atque in terminis quidam ex his Patribus refert hanc euasionem ex alio Thomista, quem non nominat. Ait enim illum prius asseruisse non obstante prædeterminatione voluntatem hominis retinere indifferentiam, postea vero id explicando & tacite retractando dixisse prædeterminationem procedere ex indifferentia, quæ splendet in voluntate diuina, & ideo licèt præmotio sit determinata ad vnum dici indifferentem, & indifferentem relinquere voluntatem.

11. Præcedes requisitum modus libertatem Dei saluat.

At profectò (vt iste auctor rectè dixit) hic respondendi modus libertatem Dei saluat non nostrã. Quid enim ad nostram libertatẽ referret quod in diuina voluntate splendeat indifferentia, nisi nobis participationem illius indifferentiæ communicasset. Certè illo modo etiam actio ignis & lapidis descendentis esset libera igni, & lapidi, quia etiam in illa splendet indifferentia diuinæ voluntatis, quæ posset illam impedire, & concursum ad illam suspendere. Indifferentia ergo Dei facit vt actio sit ipsi libera non causæ secundæ, nisi ipsa indifferens sit, & in illa indifferentia conseruetur, & permaneat in eo instanti prius natura quam operatur, ita vt actio, vt est ab illa proximè completa ad operandum respiciat illam vt indifferentem, & inde illi libera denominetur. Confirmatur primo, quia alias etiam ipsa infusio efficacis auxilij, imo & sufficientis ac præuenientis dici posset libera voluntati quia procedit ab indifferentia diuinæ voluntatis, quę in illa resplendet, & omnino gratis & liberè talem motionem præbet. Consequens autem absurdum est, & contra omnium doctrinam, vt constat, ergo indifferentia diuinæ voluntatis non sufficit vt actio voluntatis humanæ libera sit.

14. Retorquetur argumentum.

Præterea argumentum sumptum ex libertate quoad specificationem efficaciter retorquetur ex dictis capite... Nam potentia Dei quantumuis sit intima nobis, nisi intelligatur esse parata per voluntatem Dei ad nos iuuandum, non reddit nos potentes. Vnde si absolutè & sine respectu ad vsum nostræ libertatis decreuit non dare alicui auxilium necessarium ad aliquem actum, simpliciter fit illi impossibilis talis actus, ergo similiter in præsenti à contrario si Deus non obstante sua indifferentia decreuit dare tale auxilium prædeterminans, & non suspendere illud, licet posset simpliciter, fit nobis impossibilis suspensio talis Actus, & consequenter fit ipse actus simpliciter necessarius quoad exercitium respectu hominis etiamsi sit liber respectu Dei. Ac tandem inde sumitur optimum argumentum, quia suppositæ necessitate prædeterminantis auxilij, impossibilis est pura, & libera omissio talis actus, quia si actus non fit, præcedit carentia, vel ablatio prædeterminationis, quæ & necessaria nobis est, cum auxilium non pendeat ex libertate nostra, & illa suppositæ non liberè sed necessario sequitur carentia actus. Ergo eadem proportione è conuerso suppositæ immissione talis auxilij ex sola voluntate Dei in se quidem indifferente ex se tamen se determinante absoluto decreto ad infundendum illud auxilium non relinquitur homini indifferentia in agendo cum tali auxilio recepto, est enim eadem ratio. Manet ergo solidum fundamentum assertionis, propter quod illam omnino veram, & fidei principiis consentaneam censemus.

Nec obstant in principio obiecta. Ad primum enim respondetur necessitatem sensus compositi quando in suppositione non includitur aliquo modo vsus libertatis vel habitudo ad illum, esse necessitatem simpliciter, & repugnantem libertati vt satis probatum est. Ad secundum fatemur ad omnipotentiam Dei pertinere vt possit mouere voluntatem efficaciter, & suauiter vt infallibiliter, & liberè, sed non illo modo, quia in illo inuoluitur contradictio quis autem possit esse alius modus postea explicabimus pro vt videbitur probabilius. Fatemur enim non posse nos assequi omnes modos omnipotentiæ Dei possibiles, nihilominus tamen scimus illum non esse possibilem in quo contradictio inuoluitur. Credimus etiã Deum ita mouere per gratiam vt vsum libertatis non auferat & ideo modum illum non admittimus. Ad tertium de actionibus prædefinitis à Deo admittimus eas sæpe prædefiniri, & inde infallibiliter sequi vt sic futurus actus prædefinitus non tamen media prædeterminatione physica, sed media vocatione congrua vt infra dicemus. Et ideo suppositio illa non est omnino antecedens nam habet quendam respectum ad cooperationem liberam voluntatis per illam intentam, & ideo non est simile.

15. Respõdetur ad primum argumentũ. Ad secundũ respõdetur.

Et per hoc respondendum est ad alia exempla, nam voluntas Christi ex vi vnionis habet necessario coniunctum diuinum regimen suæ voluntatis creatæ per quod ita dirigitur vt infallibiliter semper velit quod bonum & melius est etiam si nõ prædeterminetur, vt in propria materia latius tractatum est. Similiter voluntas Pauli absque determinatione efficaciter vocata est vt etiam Augustinus & Chrysostomus, & Anselmus infra citandi explicarunt. Idem est de confirmatis in gratia, nam licet aliqui non dubitent concedere illos necessitari ad non peccandum, quia hæc tantum est necessitas quoad specificationem, non est tamen id admittendum quia restringendo casum præcepti affirmatiui hic, & nunc obligantis, incideremus in necessitatem quoad exercitium. Neutra ergo ponenda est in his confirmatis ordinariè loquendo, nam per vocationes congruas sufficientissimè possunt liberè sed infallibiliter in bono confirmari, vt latiùs in sequentibus dicturi sumus.

16. Respondetur ad exempla.

Solum superest addendum vnum verbum propter eos qui vt tueruent fundamentum adductum dicunt illud fuisse fundamentum erroris Pelagij, sæpiusque ab Augustino, & aliis Patribus fuisse solutum. Nos vero dicimus si fundamentum dicitur principium aliquod ex quo formatur ratio, & assertio colligitur, sic sæpe contingere, vt ex eodem principio catholico hæreticus & catholicus argumententur, & hæreticus male colligat; catholicus autem bene. Sic ergo ex libertate arbitrij argumentabatur Pelagius, & nos etiam argumentamur, sed ex illo principio inferebat absolute, & in vniuersum gratiam Dei non esse necessariam ad opera libera, quæ pessima consecutio est, & nullum habens fundamentum quo nitatur, quia opus liberum bene potest ab alio excitari, & adiuuari, & ideo necessitas gratiæ excitantis, & adiuuantis nullam habet repugnantiam cum libertate. Nos vero ex libertate arbitrij in vsu operum gratiæ colligimus non esse necessariam nec possibilem prædeterminationem physicam,

quod longe diuersum est, & consecutio illa habet maximum fundamentum tum in natura liberi arbitrij, & repugnantia inter indifferentiam, & prædeterminationem, & inter liberum vsum, & necessitatem antecedentem. Et ita hæc nostra consequentia habet magnum fundamentum in Patribus, & in Conciliis, vt præter dicta pluribus in sequentibus ostendetur, illatio vero Pelagianorum ab omnibus Patribus impugnatur.

18. Difficultas. Soluitur. Dices, etiam Pelagius ex arbitrij libertate colligere volebat non dari auxilium efficax quod etiam nos colligimus. Respondemus in primis priorem partem non satis constare: nam Concilia Miletuitanum, Arausicanum, & Tridentinum sufficientem tradunt doctrinam contra Pelagium, & non definiunt aliquid de gratia efficaci, sed de necessitate gratiæ præuenientis, præmouentis, excitantis, & adiuuantis. Et Cœlestinus Papa in Epist. 1. à cap. 4. vsq; ad 12. doctrinam necessariam contra Pelagianos, & Semipelagianos tradit, & in eis solum ostenditur dicta gratiæ necessitas, & in cap. 8. solum dicitur ita de diuina gratia esse sentiendum, *vt nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius non dubitemus valere auxilium.* Et in cap. 12. concludit Deum esse auctorem bonorum omnium operum, quia illa sua gratia præuenit, & illorum initium in nobis operatur, *agitque vt quod ipse vult nos velimus, & agamus.* In quibus omnibus nihil de efficaci gratia sub propriis terminis tradit, quod sane fecisset, si Pelagius eam suo argumento impugnasset. Sed esto pars illa vera sit, & in hoc etiam errauit Pelagius. Falsa profecto est altera pars, quia nos ex illo principio non impugnamus absolute gratiam efficacem, sed gratiam ex se prædeterminantem physicè, ac subinde refellimus talem modum gratiæ efficacis de quo nec fuit controuersia cum Pelagio, nec Augustinus vnquam loquutus est, vt infra ostendemus.

Caput XXII.

Vtrum concursus Dei simultaneus ex se prædeterminet voluntatem ad consensum.

1. Duo modi prædeterminandi physicè voluntatem. DVos modos prædeterminandi physicè voluntatem supra distinximus, vnus est prædeterminando prius natura in actu primo voluntatem peraliquam entitatem ab ipsa, & ab actu secundo illius distinctam, vt ipsa sic prædeterminata actum eliciat. Alter est immediate prædeterminando ipsam ad ipsum actum secundum sine entitate præuia, sed immediate per diuinam voluntatem, ita efficiendo in voluntate, & cum illa actum ipsius, vt in ipsamet efficientia humana voluntas à diuina prædeterminetur. Priorem modum impugnauimus in præcedentibus capitibus, in hoc, & sequentibus posteriorem expendemus, & prius de necessitate; postea de possibilitate huius prædeterminationis dicemus. Duobus autem modis intelligi potest prædeterminatio hæc per influxum immediatum in ipsum actum secundum scilicet quod ipse concursus Dei ex se, & quasi absolutè spectatus habeat hanc vim prædeterminandi voluntatem, vel saltem, vt illam habeat per respectum ad voluntatem diuinam à qua procedit. Et licet auctores ponentes prædeterminationem in ipso actu indistinctè loquantur, nos vt vis rationum magis appareat, de priori modo dicemus in hoc capite, & de altero in sequenti.

Quod ergo hæc prædeterminatio fiat per ipsam actionem consensus voluntatis, vt est à Deo, sentit in primis F. Cumel in vltima huius puncti examinatione, quam in lib. 1. opusculor. reliquit copiosam in disp. 4. sectione 3. conclusione 4. vbi sic inquit. *Ita affirmatur à nobis efficacia diuini auxilij esse ex Deo non ex nostra cooperatione, vt non dicamus Deum prædeterminare nos ad extra se solo aliqua actione prius in nobis posita, seu aliqua actione prædeterminante prius in nobis recepta, in qua mere passiue se habeat omnino liberum arbitrium*, & infrà addit rationem, *quia alias voluntas non se libere determinaret.* Vnde (inquit) *eadem determinatio conuersionis est à Deo, & ab homine, sed à Deo prius ordine naturæ, quæ est prior in causando, & mouendo liberum arbitrium hominis*, &c. Et ibidem negat esse ibi duas actiones, sed vnam tantum Dei, & hominis, quæ prius natura est à Deo. Et in conclusione 5. expressius dicit, *eandem esse actionem qua voluntas se determinat ad conuersionem, & conuertur, & eadem actione determinatiua, & determinante qua à libero arbitrio elicitur cum gratia Dei, Deus determinat idem arbitrium.* Et quod mirabilius est, statim subdit, *neque hæc actio qua voluntas actualiter, & formaliter determinatur, & se determinat, est respectu eius voluntatis effectus posterior natura quam sit effectus Dei, sed simul est effectus voluntatis humanæ, & ipsius Dei.* Idem repetit disp. 5. dum refert quintam sententiam dicens, *non esse putandum Deum ita se gerere, vt nobis nihil agentibus ipse producat suam actionem in nos, qua efficienter nos determinet, & iam prius voluntate determinata ipsa procedat ad opus, quia hoc manifestam dicit implicationem cum libertate, & in discursu huius sectionis*, quæ prolixissima est, hoc sæpe inculcat. 5. Cumel. 6. Cabrera.

Quia verò de nobis conqueritur quod eius sententiam nostro modo, & non sicut ab eo traditur, & explicatur referimus (quod sanè à nostra saltè intentione alienum est) non audemus hanc sententiam illi tribuere. Nam profectò eisdem locis multa docet, quæ apertè videntur contraria his quæ mox recitauimus. Dicit enim sæpe auxilium efficax dari voluntati tanquam principium agendi consensum supernaturalem, & ad constituendum vel complendum illam in actu primo, vt de illi virtutem agendi in illo ordine. Ita habet in disp. 4. sect. 2. concluſ. 3. & concluſ. 5. §. *Sed pro intelligentia* & disp. 5 sect. 1. concluſ. per totam, maximè verò in repetitione eiusdem tertiæ conclusionis §. *quocirca*, & §. *quod vero* ex professo impugnat dicentes hoc auxilium in re non esse nisi ipsammet actionem, & operationē voluntatis, *quia licet actio voluntatis sit vna, & indistincta à Deo, & ab ipsa; dicit tamen habitudinem ad illud auxilium Dei, à quo procedit tanquam à suo principio*; ergo necesse est, vt si dicat auxilium efficax prius infundi à Deo solo sine concursu actiuo voluntatis, cuius oppositum dicit in prioribus locis, verum est in illis non loqui sub nomine auxilij efficacis, sed sub nomine determinationis.

Vnde videtur sentire, quod licet auxilium efficax præinfundatur à solo Deo, illud non est determinatio formalis voluntatis, sed solum motio fortis, & suauis, quæ in eodem temporis instanti cum voluntate efficit liberum consensum, quem dicit esse determinationem formalem, & ideo negat in prioribus locis voluntatem determinari à solo Deo, sed simul à se ipsa, & ita videtur exponere seipsum infra sub tit. *Aliis argumentis* §. *confirmatur.* Sed hoc modo non explicatur punctum difficultatis, sed obuoluitur non distinguendo determinationem in actu secundo à determinatione in actu primo. Nos enim non tribuimus huic auctori, vel aliis omnibus quod dicant actum ipsum secundum fieri à solo Deo, & quod per illum determinet formaliter voluntatem, sed referimus quod vere asserunt Deum solum infundere voluntati auxilium per modum 6. Addisius.

modum actus primi, ita efficax, vt ex se habent non posse separari ab actu secundo, & consequenter negare non posse quin iste actus primus inhærens voluntati formaliter illam afficiat, & determinet in actu primo ad talem actum secundum, & exercitium eius. Quod tandem ferè eisdem verbis fatetur idem auctor in locis proxime citatis §. *moueor etiam*, dicens. *Ad hoc quod voluntas exerceat opera supernaturalia necesse est, quod prius voluntas realiter determinetur, quam operetur. Et iterum, vt voluntas operetur necesse est, vt realiter determinetur ad illam operationem per aliquid reale positiuum quidquid illud sit*, quod iterum repetit, soli Deo vt auctori gratiæ tribuens determinationem. Nihil ergo mirum est si huic auctori vnam & alteram opinionem tribuamus, cum in eo vtrumque legamus.

1. Cabrera. Eodem ferè modo tribuo sententiam hanc P. Cabreræ, quamuis tam multipliciter de hac prædeterminatione loquatur, vt vix possim de illius sententia definitum ferre iudicium. Sæpe enim defendit prædeterminationem hanc fieri per aliquid distinctum ab actu secundo, & prius natura illo. vnde videtur ponere prædeterminationem in actu primo supra refutatam, & tamen disp. 2. §. 11. num. 474. dicit quod determinatio Dei relinquit voluntatem determinatam in actu secundo, & indifferentem in actu primo, & quod voluntas præmota est adhuc indifferens in actu primo, licet sit determinata in actu secundo. Quod videtur repugnantiam inuoluere, si nõ intelligat prædeterminationem fieri per ipsum actum secundum, licet sub eo maneat voluntas cum suo actu primo, quod ad tuendũ libertatem actus non sufficit, vt supra ostendi. Deinde §. 10. nu. 413. dicit motionem prædeterminantem non distingui ab actione voluntatis nisi formaliter nec Deum concurrere immediate ad illam, nisi per præuiam motionem. Item videtur hanc sententiã supponere in disp. 6. dubio 8. quando dicit num. 50. *quod Deus confert auxilium concomitans, non vt prodeamus in actum, sed vt adiuuet ad eliciendum actum in quem iam prodire cœperamus.* Nam his verbis insinuat prius non incipere prodire in actum propter auxilium efficax, quod prius natura Deus præbet, quam nos actum eliciamus; ergo sentit per illudmet auxilium incipere nos in actum prodire, quod intelligi non potest nisi auxilium sit sæpe actus sub aliqua præuia ratione consideratus, vnde in eadem disp. 6. dubio.... num. 1. dicit auxilium Dei simultaneum vocari coadiuuans, *quia ipsam operationem inceptam per auxilium prædeterminans coadiuuat, & consummat, concomitans vero quia concomitatur operationem vt inceptam per auxilium præueniens*: Nisi forte impropriè loquatur, & intelligat auxiliũ prædeterminans inchoare operationem non formaliter sed virtualiter, quia complet, & determinat potentiam ad illã eliciendam. Nam propriè vtendo terminis contradictionem inuoluit dicere nos incipere prodire in actum secundum priusquam Deus suo auxilio concomitante, & adiuuante nobiscum operationẽ inchoet. Nec etiam video quid sit prodire in actum nisi elicere illum; vnde incipere prodire in actum erit incipere elicere illum; at vero elicere, & incipere elicere idem sunt, quia actio eliciendi momentanea est, & ita simul incipit, & tota fit. Est ergo mihi intellectu difficilis illius auctoris mens, & sententia, quæ omnia non parum ipsiusmet doctrinæ obscuritatem, & perplexitatem indicant.

6. Ludouicus. Constantius videtur illam sententiam defendere Ledesma, nam toto art. 8. ex professo probat prædeterminationem non fieri à Deo in nobis sine cooperatione, & efficientia voluntatis nostræ liberè concurrentis vt explicat in prima probatione tertiæ conclusionis. Et in secunda addit non esse necessarium vt hæc prædeterminatio fiat per aliquem actum distinctum ab eo quo prosequitur obiectum, sed per eundem secundũ rem ratione formali distinctum vt in art. 7. late dixerat: & quod magis est dicit, in illa doctrina conuenire discipulos D. Tho. & ipsum D. Thomam, & Caietanum pro illa citat, indicto art. 7. & ideo in art. 10. ad 7. dicit. *quando est auxilium physicè prædeterminans iam esse actum in suo principio.* Alludens ad modum loquendi M. Cabreræ pro vt verba in proprietate sonant. Et ideo ait Ledesma hoc auxilium non requiri, vt principium operationis, neque ex parte potentiæ, sed ex parte operationis, vt art. etiam 11. late prosequitur. Et nihilominus dicit in dicta solution. ad 7. auxilium prædeterminans voluntatem esse necessarium tanquam antecedens ordine naturæ ipsam operationem, & vt voluntas exeat in actum. Quæ duo difficile conciliantur, nisi in ipsa operatione distinguatur inchoatio, & consummatio, seu initium operationis, & ipsa operatio absolute sumpta, quod videtur efficaciter impugnari ratione supra facta, & aliis quæ in lib. 3. fecimus tractando de concursu præuio.

Singularis quædam sententia refertur.

7. Defensor huius prædeterminationis tria distinguit in Dei operatione circa actus voluntatis nostræ.

Deniq; omittere non possum quin hîc referam notandam sententiam alterius defensoris huius prædeterminationis. Qui prius tria distinguit in Dei operatione circa actus voluntatis nostræ. Primum vocat simplicem immutationem, qua volũtas constituitur in vltimo complemento per modũ actus primi. Secundũ est productio actionis voluntatis cum ipsa voluntate. Tertium est productio effectus. Primum ante omnia requirit ad auxilium efficax, & dicit fieri à solo Deo prius natura quam voluntas operetur, nam in aliis duobus, vt ait non prius natura operatur Deus quam voluntas non obstante subordinatione, quia hæc subsistere potest sine prioritate naturæ. In quo aperte tradit modum prædeterminationis in superioribus capitibus tractatum satisque consequenter iuxta illum loquitur. Statim verò addit obscurissimam distinctionem in qua videtur hanc posteriorem sententiam profiteri, & difficilime explicare. Post præuium enim auxilium efficax, seu post illam quam vocat simplicem immutationem distinguit in consensu voluntatis duplicem actionem, vnam quæ identificatur cum consensu in ratione consensus, aliam, quæ natura præuenit consensum, quam vocat initiatiuam, in qua agitur voluntas, quam etiam dicit esse auxilium efficax præuium. Et hanc posteriorem actionem dicit etiam nõn esse liberam in illo priori, quamuis antecedente nostra libera determinatione, actio quæ non erat in illo priori libera constituatur libera in ratione consensus nostri in alio posteriori naturæ.

Refellitur dicta sententia.

8. Duo notanda. Primum.

In qua sententia antequam vlterius progrediamur duo notanda sunt, & cauenda. Primum est; quia ille auctor simul videtur ponere duo auxilia præuia physicè prædeterminantia voluntatem, vnum per simplicem immutationem Dei ante actionem voluntatis, aliud per actionem quandam initiatiuam consensus. Hoc autẽ nullo modo admittendum est: nam licet daremus aliquam prædeterminationem physicã, superuacaneum esset duplicẽ fingere. Tum quia in eodem genere physico vnum tantum auxilium efficax ad singulos actus cum aliquo fundamento requiri potest: tum etiam quia hæc prædeterminatio dicatur supponere auxilium sufficiens quocumque modo talis prædeterminatio cogitetur sufficienti auxilio peruenire, infallibiliter inducet consensum, aliàs non esset vera de-

terminatio; ergo esto sit necessaria, vna sufficit. Declaratur denique ex re ipsa, quia si fingamus antecedere auxilium prædeterminans physicè voluntatem in actu primo, & distinctum in re ipsa ab actu secundo, & ab omni actione humanæ voluntatis, per illud intelligitur voluntas perfectè completa in actu primo, & proximè expedita ad actum secundum; ergo iam non indiget alio auxilio prævio, sed tantùm simultaneo concursu, ergo qui ponunt auxilium prædeterminans in actu primo superfluè fingunt aliud auxilium prædeterminans in ipso actu secundo seu actione eius; item quia illa actio per habitudinem ad tale principium iam determinatum in actu primo prodit cum sufficienti determinatione, imo si verum fatendum sit suppositâ tali prædeterminatione proderet sine indifferentia, & sine libertate, ergo non solum non indiget noua prædeterminatione, sed etiam est incapax illius. Sicut supra lib. 3. cap.... de agentibus naturalibus dicebamus non indigere prævio concursu propter prædeterminationem quia cum de se sint determinata ad vnum, & non habeant indifferentiam, non sunt capacia nouæ determinationis.

Aliud notandũ, quod in supernaturali consensu duplicem ponit actionem voluntatis, vnam initiatiuam, aliam consummatiuam.

Secundò est in illa sententia notandum quod in supernaturali consensu duplicem ponit actionem voluntatis, siue re, siue formaliter, siue ratione distincta. Vnam vocat initiatiuam, & priorem quàm sit ratio consensus, quia natura præuenit illum: aliam, quæ sit consummatiua consensus, & primam dicit esse auxilium præuium efficax, non verò secundam: itemque priorem, vt sic, non esse liberam, constitui autem liberam in ratione consensus in altero posteriori naturæ. Hæc verò distinctio, & quæ circa illam dicuntur reiicienda omnino sunt. Nam si per illam duplicem actionem, ille author intelligat propriam actionem prædicamentalem, & terminum eius, qui est consensus, vel actus vitalis, prout est in re qualitas, quæ ab aliquibus vocatur grammaticalis actio. Sic nec dicere debuit, nec potuit priorem actionem initiat uam esse in illo priori non liberam, quia hoc multum repugnat libertati arbitrij: nam vsus libertatis maximè pendet ab illo puncto, in quo voluntas incipit suam actionem elicere. Item quia repugnat actionem prius natura non liberè elicitam posterius natura constitui liberam in eodem instanti, tum quia non possunt duo prædicata contradictoria de eodem verificari in eodem instanti temporis: tum etiam quia actio illa semper retinet eandem habitudinem ad suam potentiam, à qua habet quod libera, vel necessaria sit: tum denique quia non potest actio illa denominari libera à consensu, qui est terminus eius, quia potius consensus in tantum est liber, in quantum sit per actionem liberam, quia libertas exercetur in ipsa actuali efficientia per quam fit terminus. Si autem in consensu ipso præter terminum & qualitatem distinguatur duplex actio, quarum vna sit non libera, & altera libera, & falsum fundamentum supponit, & multum derogat libertati, vt facile ex dicendis patebit.

Punctum difficultatis distinctè explicatur.

3. Supponuntur quædã vt punctum difficultatis distinctè explicetur.

Igitur ne in aliorum placitis referendis prolixiores simus (solum enim illa proponimus vt modus doctrinæ consideretur) illis prætermissis, vt punctum difficultatis explicetur, & intelligatur difficultatis ratio, suppono in primis in ipso actu secundo, seu consensu libero voluntatis tantum illa duo inesse, & distingui posse quæ paulo antea diximus, scilicet *fieri*, & *factum esse*, seu actionem & terminum, seu qualitatem. & dependentiam eius: hæc enim omnia æquiualentia sunt. Et quidem illa duo in re ipsa aliquo modo distingui ex philosophia suppono, & nunc non controuertitur, hec ad præsentes controuersias Theologicas multum refert, siue quis opinetur, illa duo in his actibus ratione tantum distingui, siue ex natura rei, tam licet hoc posterius verius sit, tamen etiam permisso illo primo, doctrina de auxilio efficaci non variatur. Dixi autem tantùm illa duo inueniri in libero consensu, quia ad rem explicandam maximè refert quod in consensu ipso neq; plures qualitates, neq; plures actiones, neq; aliquod aliud genus entitatis, vel modi realis illius actus in eo inesse fingatur. Hoc postremum per se notum videtur, quia discurrendo per prædicamenta facile potest talis cogitatio refutari, & in re nullum habet fundamentum. Primum etiam est satis notum, & ab omnibus traditum quia vnus consensus si in prædicamento qualitatis est, vt supponitur, non est nisi vna simplex qualitas, sicut est vna simplex tendentia formalis in vnum tantum obiectum. Neque in libero consensu ordinis naturalis aliud inuenitur, nec in supernaturali est aliqua ratio multiplicandi illas qualitates, imo hæc supernaturalia concipere, & explicate debemus ad instar naturalium seruatâ indifferentia in dignitate, seu excellentia actus, quę in vna simplici qualitate cerni debet. Vnde argumentari possumus quia si essent duæ qualitates, vel vtraq; est ordinis naturalis, & sic ex vtraque simul non fiet vnus actus supernaturalis; vel vna est naturalis, & altera supernaturalis, & sic tota supernaturalitas est in vna, & altera frustra fingitur: vel vtraq; est supernaturalis, & ita quælibet per se spectata est in suo genere perfecta, & sufficiens ad effectũ formalem consentiendi, & tendendi complecẽ in tale obiectum: ergo vna sufficit & alia frustra fingeretur. Quis enim vnquam cogitauit *voluntatem* v.g. credendi inuoluere duas qualitates, & idem est de similibus actibus simplicibus? Ita enim consideramus consensum in vnum simplex obiectum: nam si inuoluat plura obiecta, poterunt esse plures actus, vt est probabile de intentione finis, vel electione medij etiamsi eodem tempore fiant, & de amore Dei, detestatione peccati, & similibus, & tunc erunt etiam plures consensus, vnumquemq; autem per se considerando in illo tantum potest esse vna qualitas & ita nunc loquimur.

Vnde facilè concluditur secundum membrũ de actione quod in præsenti maximè est necessarium, quia si quod gratiæ auxilium datur in ipso actu secundo voluntatis, illud maximè in actione ipsa cõsiderandum est, tum quia qualitas ipsa, quæ est terminus actionis, potius est effectus auxilij, quàm auxilium, tum etiam, quia tale auxilium requiritur ad iuuandum hominem ad agendũ, homo autem primò, & immediatè efficit ipsam actionem; ergo in illa, & ad illã debet maximè adiuuari. Hinc ergo aliqui ex modernis in hoc, & præcedenti cap. allegatis, vt declarent auxilium prædeterminans in ipsomet actu secundo distinguũt in illo duas actiones, quarum altera sit auxilium prædeterminans, & altera sit actio consentiendi, & illam dicunt esse priorem natura, & à solo Deo, hanc verò esse à libero arbitrio in posteriori naturæ.

Contra hoc ergo pro certo statuimus, in vno simplici consensu non esse nisi vnam actionem simplicem, & indiuisibilem. Et in hoc nobiscum sentiunt Cumel. & Aluar. & interdum Ledesma, nam aliàs variè loquitur. At hanc partem in lib. 1. & 3. tetigi, & ideò nunc illa breuiter probatur. Quia ex parte termini illa actio habet vnitatẽ, nimirũ vnam qualitatem tamquam intrinsecum terminum per illam actionem productum, & vnum obiectum tanquam extrin-

extrinsecum terminum, quem mediante ipsa qualitate respicit, & ex parte principiorum non multiplicatur; ergo est tantum vna. Probatur minor, quia licet ad illum actum effectiuè concurrant Deus, & voluntas, per suammet entitatem, vel etiam per habitum infusum, aut illam supernaturalem entitatem sibi inditam per modum principij & actus primi, nihilominus non prodeunt à singulis principijs istis singulæ actiones, sed vna indiuisibilis ab omnibus; ergo etiam ex hac parte non multiplicantur. Probatur vltima propositio subsumpta, & primum de voluntate, quia voluntas, nihil potest agere sine Deo, & in supernaturalibus operibus nihil potest agere sine physico influxu aactuali adiuuantis gratiæ: ergo nulla actio ibi intercedere potest quæ sit à sola voluntate, est ergo vna indiuisibilis à Deo, & ab ipsa, & à principio gratiæ. Et hac ratione cum D. Thoma dixi citatis locis vnam esse indiuisibilem actionem à causa prima & secunda; quia nihil potest agere causa secunda sine immediato influxu causæ primę, idem enim est cum proportione in præsenti.

12. Probatur ex parte Dei non multiplicari actionem.

Et hinc facilè probatur ex parte Dei non multiplicari actionem tendentem ad talem consensum. Primo quia illa vnica actio, cum iam sit. à Deo, sufficit, nam per illam fit totius terminus, & in illa intimè consistit essentialis dependentia, vel causæ secundæ à prima, vel voluntatis à gratia, & à Deo vt auctore gratiæ in actibus supernaturalibus, ac denique in illamet saluatur excellentia, & eminentia causæ primæ, & gratiæ in suo genere, quia illa actio magis, ac principalius, essentialius est à Deo, & gratia, quam à voluntate; ergo superfluè fingeretur alia actio solius Dei, vel solius gratiæ. Præterquam quod multa sunt quæ repugnent; nam illa actio quæ esset à solo Deo in voluntate, non posset esse vitalis; ergo non esset actus secundus voluntatis, nec haberet pro immediato termino qualitatem illam actualem, quæ est consensus voluntatis, nam illa intrinsecè est qualitas vitalis, & non nisi per actionem vitalem fit, saltem connaturaliter; quod nunc satis est, quia non sunt fingenda monstra, vel miracula perigrina in ordinario modo supernaturaliter operandi voluntatis, ergo si daretur talis actio Dei, non esset auxilium immediatum in ipso actu secundo, sed in aliam qualitatem, vel alium terminum & ita esset auxilium prædeterminans in actu primo, non in secundo, quem nùc inuestigamus. Item si aliqua ibi est actio solius Dei, erit natura prior, quâ actio voluntatis; nam ad hoc ponitur vt sit causa actionis voluntatis, & faciat illam facere, quid ergo per illam fit? Non enim fieri potest immediatè altera actio quæ fit à voluntate, tum quia ad actionem non est actio; tum etiam quia terminus actionis non est ab alio principio, quam ipsa actione, illa autem secunda est ab alio principio, vtique à voluntate: neque etiam ipse consensus vt est qualitas quædam potest immediatè per illam fieri, tum quia, vt ostensum est, non fit sine influxu voluntatis: tũ etiam, quia aliàs nihil nouum voluntas ageret, sed actum à Deo iterum ageret, & quasi conseruaret. Nam illa prima actio, quæ à solo Deo esse dicitur, non potest esse partialis tantum: tum quia debet in suo ordine esse perfecta, & efficax, & à sufficienti potestate procedens, tum etiam quia aliàs non posset fieri etiam secundũ ordinem naturæ sine consortio alterius partialis actionis, & ita non esset præuia nec prædeterminans, ergo produceret prius totum terminum, & sic voluntas non eluceret, sed quasi reproduceret, & conseruaret consensum suum. Vnde etiam sequeretur illam non liberè, sed ex necessitate recipere; & habere talem consensum, non est ergo in actu consensus talis actio; est ergo tantum vna.

Corollaria ex præcedenti doctrina.

Ex his nonnulla infero ad veram resolutionem quæst. necessaria. Primũ est actionem illam per quã liber consensus supernaturalis, & vt supernaturalis fit, ita elici à voluntate per proximum principium gratiæ, illam adiuuans cum concursu Dei tanquam primæ causæ in illo ordine, vt tota à singulis illis principiis tam in suo esse, quam in sua inchoatione vel qualicunque emanatione prodeat. Probatur, nam quod ab omnibus illis principiis simul effectiuè oriatur, certissimum est à voluntate propter viatalitatem actus, & maxime propter libertatem, vt definit Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 5. & can. 4. à principio physico gratuito seu supernaturali propter necessitatem gratiæ physicè adiuuantis, de qua supra lib. 3. dictum est: à Deo vt à prima causa propter essentialem dependentiam, & subordinationem voluntatis creatæ ad diuinam. Quod vero sit ab omnibus, & singulis quoad totum suum esse, probatur, quia est indiuisibilis actio, & ideo nõ potest pars ab vno principio fieri, & pars ab alia; ergo tota à singulis. Item quia ille actus totus est supernaturalis, & gratię, & totus est vitalis, & liber, & totus est creatus, quæ rationes ita sunt inter se connexæ, vt postulent concursum omnium illarum causarum; nihil ergo est in illo actu, quod fiat ab vno ex illis principiis sine consortio aliorum. Vnde tandem concluditur, quidquid in illa actione fit tanquam intrinseca inchoatio eius, debere ab omnibus illis principiis, & à singulis illorum fieri, quia inchoatio actionis non est aliquid ab ipsa actione distinctum, & quia ratio facta æquè in tali inchoatione, qualiscunque cogitetur, procedit. 13. Corollariũ primum.

Secundò hinc infertur actionem illam, quâ fit consensus liber voluntatis, sub nulla ratione esse prius natura necessariam, quam liberam, neq; in illa aliquid considerari posse prius non libere factum & postea liberè. Probatur primò quia illa actio quatenus non libera consideratur, vel est à solo Deo, vel est etiam à voluntate. Prior consideratio est omnino falsa, tum quia ostensum est, illum actionem non prius naturâ fieri à Deo, quam à voluntate, tum etiam, quia aliàs si solus Deus semel illam infunderet, in illa recipienda voluntas non esset libera; at ex illa receptione necessitate plusquam physica (vt sic dicam) sequeretur consensus voluntatis siue formalis, siue etiam actiuus, seu actio eius; ergo nullo modo talis consensus posset esse liber, vt à fortiori ostendi potest ex dictis capite..... Præterquam quod est contra rationem actus vitalis recipi prius naturâ, quam eliciatur. 14. Corollariũ secundum.

Si autem actio in illo signo est à voluntate non potest concipi vt non libera, vel certè nunquam est libera. Probatur primò, quia illa actio est omnino indiuisibilis, tam in sua entitate, quam in modo, quo fit, quia in momento elicitur; ergo & secundũ rem, & secundum omnem modum concipiendi semel tantum à voluntate elicitur; ergo vel elicitur necessario, vel libere, & non potest secundum diuersas rationes, aut in diuersis naturæ instantibus illis duobus modis elici: Secundò istæ duæ conditiones liberi, & necessarij adeo sunt repugnantes, vt non possint simul inesse eidem actioni respectu eiusdem potentiæ, vel in eodem instanti naturæ, vel in eodem temporis instanti, quia inuoluunt contradictionem. Tertio si in primo signo intelligitur illa actio, ex necessitate elicita à voluntate nõ habet, vnde fit magis, vel minus libera in eodem instanti temporis pro alio instanti naturæ, quasi voluntas nõ elicit illam cum maiori iudicio rationis, nec cum maiori determinatione, aut auxilio efficaci ex parte gratiæ in vno signo, quam in alio.

Præterquam quod si in primo signo actio illa est necessaria necessitate oppositi libertati, eadem necessitate sequitur duratio illius actionis pro secundo signo naturæ; ergo in illo etiam destruetur libertas, iuxta doctrinam datam in capite.... Si vero in primo signo non est tanta necessitas, sed solius infallibilitatis, falsum est in illo signo actionem non esse liberam, nam eadem necessitas in secundo signo inuenitur; est ergo impossibilis illa doctrina. Accedit tandem quod illa signa naturæ in tali actione distingui non possunt præsertim respectu eiusdem voluntatis hominis, vt à fortiori patebit ex sequenti illatione.

15. Corollatiũ tertium. Tertiò infero, actionem illam non prius natura, & causalitate fieri ab vno ex illis principiis quam ab aliis, id est, à voluntate prius, quam à gratia, vel principio supernaturali physicè adiuuante, vel è contrario, neque etiam prius à libero arbitrio vt causa secunda, quam à Deo, vt causa prima. Hanc assertionem docent nobiscum sæpissimè citati Theologi, qui in asserenda physica prædeterminatione à nobis dissentiunt, licet aliis locis, vt nos impugnent, ab illa recedere videantur, vt in sequentibus videbimus. Tamen illatio est euidens vt in simili diximus in lib. 5. simultaneum concursum explicando, quia illa actio est vna, & indiuisibilis; ergo intra illam (vt sic dicam) non potest inueniri realis causalitas, quia idem non est causa sui ipsius; ergo non potest sub vna ratione esse prior, quam sub alia. Item illa actio essentialiter, vel intrinsecè pendet ab illis omnibus principiis, & à singulis illorum; ergo non potest esse prius natura ab vno quam à cæteris.

16. Reiciendus loquẽdi modus. Quapropter reiiciendus est ille loquendi modus. *Deum dare auxilium concomitans, non vt prodeamus in actum, sed vt adiuuet ad eliciendum actum in quem prodire cœperamus.* Ac si voluntas possit prodire in actum sine concursu concomitante Dei, vel possit inchoare actum prius natura, quam illum eliciat, vel quam Deus concursum inchoet, quæ sunt plane absurda. Nec minus falsum est, quod in alio loco idem Auctor dicit, *consensum voluntatis vt exercitum non refundi in liberum arbitrium, etiam vt eleuatum per auxilium efficax.* Nam si liberum arbitrium est vera causa efficiens illum consensum, iuxta doctrinam Concilij Tridentini sess. 6. can. 4. certe facit illum vt exercitum, quomodo ergo non refunditur in illud? Deinde idem Concilium in dicto, cap. 7. dicit gratiam vnicuique dari secundum propriam eius dispositionem, & cooperationem. Est autem dispositio per consensum; ergo sicut dispositio refunditur non solum in gratiam, sed etiam in cooperationem, ita & consensus. Item Augustinus lib. 83. quæstion. 68. non reprehendit illum, qui sibi tribuit quod venerit vocatus, cum tamen hoc sit refundere consensum in liberum arbitrium Dices, verum est actum illum reduci in voluntatem, vt in causam, vel concausam proximam, vltimatè verò esse reducendum in auxilium efficax. Respondetur de hac resolutione in vltimam radicem postea dicendum esse, nam magis pertinet ad ordinem prædestinationis & intentionis quam executionis, & quatenus fieri potest in ordine executionis, sistit in vocatione, iuxta illud Augustini dicta quæst. 68. *Si quis sibi tribuat quod venerit vocatus, non potest sibi tribuere quod vocatus sit*, quæ vocatio est magis principium morale quam physicum. Vnde loquendo de efficacia physica consensus, & actionis consentiendi non potest resolui in solum auxilium, sed in voluntatem cum auxilio.

Quæstionis resolutio.

Ex his ergo videtur apertè concludi, nihil necessario inueniri in ipso actu consentiendi, quod fit auxilium efficax, quo voluntas physicè prædeterminetur ad ipsummet consensum. Probatur, quia talis prædeterminatio vel fit per ipsum actum secundum, vt intelligitur in termino, & in esse perfectę qualitatis, vel vt est actio in fieri ad illam qualitatem: neutro autem modo potest esse auxilium physicè prædeterminans voluntatem; ergo non est tale auxilium. Primum membrum minoris manifestum est, tum quia consensus ipse (vt dixeram) sub illa ratione non est auxilium, sed est effectus intentus & comparatus per talia auxilia: tum etiam quia ille actus sic spectatus supponit voluntatem iam determinatam in actu secundo per ipsammet actionem per quam efficit talem consensum; ergo non potest ipse consensus prædeterminare voluntatem. Item quia prædeterminatio dicitur esse necessaria voluntati ad eliciendum consensum, quia non potest vel indeterminata agere, vel non habet vires, consensus autem ipse, iam supponit totam actionem voluntatis, & per se non dat vires ad agendum aliud, nedum seipsum; hæc ergo parte uidentissima est.

Altera de actione probatur primo ad hominem ex principio ab aliis posito, quod volũtas nihil potest agere non prędeterminata, inde enim optime infertur, quod actio prædeterminans voluntatem non potest esse elicita ab ipsa voluntate, quia alias efficeret illam nondum prædeterminata, conditio enim necessaria ad agendum debet supponi actioni, saltem ordine naturæ, quod autem fit ab ipso principio efficiente, non supponitur ad actionem eius; ergo si prędeterminatio fieret à voluntate non supponeretur ad actionem voluntatis; *ergo non* esset conditio necessaria, vt voluntas ageret; ergo ageret voluntas nondũ prædeterminata, quod est cõtra hypothesin. Quin potius, vt supra dicebã, est repugnantia in verbis, quod voluntas eliciat actionẽ, & quod actio illa sit prædeterminatio eius, quia in eodem signo, in quo illam elicit, flectitur ad illã potius quã ad aliam; ergo determinatur formaliter per illam actionem, nondũ prius natura determinata, & effectiuè determinat se non prædeterminata ab alio. At vero ostensum est vnicam actionem illam non fieri sine influxu ipsius voluntatis; ergo per illam non prædeterminat Deus voluntatem.

Responderi solet illammet actionem non posse fieri à voluntate humana nisi influente diuina, & per illum influxum, vt est à Deo prædeterminari physicè voluntatem humanam vt suum cursum adiungat, quia ille influxus Dei sine dubio est physicus, & est prior ordine naturæ, quia prima causa prius natura agit, quam secunda. Et hoc argumento nos maxime premunt Cabrera, & Cumel, vt saltem hanc prædeterminationem physicam negare non possimus: & vt ex illa conuincant argumenta suprà à nobis facta ad probandum physicam prædeterminationem in actu primo tollere libertatem non esse efficacia, quia in hac prædeterminatione in actu secundo instantur. Verumtamen ratio est longe diuersa, nam in hoc auxilio nulla est propria prædeterminatio ex parte Dei, sed condeterminatio vt sic dicam, nisi in verbo prædeterminandi sit æquiuocatio, quam sæpe aliàs declaraui.

Primò enim cum voluntas se determinat ad consensum, id non facit sine physico influxu, & coefficientia Dei siue cooperantis per gratiam aliquam physice adiuuantem, siue concursum causæ primæ in illo ordine præstantem. Ille vero concursus non est præuius, sed simultaneus, & similiter ille

ille actualis influxus gratiæ adiuuantis simultaneꝰ est tam tempore, quam natura, cum cooperatione ipsius liberi arbitrij, vt proximè ostensum est; ergo talis influxus, vt est à Deo non est prædeterminatiuus voluntatis, sed tantum cooperatiuus, in quocunque signo temporis, vel naturæ consideretur. Nam auxilium prædeterminans ex vi illius particulæ *præ* dicit aliquam antecessionem saltem causalitatis, & naturæ ad propriam determinationem voluntatis, & in hoc sensu tractatur quæstio. Et ideo etiam ab aliis auctoribus condistinguitur concursus simultaneus à prœuio, seu prędeterminante.

Secundò prædeterminans auxiliũ dicitur ab his auctoribus influxus in causam, & non proximè in effectum; ille autem influxus Dei imbibitus in actione, qua voluntas facit suum consensum, non est influxus in causam, sed in actionem, seu effectum causæ, quia intimè imbibitur in ipsa actione; ergo ille non prædeterminat voluntatem. Instat vero Cumel, quia illa actio est in voluntate: ergo non potest ille influxus esse in effectum, quin sit etiam in causa. At hoc modo committitur æquiuocatio, & nimis materialiter consideratur voluntas; duplicem enim habet actionem, & potentiæ receptiuę eiusdem actionis in posteriori naturæ postquam facta est, seu iam fit. Influxus ergo in causam est ille, qui præcedit in causa prius natura, quam operetur, & in illa fit vt illam compleat, vel applicet ad agendum; at ille concursus vel influxus non ita recipitur in voluntate, sed solum tanquam in potentia passiua, quæ recipit ipsam actionem, in qua immediate ille influxus imbibitur. Sicut influxus quem præbet ipsa voluntas, etiam recipitur in ipsa, non formaliter, vt in causa agente, sed vt in materia seu subiecto talis actionis.

Tertiò idem declaratur, quia voluntas prius natura consideratа, quam Deus illum influxum præbeat, est omnino indifferẽs, & indeterminata, quia natura sua talis est, & nondũ intelligitur aliquid recepisse quo determinetur, sed ab illo statu immediatè reducitur ad actionem, qua elicit suum actũ secundum quam actionem simul cum Deo efficit; ergo non operatur, & elicit actionem vt prædeterminata, & consequenter non prædeterminatur per concursum, vel influxum imbibitum in eadem actione. Probatur consequentia quia inter illud signum naturæ, in quo præexistit indifferens & aliud, in quo actionem iam elicit, non datur medius status, seu medium instans naturæ, in quo intelligatur prædeterminata à Deo per illum influxum; quia ostensum est inter illum influxum Dei, & influxum voluntatis, non esse ordinem naturæ nec causalitatis; ergo in hoc modo agendi, & secluso prœuio influxu immediato in potentia ipsa voluntatis non esset necessaria vera & propria prædeterminatio.

Addo semper illa verba, *vera, & propria*, quę etiam dici potest vniuoca prędeterminatio. Quia æquiuocando in verbo prædeterminandi potest quis illam Dei actionem vocare prędeterminationẽ, quia per illam actionem voluntas se determinat; Ideòq; cum eandem actionem Deus faciat, potest etiam dici per illam determinare voluntatem, quamuis, nõ sine illa libere, & omnino simul cooperante. Vnde vlterius quia eadem actio principaliori, ac excellentiori, magisque independenti modo est à Deo, quàm, à voluntate, ideo ad hoc significandũ potest illa determinatio à Deo dici prædeterminatio. Sed hoc dico tantùm esse verbo ludere significationem eius mutando, per quod omnino à propria quęstione diuertimur. Nam in illo vsu verbi particula *præ* non significat ordinem causalitatis, neque iudicat aliquod auxiliũ efficax quo dentur voluntati vires ad operandum, nec significat determinationẽ, quæ in voluntate fiat, vt operari valeat, sed significatur solùm excellentia, & maior perfectio influxus diuini, seu illius actionis prout est à Deo, quàm vt est ab hominis voluntate. In quo sensu nulla est quæstio de prædeterminatione, cum tota difficultas consistat in antecessione causalitatis, quæ dicitur auxilium efficax facere, vt voluntas faciat efficienter, ac physicè, & causaliter prædeterminando voluntatem ipsam.

Quòd facilè declaratur ostendendo rationem difficultatis longè disparem inter hoc auxilium simultaneum, & prædeterminans causaliter, quam P. Cumel, & alij enixè, & frequenter postulant. Nã in hoc simultaneo influxu Dei cum voluntate ad eius primam determinationem influxus Dei non ponitur, nisi cum dependentia eiusdem numero actionis indiuisibilis à libera cooperatione voluntatis, & ideo illa determinatio nunquam est suppositio antecedens causaliter liberum voluntatis vsum, sed illum potius intrinsecè includit, ideoque quantumuis ille influxus Dei propter suam excellentiam vocetur prędeterminans, nunquã per particulã *præ* significatur suppositio antecedens necessitans voluntatem ad cooperandum, sed solũ dicit ita esse simul, cum cooperatione voluntatis, vt cum illa dignior, & excellẽtior sit, de quo nemo dubitat. Altera verò prædeterminatio causalis inducet antecedentem necessitatem quę in dicto auxilio simultaneo non inuenitur, & ideo dicimus ex parte illius vel esse non posse, vel saltem non esse veram & propriam determinationem, de qua loquimur. Vnde cum Ledesma, & alij suprà citati dicunt Deum esse qui prędeterminat voluntatem, & nihilominus voluntatem in eodem signo naturæ efficere prædeterminationem sui; si loquantur de prædeterminatione æquiuocè, & in hoc posteriori sensu vel fugiunt difficultatem, vel certè solis verbis à nobis dissentiunt, non in re. Ille tamen sensus non potest consistere cum multis aliis doctrinis, quas de hac prędeterminatione tradunt, nec cum distinctione auxilij efficacis physicè prædeterminantis ab auxilio simultaneo. Si autem in sensu proprio, & vsitato inter nos de prędeterminatione loquuntur, repugnat profectò prædeterminationem fieri actiuè à voluntate liberè cooperante, cum ad hoc illi detur à Deo, vt ipsa suam primam actionem, ac primum influxum inchoare valeat, quia (vt ipsi supponunt) præexistens determinata id facere non potest. Ablata ergo vera prædeterminatione, quæ per actionem præuiam & solius Dei, & distinctam in re ab actione voluntatis fiat, nulla relinquitur prædeterminatio vera ex vi solius simultanei influxus, quem Deus vt prima causa, & auctor gratiæ habet in talem actionem voluntatis.

CAPVT XXIII.

Vtrùm concursus simultaneus vt est à voluntate Dei semper ac necessariò habeat vim prædeterminandi physicè voluntatem.

PRiusquam fundamento contrariæ sententię respondeamus, oportet de alio sensu quæstionis dicere, quia possunt illius sententiæ auctores in hoc posteriori sensu suam opinionẽ interpretari, & discursum à nobis factum eneruare, adhibita quadam distinctione, quam de prædeterminatione in actu primo supra retulimus, & hic potest apparenter accommodari. Nam concursus, seu auxilium Dei dupliciter spectari potest, primo secundum se, & secundum suam præcisam entitatem, secundo vt procedit à voluntate efficaci Dei, qua vult homiuẽ efficere spectari potẽ talẽ consensum. Priori ergo modo verũ est cõcur-

1. De alio sensu quæstionis.

Auxiliũ Dei duplicitet spectari potest.

sum illum non habere vim prædeterminandi voluntatem, quia suo modo pendet à libera, & simultanea cooperatione eius. Et hoc probant omnia quę in præcedenti discursu dicta sunt, & id fortasse non negabunt contrariæ sententiæ defensores, cum etiã de auxilio præuio interdum id doceant, vt vidim⁹. At verò spectatus ille concursus posteriori modo videtur habere vim determinandi, & prædeterminandi voluntatem humanã. Probatur, quia vt procedens ab illo decreto diuinæ voluntatis participat totam vim, & efficaciam illius, sed illud decretũ Dei est efficacissimum ad determinandum libere volũtatem nostram; ergo & ille influxus Dei vt ab illo decreto manãs habet eandẽ vim. Minor probatur, quia non potest nostra voluntas reluctare in tali decreto voluntatis diuinæ, vt est de fide certum, vnde posito illo decreto, quod De⁹ efficaciter vult, vt ego liberè velim, fieri non potest, quin velim, & liberè velim; ergo mea voluntas manet determinata ad talem actũ ex vi diuini decreti. Vnde cum illud decretũ antecedat hominis consensum, vere dicitur per illud prædeterminari, & quia illius decreti efficacia non mandatur executioni, nisi medio auxilio simultaneo, ideo tale auxilium non ex se, sed ob respectũ ad tale decretum dicetur prædeterminare voluntatem, & habere quandam veluti eminentem antecessionem ad illam prædeterminandam.

2. Nihilominus affero etiam hoc modo non esse necessariam prędeterminationem physicam voluntatis humanę ad liberum consensum prestandũ postquam sufficienter præuenta, & excitata est, habetq; omnia auxilia gratiæ necessaria ex parte principij proximi, ad physicè efficiendum talem actum. Ita tenent Auctores omnes moderni in cap. 10. & 11. allegati, & in capite sequenti allegandi. Nunc enim non dico hunc modum prędeterminationis in prędicta responsione esse impossibilem, vel simpliciter, vel cum vsu libertatis, id enim videbimus capite sequenti, sed solum dico non esse necessarium ad omnes & singulos actus, seu consensus supernaturales nostræ voluntatis. Ratio est, quia non est necessarium, vt concursus simultaneus quem Deus præbet ad singulos actus supernaturales, procedat ex illo decreto absoluto voluntatis Dei, quale in dicta responsione explicatur, sed tota ratio illius prędeterminationis dicitur esse tale decretũ; ergo neq; talis prædeterminatio necessaria est ad singulos actus. Consequentia cum minori euidentes sunt ex dictis, maior autem probatur, quia illud decretum non est necessarium, vt voluntas humana constituatur in actu primo completo, & ita perfecto, & sufficiente ad præstandum consensum, vel eliciendum quemcunq; actum supernaturalem, vt solum indigeat concursu actuali, & simultaneo: tum quia sublato è medio auxilio præuio (vt supponimus) nihil aliud fingi poteſt necessarium, tum etiam; quia sæpe ostensum est illud esse de ratione auxilij sufficientis, quod proxime antecedit effectionem liberæ actionis. Nam esse potest in his qui non consentiunt, & tamen illis non datur ex vi illius decreti, vt per se notum est: ergo ad habendum omne auxilium necessarium proxime ante concursum simultaneum, non est necessarium illud decretum. Neque etiam est necessarium ad ipsum concursum præstandum. Ergo nulla superest ratio, ob quam illud decretum simpliciter necessarium sit. Hanc consequentiam nunc vt claram suppono, quia ad producendos effectus per causas secundas, per se loquendo, & quantum est ex parte ipsorum effectuum, vel ex indigentia causarum secundarum solum illud decretum, & ea tantum efficacia ex parte diuinæ voluntatis necessaria est, quæ ad præstandum generalem concursum effectui accommodatum sufficiens fuerit, quidquid sit, an ex parte Dei intercedere possint alia decreta prædefinitiua, de quibus sæpe dictum est, & infra cap..... dicturi sumus. Nunc ergo solum superest probanda minor propositio, ad quam tota huius puncti difficultas reuocatur.

Quod ergo ad concursum simultaneum prestandum, non sit absolutum Dei decretum necessarium. Probatur primò ex obiecto illius decreti, nam per illud proximè solum vult Deus concurrere cum voluntate, sed in ipso nomine, & ratione concursus includitur, vt non solus Deus faciat talem effectũ, sed cum alio simul coefficiente; ergo ex vi talis obiecti non est absolutum necessarium, & efficax decretum de tali effectu futuro, sed solum de concursu cum alio, in quo includitur conditio, si alius coefficerit. Dices imo eo ipso, quod Deus vult concurrere, vult etiam hominem cooperari, nam concursus est plurium cursus, & ideo si Deus absolute vult concursum cum voluntate, vult etiam ipsam voluntatem operari, & ita vult etiam absolute consensum eius. Sicut si Deus vult absolute vnum correlatiuorum esse in rerum natura, eo ipso vult etiam aliud: vt si voluit Abraham habere filium, voluit etiam illum esse patrem, concursus autem includit alium concurrentem quasi correlatiuum; ergo absoluta voluntas vnius includit similem voluntatem alterius. Respondeo duobus modis posse aliquẽ concurrere cum alio, vno modo absolute volendo vtriusq; concursum, alio modo volendo tantum suum concursum ex suppositione alterius, vel sub conditione, si alter velit cõcurrere, vtrumq; enim modõ experimento humano cognoscimus, & certe posterior modus est frequentior inter homines. Seruata ergo proportione dicimus, esto posse Deus priori modo velle actionem voluntatis humanæ, & ita simul absolute velle & suam, & voluntatis humanæ efficientiam actualem (de quo dicemus cap. sequenti) nihilominus illum modum volendi non esse necessarium ad concursum Dei, sed satis superq; esse secundum, quia Deus potest velle præstare suum influxum, non simpliciter, & absolute, sed quantum est ex se, & subintellecta cõditione, si per humanam voluntatem non steterit. Quid enim repugnat Deum ita velle? Si autem non repugnet, ponamus id voluisse, certe illud sufficiet ad concurrendum actu, si per hominem non steterit, quia Dei voluntas semper permanet, & de se est efficax, ideoque licet conditionata sit, dum completur, conditio transit in absolutam, & habet effectum; illa ergo sufficit ad concursum ad extra prestandum; ergo aliud decretum magis absolutum non est simpliciter necessarium.

Secundò probatur eadem propositio inductionẽ, seu argumento sumpto ex concursu ordinis naturalis. Nam vt Deus hunc concursum præbeat humanæ voluntati ad actus naturalis ordinis non est necesse vt talis concursus procedat ex absoluto, & efficaci decreto, quo Deus velit hominem hoc, vel illud velle; ergo neque ad præbendum simultaneum in ordine gratiæ est necessarium illud decretum. Consequentia probata est in lib. 3. quia licet concursus generalis gratiæ sit nobilioris generis in ordine entis; tamen in modo quo datur, vel effertur causæ secundæ, eandem proportionem seruat, quia nulla ratio diuersitatis intercedit. Quia ante hunc concursum gratiæ supponitur data voluntati omnis gratia necessaria, in actu primo complete ad volendum, & ita ei offertur concursus, vt in manu eius relinquatur ex parte sua concurrere, vel non concurrere, & sic etiam impedire, ne Dei concursus ad extra exeat; ergo seruat proportionem quoad modum concursus ordinis naturalis.

Iam ergo probatur antecedens inductione in actibus peccatorum: Deus enim non præber suum con-

concursum ad illos, præuolendo illos absoluto decreto, quo velit hominẽ habere talẽ actum, præsertim prius ratione, quàm præuiderit voluntatẽ hominis fuisse ad talem actum determinandam; id enim, & diuinæ sapiẽtiæ, ac bonitati repugnat, S. Patribus dicentibus, Deũ non prædestinare actus malos, & videre licet maximè in Prospero ad Gallos c. 1. & ad Vincentium c. 6. 10. & 11. Quid est enim prædestinare generaliter sumptum, prout ad singulos actus applicatur, nisi ex se absoluto, & efficaci decreto destinare, aut velle vt aliquid fiat. Non habet ergo Deus hoc decretũ circa actus malos, etiam vt sunt effectus quidã, & reales volitiones; quia vt ibi dixit Prosper, *Deus non inserit homini, aut dæmoni huiusmodi affectum, aut voluntatem.* Propter quod dixit etiam August. in Enchirid. c. 31. *Scriptum non esse, non est voluntas nisi à Deo, quia verum non est, licet omnis potestas sit à Deo.* Et propterea etiam sub diiunctione in eod. lib. cap. 95. dixit. Nihil fieri nisi quod Deus velit, aut volendo, aut sinendo, vt fiat, & alia multa loco allegato adduximus. Et in Prolegomeno 2. & in sequentibus agendo de prædefinitionibus, aliquid addemus. Præbet ergo Deus concursum ad reales actus peccatorum, sine illo præuio decreto suæ voluntatis, quo ex se absolutè velit talem hominem consensum præstare, sed solùm per voluntatem concurrendi, homine ipso cooperante, in quo tacita includitur conditio; ergo signum est, per se, & ex generali ratione concursus nihil aliud esse necessarium, ac subinde neq; in actibus bonis vel supernaturalibus illam necessitatem inueniri.

5. Et declarari potest, quia vt Deus faciat non oportet vt velit vel voluerit, quod alius facturus, sed satis est vt velit quod ipse facturus est. Nam vt Augustinus etiam dixit. Ea tantum prædestinat, quæ est ipse facturus lib. de prædestinat. sanctorum cap. 10. Ergo vt concurrat, satis est vt velit suum influxum, etiamsi non velit influxum voluntas humanæ, sed illam dari finat, vt citato loco dicit idem Augustinus, vel permittat, vt in aliis locis habet. Neque obstat quod in re hi duo influxus non distinguantur, quia nihilominus potest Deus mente discernere illam actionem, vt est à se, & vt est à voluntate creata, & ita illam velle quantum est ex se sub priori respectu, non tamen sub posteriori, sed tantum sinendo, aut permittendo, vel etiam optando, iuxta capacitatem materiæ, vt à voluntate humana fiat.

6. Probatur ab inconuenienti. Tertiò idem probamus præcipuè ab inconuenienti tractato cap. 11. Quia si ad consentiendum gratiæ vocanti necessarius est concursus Dei ad intra, sequitur eos qui carent tali concursu, simpliciter, & absolutè non posse consentire gratiæ vocanti; hoc autem omnino falsum est, vt sæpè diximus & probauimus, & ab aduersarius, sub his verbis non admittitur; ergo etiam est falsum tale decretum esse necessarium. Probatur sequela, quia supposita illa necessitate, ille, qui caret concursu in se recepto, nunquam habet illum in potestate sua; ergo nec cõsensum habet in potestate sua, ergo non fuit potens ad consentiendum. Qui enim simpliciter potest cõsentire, profecto habet consensum in potestate sua, quia non potest, nisi ratione huius potestatis; vt autem sæpe ex Aug. diximus id habemus in potestate nostra, quod si volumus, facimus, non potest autem hoc modo habere homo in potestate sua consensum nisi etiam habeat concursum Dei oblatum, ac proinde positum in sua potestate. Quia concursus ordinis gratiæ est simpliciter necessarius ad consensum supernaturalem; ergo qui non habet concursum in re ipsa si neque in sua potestate illum habet, ita infallibiliter detur, si velit, profecto neque consensum habet in sua potestate. Quod autem iuxta illam sententiam homo habeat concursum in sua potestate probatur, quia ipsi concursus nec datur nec dari potest sine illo decreto antecedẽte voluntatis Dei, vt in illa sententia supponitur, sed Deus non habuit tale decretum æternum circa hominem qui in tempore illum concursum non recipit; quia decretum illud cum sit efficax, & absolutum non caret effectu, neque homo potest aliquid facere, vt Deus habeat tale decretum; ergo nullo modo habet in sua potestate talem concursum.

Concursus ordinis gratiæ est simpliciter necessarius ad consensum supernaturalem.

7. Respondent decretum Dei non esse necessarium ad posse, sed ad agere, & ideo licet Deus non habuerit decretum, hominem posse agere, licet acturus non sit. Sed contra, quia vt supra de concursu dixi, licet in se tantum sit necessarius ad actionem, tamen habere illud oblatum, est necessarium ad potestatem agendi, non offertur autem per decretum Dei; ergo quod supponatur decretum in suo ordine sufficiens, est necessarium solum ad agere, sed etiam ad posse. Et declaratur facili, & humano modo ex illo axiomate. *Id possumus quod per amicos possumus.* Quo Diuus Thomas 1. 2. quæst. 129. art. 4. vtitur ad conciliandam libertatem arbitrij cum necessitate gratiæ. Illud enim axioma verum habet, quando, vel amicus paratus est ad auxiliandum, vel saltem auxilium eius ab altero potest impetrari, & obtineri. Si autem amicus omnino ex suo arbitrio decreuisset non adiuuare alium, neq; alter posset illum ab illa voluntate mutare, profecto non haberet in tali casu locum axioma illud. *Id possumus quod per amicos possumus*, & simpliciter esset homini impossibile, quod sine adiutorio talis amici facere non posset. In præsenti ergo applicatur illud axioma, quia licet causa secunda non possit suum effectum facere, sine concursu, seu adiutorio primæ, nihilominus simpliciter potest facere effectum suæ virtuti proportionatum, quia causa prima de re parata est ad concurrendum, & consequenter voluntate sua offert illi concursum, quia Deus non aliter est paratus, nec indiget alia præparatione, nisi voluntate sua. Vnde si absolutè, & efficaciter, ac ex se Deus ab æterno decreuisset non iuuare causas secundas in agendo, simpliciter non possent suos effectus producere, quia nec per se, nec per amicum, vt sic dicam, possent operari.

8. Aduertendum. Et ne quis tergiuersetur dicẽdo, quod semper intrinsecam suam potestatem retinerent, oportet aduertere sermonẽ esse de potentia simpliciter, & proxima, quæ includit omnia requisita in actu primo, seu in præparatione. Et vt nullus sit dubitãdi locus, maximè id est verum. Loquendo de potestate morali, quæ necessaria est, vt possit imputari non agẽti carentia actionis, si illam omittat. Ita igitur voluntas per gratiam excitata, & in actu primo sufficienter constituta, licet indigeat simultaneo influxu, & concursu gratiæ, nihilominus est simpliciter potens ad consentiendum, quia quoad influxum habitus, vel alterius principij proximi sibi inhærentis habet illam ad nutum suum, quia habitu etiam infuso, vel simili principio vtitur, cùm vult, quoad influxum vero Dei oportet, vt habeat illum ita paratum, vt infallibiliter detur, quantum est ex parte Dei; ergo è contrario si Deus non est ita paratus, nec nostra voluntas est moraliter potens, nec illi potest imputari, quod careat concursu, & consequenter neque quod careat operatione; ergo simpliciter, & humano modo loquendo non potest, quia sola potentia physica, quæ in illa manet, parum profecto refert ad liberam potestatem, cui carentia actionis imputetur. Confirmatur quia impossibile est, me habere in potestate mea effectum, nisi habeam actu, vel in mea potestate quidquid necessarium est, vt effectus fiat; quia si non habeam in mea potestate omnia necessaria, poterit effectus non sequi ex defectu prioris auxilij, vel concursus necessarij, magis quã

ex

ex defectu meo. Nam si decretum Dei est necessarium, & non ponitur, nec ego possum facere vt ponatur, cur potius meo defectui imputatur quod non sequatur talis effectus, quam defectui diuini decreti? Planè non video.

Quod autem Deus non sit paratus ad concurrendum, si necessarium est decretum illud, probatur multipliciter. Primo quia Deus non est paratus, nisi per aliquam determinationem liberam voluntatis suæ sufficientem ad effectum externum quantũ est ex parte Dei, tunc autem Deus non habuit talem determinationem, vt supponitur, nec denuo potest illam inchoare, vt est certum; ergo: Secundo eo ipso quod Deus non habuit illud decretum, habuit positiuum decretum non concurrendi tunc ad talẽ consensum, vel concurrendi ad aliquem contrariũ, quia Dei voluntas in suis decretis liberis non manet suspensa, sed inter opposita aliquid statuit, ergo repugnat Deum paratum esse ad cõcurrendum, facta hypothesi, quod non decreuit concurrere. Quis enim dicat Deum esse paratum ad dandum, vel faciendũ quod ex se absoluto decreto statuit non dare, vel facere? Tertio carentia talis concursus non potest moraliter imputari; ergo signum est, non esse in potestate, nec Deum paratum esse ad dandum illum. Antecedens patet, constituamus enim hominem sufficienter vocatum prius natura, quam voluntas eius ad consensum, vel dissensum determinetur, & quod Deus non decreuerit dare talem concursum sed alium, quid quæso facit homo, vt talem concursum recipiat? nihil certe responderi aut cogitari potest, quod ad rem pertineat.

Et hic applicari possunt omnia quæ in simili discursu diximus, de præuia determinatione inhærente homini. Nam reuera eadem est ratio de extrinseco decreto Dei, seu de concursu simultaneo, si ab illo decreto necessariò pendet, quia quod tale decretum nobis non inhæreat, sicut prædeterminatio in actu primo, parũ refert, si necessitas est eadem, & antecedens omnino ad nostram libertatem ita vt ab illa non pendeat poni, vel non poni tale decretum, vt reuera pendere non potest, si illud est antecedenter necessarium, & pro solo Dei arbitrio datur, vel negatur. Quia quando Deus habet tale decretum non est ex præscientia alicuius liberi vsus arbitrij, sed ante omnem præscientiam, vt illi authores consequenter dicunt: nec est propter aliquam dispositionem arbitrij positiuam, vel negatiuam quia vtraque supponit decretum concurrendi, vel non concurrendi Dei, vt facile patet ex supra dictis. Et hoc optimè declarat, & confirmat ratio supra tacta de concursu, quia si concursus datur per decretum absolutum determinatum ad vnum actum, nunquam voluntas est indifferens proximè ad plures actus, & proinde se habet ad alios omnes extra illum ad quem decreuit Deus concurrere, ac se haberet ad omnes, si Deus decreuisset ad nullum concurrere, tum autem nullum posset operari, nec liberè aliquem omitteret, sed omnibus ex necessitate careret; ergo & nunc necessitate caret illis ad quos Deus suo solo arbitrio decreuit non concurrere. Ergo in particulari loquendo de actu gratiæ, qui caret concursu ad illum, & habet determinatum concursum ad aliquem alium solum, non liberè, nec cum potestate morali actus gratiæ omittit. Ergo cum necessitate talis decreti non potest saluari potestas moralis, & libertas consentiendi in his, qui carent necessario concursu.

9. Eadem est ratio de cõcursu simultaneo, ac de præuia prædeterminatione inhærente homini.

Nec est simile de auxilio simultaneo, vt solet nobis obiici, si ponamus illud non pendere necessario, ac essentialiter ex illo decreto absoluto, sed ex alio inuoluente conditionem, quale nos explicuimus. Nam si concursus dari potest ex vi decreti cõditionati, optime intelligimus, quamuis homo sufficienter vocatus non recipiat actu simultaneum concursum, nihilominus Deum de se paratũ esse ad illum dandum, & habere circa talẽ hominẽ simile decretũ, quia stante tali decreto, stat non habere in re effectum, quia non est omnino absolutũ, & Deus ipse ita temperauit illud, vt cooperantet alio agere ad extra, non vero cooperonte non ageret. Est enim Deus maximè Dominus suæ potestatis quoad vsum, & suæ actionis ad extra, & ideo potest vno vel alio modo illam velle iuxta consilium voluntatis suæ. Et inde facile etiam intelligitur habere hominem sic vocatum in sua proxima potestate consensum, quia in genere causæ proximæ per vires gratię in se receptas, cum potentia obedientiali suæ voluntatis, potest illum consensum elicere, & per amicum, id est, per Deum, habet paratum concursum gratiæ, & ita habet illum in potestate sua, vt iam posita suppositione ex parte Dei ex suo arbitrio, & cõcomitante influxu penderet habere, vel non habere ad extra talem concursum. Est ergo longe diuersa ratio de auxilio etiam simultaneo pendente, vel non pendente à tali decreto, & ideo dicimus tale decretum non esse necessarium.

Vnde consequenter sequitur, nec prædeterminationem physicam per immediatum influxum Dei in actum consensus posse esse necessariam. Ac proinde cessat distinctio supra nobis obiecta. Nam siue illa sit possibilis, siue non (de quo statim) negamus esse necessarium ad liberum consensum supernaturalem auxilium simultaneum habens respectum ad tale decretum, quia ipsum decretum necessarium non est, & sine illo potest dari simultaneus consensus, seu auxilium in actione ipsa voluntatis inhibitum. Sicut autem dari potest ita verisimilius est, de facto dari, vel semper, vel frequentius, quia ille est modus magis accommodatus libero arbitrio, & nulla est ratio fingendi semper alium modum determinationis, si aliunde ex re ipsa, & ex dependentia, vel subordinatione causæ secundæ ad primam, vel ex peculiari conditione actuum gratiæ id non ostenditur. Occurrebat autem hic difficultas, quia sequitur, aliquid fieri in rerum natura sine voluntate Dei, saltem efficaci, & absoluta ipsius effectus, vtiq; actus liberi. Facile verò respondetur negando sequelam, quia quod fit volente Deo ad id concurrere, non fit sine voluntate Dei, siue det concursum per antecedens decretum absolutum, siue per concomitans ex parte obiecti, vt in lib. 3. explicaui. Nam D. August. locis citatis prius absolute dixit, nihil fieri, nisi quod vult Deus, & postea addit, vel volendo, vel sinendo vt fiat.

Difficultas

Solutio

Vnde ad secundam partem duplex distinctio est adhibenda. Vna est de malis actibus, vel bonis. Nã de malis concedimus, & omnino affirmamus fieri sine beneplacito Dei, & ipso non volente absolutè & efficaciter, vt actus fiat, siue prius ratione, quam illum futurũ esse præsciat, siue etiam postquã illum futurum esse prænouit, quia sibi nullo modo placet, nec illum simpliciter vult, sed vellet potius non fieri, licet noluerit illum impedire, nec concursum ad illum negare, & postea illũ ad pœnam, vel ad aliquod bonum ordinet. In bonis autẽ actibus, & præsertim supernaturalib⁹, triplex volũtas Dei distinguenda est, vtiq;, intentionis, executionis, & complacentiæ, prima antecedit effectionẽ actus, & non est proximũ principiũ physicum eius: secunda comitatur actũ modo supra explicato in lib. 3. Tertia subsequitur actũ iam præuisum absoluta scientia visionis, de qua dictũ est. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Dico ergo factum bonum, & gratiæ fieri posse sine præuia Dei voluntate absoluta exequente, quia sufficit voluntas concomitans virtute conditionem includens. Nunquam verò fit sine voluntate beneplaciti Dei consequente, & probabile est

10.

maximè quoad actus gratiæ non fieri sine decreto absoluto diuinæ voluntatis, per modum intentionis antecedentis, quæ ad ordinē prædestinationis, non executionis pertinet. Sed de hoc decreto, quomodo à voluntate exequente differat, & cur minus repugnet arbitrij humani libertati, sæpe iam dictum est, & infra magis declarabitur.

CAPVT XXIV.

Vtrum auxilium efficax prædeterminans physicè voluntatem influendo immediatè in actum eius liberum possibile sit.

1. IN superiori capite vidimus, necessitatem huius auxilij repugnare quoad specificationē circa supernaturales actus, id est, non relinquere potestatē moralem faciendi illos in his, quibus tale auxilium denegatur, nunc videndum est, an tale auxilium datum repugnet libertati quoad exercitium, & ideo possibile non sit saltem salua actus libertate. Aliqui enim moderni Theologi qui nobiscum sentiunt in his quæ hactenus contra physicam prædeterminationem auxilij efficacis diximus, in hoc puncto docent, hoc genus physicæ prædeterminationis non repugnare cum libertate actus, ideoque non solùm esse possibile, sed sæpe etiam dari præsertim ad quasdam miraculosas, & efficacissimas conuersiones vt Pauli, Matthæi, Magdalenæ & similum, vel ad actus, qui ex quadam singulari gratia, & priuilegio conceduntur, vt fuerunt fortasse omnes actus Beatissimæ Virginis in via, præsertim vero ille qui Angelicæ annuntiationi assensum præbuit. Et hanc existimo fuisse opinionem F. Ioannis Vincent. quantum ex his, quæ & Ledesma refert, & ab aliis audiui, coniectare possum. Nam vt supra dixi, eius scripta videre non potui. Eandem sententiam P. Lorca ex professo docuit nouus quidam Scriptor non indoctus, & constanter affirmat esse doctrinam D. Thomæ & Scoti, imò & S. Augustini. Sed de auctoribus infrà dicam, nunc de vocatione tantum, vel physica, vel Theologica ex principijs fidei agendum est.

Theologi quidā moderni, quid in hoc puncto doceāt.

1. *Quodnā sit fundamentum huius sententiæ.*

Fundamentum huius sententiæ videtur esse, quia licet vt homo supernaturalem consensum præbeat, necessarium non sit, vt Deus ex voluntate efficaci, & omnino absoluta illum moueat auxilio illo simultaneo, non tamen videtur dicendum Deum id facere non posse. Prò quia multum derogat omnipotentiæ Dei, nam vt D. Thomas 1. p. q. 19. art. 8. & 1. 2. q. 10. art. 4. & sæpe alias docet, diuinæ potentiæ non tantum subsequitur actus voluntatis, sed etiam modus eius, vtique quod liberè fiat; ergo potest Deus de absoluta sua potentia efficaciter velle, & exequendo facere, vt voluntas humana consentiat. Vnde Augustinus in Enchiridio. cap. 95. *Tunc* (inquit) *in clarissima luce sapientiæ videbitur, quod nunc piorum fides habet, antequam manifesta cognitione videatur quam certa & immutabilis, & efficacissima sit voluntas Dei, quam multa possit, & non velit, nihil autem velit quod non possit, quamque sit verum quod in psalmo canitur. Deus autem noster in cælo & in terra omnia quæcunque voluit, fecit, quod vtique non est verum si aliqua voluit & non fecit. Et quod est indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impediuit.* Non est autem minus indignum de Deo sentire non posse velle efficaciter aliquid fieri, à voluntate hominis, ne forte hominis voluntas impediatur, ne Dei voluntas impleatur. Vnde cap. 103. *Rogandus est Deus vt velit, nam si velit, necesse est fieri quod voluerit*, vtique & modo etiam quo voluerit; ergo potest Deus habere illud decretum, & per illud determinare efficaciter voluntatem hominis, vt velit, & libere velit, sicut eam Deus velle voluit, illa autem prædeterminatio non fit nisi per auxilium simultaneum, vt manans ab illo decreto, quia supponimus Deum aliud præuium non influere,

Secundò argumentor quia Deus potest prædefinire absoluto decreto actum liberum hominis ante absolutam præscientiam eius, vt nunc supponimus; ergo etiam potest illam suam voluntatem exequi per similem voluntatem efficacem exequendam. Probatur consequentia, quia aliàs executio non esset æquè efficax, ac infallibilis, ac ipsa intentio. Dices: ex parte executionis sufficere voluntatem concomitantem cum præscientia conditionata, quod ex parte voluntatis humanæ non deerit coefficientia, & influxus, si tali, vel tali modo excitetur & moueatur. Sed contra quia hic modus licet forte aliquando sufficiat, non potest in vniuersum satisfacere, quia fieri potest vt Deus per conditionatam scientiam præuideat voluntatem hominis quocunque modo hic, & nunc excitetur, tam ex parte obiecti, quam per motiones præuenientes in ipsamet voluntate de se nunquam esse consensuram, nisi ex parte ipsiusmet consensus determinetur. Cum enim contingens sit an voluntas in tali, vel tali occasione ex se consensura sit sine alia prædeterminatione, contingere etiam poterit, vt in nulla occasione sit consensura, & quod id præuideat Deus. Ergo tum vel admittenda est possibilis prædeterminatio physica, per absolutum decretum executiuum Dei, vel concedendum est in aliquo casu Deum non posse absolutè decernere, vt fiat actio libera, quod videtur absurdum, & alienum ab illa omnipotentissima potestate, quam, teste Augustino, Deus habet ad corda hominum inclinanda.

Tertiò quod caput est, in hoc apparet repugnantia, quia Deus per illam voluntatem absolutam non inducit aliquem actum primum prædeterminantē voluntatem, sed præbet tantum actualē motionē, quæ nihil aliud est, quàm ipsamet actio, & operatio voluntatis; hæc autem motio non fit in voluntate sine actuali cooperatione eiusdem voluntatis; ergo necessitas, quę per talem motionem inducitur, non est necessitas antecedēs, sed comitans, seu subsequens ex ipsamet cooperatione libera voluntatis; ergo non repugnat libertati iuxta principia supra posita. Aliàs nullius esset actus liber, quia quoties voluntas operatur, hæc determinatio, & necessitas, operatione ipsa inducitur, quia vero ipsamet voluntas illi cooperatur, ideo optimè stat cū illa necessitate libertas; ergo idem est in præsenti detetminatione, quam Deus facere potest per actū secundum, quia non faciet illum sine cooperatione libera voluntatis; ergo ex parte libertatis non est repugnantia; ergo cum aliunde esse non possit, non est diuinæ omnipotentiæ denegandum. Et confirmatur tandē, quia Deus est primus auctor naturæ, & inclinationum quæ naturam sequuntur; ergo sicut præbet inclinationes innatas, ita potest præbere elicitas; ergo voluntas humana subest diuinæ, etiam quoad inclinationes elicitas per actus liberos. Et hæc ratio dicitur sumpta ex D. Thoma 1. 2. q. 9. art. 6. in corp. & ad 3. & q. 10. art. 4. & 1. p. q. 105. art. 4. & q. 111. art. 3. & 4.

Nihilominus est secunda sententia huic extremè contraria simpliciter negans, esse possibilem talem modum prædeterminationis, etiam liberum vsum voluntatis humanæ impediendo. Vt enim hęc opinio intelligatur, aduerto, duplicē hic esse quæstionem, vna est simplicior, & abstractior, an Deus solum concurrendo cū voluntate auxilio simultaneo

& nul-

& nullam mutationem distinctam, ac propriam illi imprimendo, possit illam prædeterminare ad vnum: Alia est magis composita, & contracta, an possit Deus illo modo prędeterminare voluntatem ad actum liberum seruato modo libertatis eius, vel tantum eam necessitando. Auctores ergo huius secundæ opinionis etiam in priori quæstione repugnantiam credunt inuolui in terminis, & ideo non posse Deum illo modo prędeterminare voluntatem ad vnum actum, & exercitium eius immediatè imprimendo ipsum actum secundum, sine alia præuia motione determinante. Potestque hæc sententia suaderi, quia si est prædeterminatio à Deo facta, est natura prior quam influxus voluntatis, si vero est per concursum simultaneum, illi repugnat vera prioritas naturæ, quæ in ordine causalitatis fundetur, vt sæpe ostensum est. Sicut ergo repugnat idem respectu eiusdem esse prius natura, & non esse prius, ita repugnat fieri prædeterminationem per auxilium simultaneum. Item motio Dei vt sit vera prędeterminatio, debet esse à solo Deo; sed repugnat motionem quæ fit à Deo per concursum simultaneum esse à solo Deo, quia illa eadem motio & actio dicit essentialem habitudinem ad liberum arbitrium, vt sæpe ostensum est; ergo repugnat esse prædeterminationem per auxilium simultaneum solum. Consequentia cum minori nota sunt. Maior probatur, quia si motio non fit à solo Deo, erit simul à voluntate; ergo voluntas influit in illam motionem non vt præexistens ordine naturę determinata, quia prius natura, quam influat nihil à Deo sola accepit quo determinetur, vt supponitur; ergo per illummet influxum, quo ipsa voluntas influit in illam primam motionem, seipsam determinat concurrente Deo; ergo ex parte Dei non est vera prædeterminatio causalis, vt sic dicam, sed solum condeterminatio simultanea quæ non solum possibilis, sed etiam necessaria est in omnibus actibus liberis, & ęquiuocè dicetur prędeterminatio ratione excellentiæ, & independentiæ, non ratione prioritatis naturæ, in causalitate fundatæ, vt in cap. præcedenti declaraui. Ergo vt sit specialis prędeterminatio facta à solo Deo, oportet vt à solo Deo fiat, in voluntate prius natura, quâ ipsa quidquam faciat. Ergo repugnat fieri per solum simultaneum concursum. Et ideo multi ex his qui hanc prædeterminationem dicunt fieri per ipsum actum immediate, distinguunt aliquam actionem formaliter distinctam, quam solus Deus facit, & natura priorem quam sit actio voluntatis. Sed hæc sententia intelligi non potest, nec explicari, vt patet ex discursu capitis superioris. Et præterea habet eandem repugnantiam cum libertate actus, vel maiorem quam motio prædeterminans in actu primo, vt à fortiori probant omnia dicta cap. quæ facile hic explicari possunt. Igitur in ipsomet actu voluntatis, nihil ex parte Dei inuenitur nisi auxilium, seu concursus simultaneus imbibitus in actione ipsius voluntatis quæ non fit sine inflexione, vt sic dicam, eiusdem voluntatis ad eandem actionem, & ideo non videtur esse posse prædeterminatio vera ex parte Dei.

6. Neque videtur satisfacere responsio, quæ ex dictis in capite præcedenti sumi potest per distinctionem illius auxilij simultanei, vel secundum se spectati, vel vt procedit à decreto absoluto voluntatis Dei efficaciter præuolentis, vt voluntas humana hoc velit: & quod priori modo non prædeterminet prout ratio facta probat. Secundo autem modo posse prædeterminare, non ratione sui, sed voluntatis Dei quæ præcedit. Hoc inquam, non videtur satisfacere. Primo quia licet fingatur ille concursus simultaneus procedere ab illo absoluto decreto diuinæ voluntatis, de illo procedit ratio facta, quod in re non habet prioritatem respectu influxus voluntatis, nec fit sine ipsa se determinante & ad illam partem flectente, vnde non potest habere causalitatem in ipsam voluntatem, quæ faciat ipsam facere, cum actio illa prius fiat ab ipsa voluntate, quam possit illam determinare vt faciat. Deinde ille concursus simultaneus consideratus, vt fluens ab speciali decreto voluntatis Dei, nihil in se amplius habet, quam similis concursus procedens à generali decreto concurrendi, & inuoluente conditionem, si voluntas velit; sed hic posterior concursus non prædeterminat, vt supra declaratum est & dicti Auctores nobiscum fatentur; ergo nec prior potest prædeterminare. Probatur consequentia, quia illa habitudo ad voluntatem Dei efficacem solum est quædã determinatio extrinseca in ipso concursu Dei: sed sola determinatio extrinseca non sufficit ad specialem effectum realem: ergo nec ad prædeterminationem voluntatis satis esse potest, quia hæc prædeterminatio aliquis effectus realis est.

His verò non obstantibus, quòd ad partem contrariam sentio. Vnde dico primo posse Deum, per absolutum decretum executiuum suæ voluntatis ita prœuenire hominis voluntatem, vt illam prędeterminet ad volendum, quod Deus vult, eam velle, etiamsi nihil agat in ipsam volũtatẽ hominis præter actum ipsum consentiendi, ad quem ipsa etiam voluntas hominis concurrit. Hoc probant argumenta prioris sententiæ magna ex parte, & idẽ cõfirmãt quæ in primo Prolegomeno adduxi ad probandum posse Deum nostrãm voluntatem necessitare immediate per efficaciam suæ voluntatis quæ necessitas non est sine aliqua prædeterminatione. Vnde si ratio facta pro tertia parte probaret efficiter, non posse Deum hoc modo prædeterminare voluntatem, à fortiori probaret non posse illam necessitare, quod videtur multum derogare omnipotentiæ Dei. Quia reuera nulla sufficiens ostenditur repugnantia, quia in eo casu dicendum est, prædeterminationem principaliter procedere à decreto absoluto, & efficaci voluntatis Dei, quod tunc præcedit ordine causalitatis, comparandas diuinam voluntatem, & humanam inter se, licèt in ordine ad actionem, vel effectum non prius natura influat diuina voluntas quam humana.

Hæc enim duo non repugnant, quod facilè patebit inchoando ab vltima replica proxima facta. Prosecunda opinione. In qua falsum est, quod sumitur nimirũ nihil plus esse in concursu, seu influxu Dei simultaneo dato ex absoluto decreto prædefinitiuo simpliciter talis effectus, vel dato ex decreto includente conditionem, quia licet in hoc conueniant, quod influxus ab vtroq; prouenientis sit simultaneus cum influxu voluntatis, & in re ab illo nõ distinctus, nihilominus necesse est, vt illi duo influxus in se sint distincti in modo suo, & in efficacia sua, alias non posset magis vnus prædeterminare, quã alius, vt rectè probat discursus factus, & in simili probatum est etiam in dicto prolegomeno 1. Nec est quod dicamus non posse Deum variis & pluribus modis concurrere cum voluntate auxilio simultaneo, ita vt vnus sit attemperatus, vt ita dicam, indifferentiæ voluntatis, & quasi subiectus potestati eius, alius sit præternaturalis voluntati eiusque potestati non subiectus, & prior sit voluntate Dei, qua solũ vult cõcurre quasi sub conditione, si à voluntas hominis sese accõmodare voluerit, alias verò sit à voluntate absolutè volẽtis ita agere, vt omnino volẽtas humana subsequatur, ita vt resistere non possit.

Et ita quantum ad hanc partem attinet, facile solũitur fundamentũ secundæ sententiæ. Ad primam ergo eius partem nego in omni prædeterminatione ad extra necessarium esse, vt sit prior natura, quam actio voluntatis: satis enim esse potest, quod procedat à prædeterminatione ad intra, præ-

cedenti-

cedente ordine efficaciæ, & causalitatis respectu humanæ voluntatis, quam vult illo modo trahere ad operandum. Ad alteram vero partem dico, prædeterminationem in actu primo per se postulare, vt à solo Deo fiat: non est autem hoc necessarium in hac prædeterminatione actus secundi, quia non dicetur prædeterminatio eo quod prius natura determinet voluntatem quam ipsa agat, sed quia illa actio prout à Deo fluit in voluntate, talis est, vt non subdatur indifferentiæ, seu potestati voluntatis, & quia illum modum habet ex influxu causæ prioris, & potissimæ, & antecedentis in volendo efficaciter, ideo talis actio, vt est à Deo dicitur prædeterminatio. Ad vltimam denique partem iam responsum est, non differre hunc influxum ab alio non prædeterminante, in sola denominatione extrinseca, sed per intrinsecam entitatem, seu modum suum, ratione cuius habet, vt non subdatur potestati voluntatis.

10. Non potest Deus per suam voluntatem efficacem prædeterminare voluntatem hominis immediatè influendo in illam ipsum actum, nisi necessitando illam.

Probatur 1.

Exhis verò concludo, & dico secundò contra primam sententiam. Non potest Deus per suam voluntatem efficacem prædeterminare voluntatem hominis immediatè influendo in illam ipsum actum, nisi necessitando illam, ideoq; impossibilis est talis prædeterminatio secundū consensum voluntatis, seruato simul modo libertatis in ipso. Probatur primò, quia Deus per huiusmodi voluntatē suam efficacem, & influxum ab illa manantem potest necessitare voluntatem humanam, sed inter illam necessitatem, & hanc prædeterminationem, nullum medium constitui vel discrimen assignari potest; ergo sicut talis necessitas, non potest esse sine prædeterminatione, ita neque talis prædeterminatio sine necessitate. Consequentia etiam est. Maior probata est in Prolegom. 1. & probatur optimè testimoniis & rationibus primæ sententiæ. Vnde si ad illam defendendam Auctor eius negauerit posse Deum decreto suo necessitare voluntatem eneruat rationes suas, veriusque derogat ipse omnipotentiæ Dei, quam id nobis obiiciat. Quia in hoc quod actio Dei ita determinet voluntatem, vt libertatem operandi ei non relinquat, nulla involuitur repugnantia, vt ex terminis ipsis videtur per se notum, quod autem simul determinat & relinquat liberam actionem, præ se fert statim repugnantiam, quam esse veram ostendimus, probando minorem rationis factæ, scilicet, inter talem prædeterminationem, & necessitatem, nullum inueniri discrimen, aut medium. Quia ex parte Dei idem decretum efficax antecedit, & ex parte influxus ad extra immissus voluntati humanæ etiam est conuenientia in hoc quod neuter subditur potestati; ergo.

11. Respondeti potest esse distinctum ratione decretum Dei in vno, & in altero casu: nam in vno vult voluntatem velle liberè, in altero vult velle cum necessitate. Sed contrà; quia si vtrumq; decretum est absolutum, & efficax quoad hoc, vt voluntas creata velit, & est decretum executiuum ad extra quod vi sua facit, quod vult, impossibilis est illa differentia. Probatur, quia si consideretur efficacia illa talis decreti, æquali necessitate ex illo sequitur hic effectus, qui est creatam voluntatem velle, quia vtraque est necessitas in sensu composito, & ex tali suppositione antecedente, vt æquè impossibile sit voluntati creatæ resistere vtrique decreto; ergo non magis vna necessitas quam altera repugnat libertati; ergo non magis per vnum decretum vult Deus hominem operari quam per aliud; Si ergo per vnum infert necessitatem contrariam libertati, etiam per aliud. Quocirca vt sic Deus necessitet, non oportet, vt modo nostro intelligendi vel loquendi ponatur necessitas ex parte obiecti, vt cum dicitur, velle, vt voluntas hominis velit necessario, sed eo ipso quod ponitur Deus velle absolute, vt homo velit, eadem necessitate sequitur volitio in homine, quia impossibile illi est, tali voluntati Dei resistere. Quod si hæc necessitas directè volita à Deo contraria est libertati hominis, profecto etiamsi non fingatur directè & quasi in actu signato volita, sed in actu exercito, eque repugnabit libertati, quia eiusdem rationis est, & in eadem efficacia antecedente fundatur. Vnde è contrario inuoluitur repugnantia, cum fingitur decretum eiusdem efficaciæ respectu actus volendi, coniungendo in eodem actu ex parte obiecti modum libertatis, quia non potest efficacia actus esse contraria obiecto suo; ergo cum talis & tanta sit efficacia actus, vt inducat necessitatem contrariam libertati, vt de alio actu similis efficaciæ conceditur, impossibile est in obiecto eiusdem actus ponere modum libertatis.

12. Probatur 2. ex parte auxilij.

Secundò principaliter id probatur ex parte auxilij, quo mediante Deus exequitur tale decretum, quia non potest Deus efficaciter voluntatem nostrā determinare, ex vi sui interni decreti, nisi aliquid in nobis ponendo, quo talis determinatio fiat, quia illud decretum, vel omnipotentia Dei per illud applicata, est proximum principium efficiens talem determinationem; ergo aliquid debet ab illo principio prodire efficienter, & in homine intrinsecè recipi, quo talis determinatio fiat. Sicut enim supra Prolegom. 1. probaui voluntatem humanam non necessitari à diuina per solam extrinsecam denominationem, seu quasi sympathiam, sed necessariam esse aliquam mutationem intrinsecè factam in humana voluntate per propriam; & per se efficientiam voluntatis diuinæ, ita in præsenti dico determinationem hanc, quæ efficienter fieri dicitur per voluntatem Dei absolutam, aliquid esse debere per se factum à Deo, & intrinsecè receptum in voluntate. Quia illa determinatio non est denominatio extrinseca, & est aliquid quod ante actionem Dei voluntas humana non habebat, sicut etiam de necessitate diximus.

13. Deinde iam supponimus, id, quod Deus facit ad determinandam voluntatē, non esse aliquem actū primū, nec motionem præuiā in reipsa distinctam ab actu secūdo voluntatis. Præterea esse non potest ipsemet actus secundus, vt prius factus à solo Deo, tum quia ostendimus in illo actu non esse plures actiones, vnam solius Dei, & aliam voluntatis simul & Dei, tum etiam, quia id repugnat actui vitali, tū præterea, quia voluntas non faceret suum actum eliciendo, & educendo illum de non esse ad esse, sed iam à Deo factū quasi iam foueret, & conseruaret, seu actum ageret: tum deniq; quia inde euidentius sequitur necessitas absoluta voluntatis, quā ex impressione auxilij in actu 1. physicè prædeterminantis, quia illa actio solius Dei esset suppositio simpliciter antecedens, & ex illa ineuitabiliter sequeretur consensus, seu illa secunda efficientia voluntatis. Superest ergo vt illa determinatio vt est aliquid inhærens voluntati, necessario ponenda sit in aliquo auxilio simultaneo talis naturæ, & conditionis, vt non subsit dominio, & libero vsui voluntatis; ergo tale auxilium non potest distingui à simili auxilio necessitante, seu non potest in eodem distingui ratio prædeterminandi, & ratio necessitandi.

14. Prima ex his duabus illationibus apertissimè probatur ex dictis hîc, & in dicto prolegomeno primo, quia si illud auxilium secundum se spectatum subesset dominio voluntatis, non obstante quacunque determinatione interna diuinę voluntatis dandi voluntati humanæ tale auxilium, posset voluntas humana etiam posita illa hypotheti non se inclinare, sed suspendere suum influxum, & consequēter posset actus non sequi, nec auxilium illud ad extra poni quod repugnat efficaciæ diuinæ voluntā-

tis. Sequela patet, quia nullo alio modo influxus voluntas, vel oblatus ex parte Dei subest dominio voluntatis hominis, nisi quatenus non obstante illa voluntate Dei, in volũtate hominis manet potestas ad suspendendum suum influxum. Repugnat ergo Deum ex absoluta efficacia sua velle ita coagere cũ voluntate hominis, vt omnino infallibiliter cooperetur, nisi talem modum concursus illi præstãdo, respectu cuius non habeat voluntas creata potestatem sustinendi suum influxum, seu detinendi, vt sic dicam, cooperationem suam, & hoc ipsum est tale auxilium non subdi potestati voluntatis.

14. Hæc autem est necessitas absoluta respectu volũtatis, & consequenter repugnat libertati actus. 1. quia illa impressio eminenti quodam modo incipit antecedenter à Deo respectu humanę voluntatis, & hæc non potest illi resistere, nec suum influxum sustinere, vt declaratum est. Secundò, quia libertas quoad exercitiũ posita est in potestate suspendendi actum, vel per positiuum actum nolendi agere, vel per negatiuam suspensionẽ interpretatiuè voluntariam, ita vt hæc potestas intelligatur manere etiã post oblatum concursum ex parte Dei. At in eo casu talis potestas non relinquitur voluntati, vt satis declarauimus; ergo nec relinquitur libertas quoad exercitium. Maior quoad priorem partem ex terminis nota est, quoad posteriorem autem, scilicet, quod illa potestas manere debeat etiam ex suppositione concursus oblati ex parte Dei, patet, quia debet esse potestas proxima, qualis requiritur ad vsum libertatis, & non est potestas proxima donec habeat paratũ concursum ex parte Dei: nã si prius natura cõsideretur voluntas, nõ habebit potestatẽ suspendẽdi actũ morali modo, sed habebit impotentiam ad habendũ illum; ergo si talis offertur concursus voluntãti, quo oblato non est in potestate eius suspendere suũ influxũ, non liberè, sed ex necessitate simpliciter suum prębet concursum. Deniq; isto modo explicuimus in dicto prolegom. 1. vim diuinæ voluntatis ad inferendã immediatè per se se ipsam absolutã necessitatẽ voluntati humanæ, nec cum minori necessitate intelligi potest concursus simultaneus datus voluntati humanæ, cũ qua illa omnino determinetur; Ita vt non valeat iam suum influxũ suspendere; ergo non potest in re distingui talis determinitio à necessitate, nedum ab illa separari.

15. Tertiò idem probamus ex cõparatione huius determinationis ad alteram, quæ fit per impressionẽ actus primi physicè determinantis: nam de hac ostendimus, si in actu primo præcedat, non posse relinquere libertatẽ quoad exercitiũ in actu 2. in quo Theologi cum quibus nunc disputamus nobiscum consentiunt; ergo idem dicendum est de hac prędeterminatione in actu secundo. Prob. conseq. quia hi duo modi præderminandi conueniunt in hoc q̃ in vtroq; habet voluntas humana quandam necessitatem eliciendi aliquem actum prouenientem ab aliquo principio extrinseco antecedente, cui ipsa non potest resistere, vel non cooperari illi, solumq; in hoc differunt, quod in priori principium proximum actus secundi, à quo prouenit determinatio illa repugnans libertati, præcedat in voluntate natura; inhærendo illi, in hoc verò secundo modo principium proximè determinans humanam voluntatem ad actum secundum, non præcedit inhęrendo voluntati, sed quasi intimè assistendo: est. n. increata virtus diuini decreti intimè assistẽtis voluntati ad prædeterminandã illam in suo actu. Hęc verò differentia respectu necessitatis illatæ voluntati quasi materialis est, & modum necessitatis non mutat neq; minuit; ergo si vna determinatio est cõtraria libertati, etiã altera. Minor declaratur, & probatur, quia præmotio inhærens voluntati, illamq; in actu 1. determinans, non alia ratione tollit libertatẽ in actu secundo, nisi quia in influxu, quẽ præbet in actu 2. non subditur potestati voluntatis, sed potius subiicit sibi, ita vt considerando constitutũ illud ex voluntate, & tali præmotione, licet actio ab illo compositio simul, & adæquatè procedat, nihilominus cõparando inter se illa duo principia, præmotio est quodãmodo prior comparatione voluntatis, & illam secum ineuitabiliter ducit: sicut è cõtrario quando voluntas operatur per habitũ infusum, licet actio adæquatè, & simul procedat ab illo constituto ex potẽtia, & habitu, tamen comparãdo inter se illa duo principia, volũtas est prior, & quasi vtitur habitu, qui in agẽdo illam ineuitabiliter comitatur, & hinc fit vt hæc motio sit libera, illa verò necessaria. At vero quod præmotio facit cũ inhęrẽtia, decretum Dei fortius, & efficacius facit sine inhærentia, coniungitur. n. volũtati hominis, & extroq; adęquatũ principium proximũ talis actionis in quo principio cõparando diuinam voluntatẽ ad humnanã, diuina est prior, & ab illa eminenti quodãmodo incipit actio per talẽ influxum, cui volũtas humana non potest resistere, nec suũ influxũ cõtinere, vt illi non cooperetur. Deniq, voluntas diuina tunc vtitur humana modo quodã ineuitabili ipsi voluntati humanæ; ergo est eadem, vel maior necessitas, quia hæc necessitas nõ cõsistit in inhærentia sed in illo modo trahendi voluntatẽ ineuitabiliter ad consensum: vel certè sicut in priori modo dicitur voluntas prædeterminata in actu primo per entitatem auxilij, ita in hoc posteriori dici potest eminenti modo prædeterminata in actu primo per omnipotentiam, & voluntatem Dei absolutam assistentem illi ad vtendum illa ad talẽ modũ agendi, qui eius indifferenti potestati nõ subdetur. Est ergo hæc vera necessitas libertati contraria. Quod magis respõdendo ad motiua cõtrariæ sentẽtię constabit.

Ad primum respondemus ad omnipotentiam Dei pertinere, vt possit hominis voluntatem trahere, & mouere quo voluerit, omnibus modis simplicibus, vt ita dicam, id est, non includentibus simul aut repugnantes, & contradictorias conditiones. Et hoc modo meritò docet D. Thomas ad omnipotentiam Dei pertinere, vt faciat voluntatem operari non solum substantiam actus, sed etiam modum libertatis eius. Ad eandem verò potentiam quæ sapienter omnia operatur, pertinet, vt cum vult hominem liberè operari, applicet media consentanea, & non repugnantia libertati operationis, modus autem determinandi voluntatem per solam efficaciam omnipotentiæ suæ non est accommodatus libertati operationis, sed illi repugnans, vt ostensum est, & ideo si Deus velit vti illo modo, etiam ille cadet sub omnipotentiam suam, tamen eo ipso volet vt humana voluntas ex necessitate operetur, non liberè, quia volet, vt operetur ex necessitate immissa, à causa primaria, quæ est necessitas repugnans libertati.

Et sic etiam verissimum est, quod ait Augustinus vt voluntatem hominis non posse impedire, vt non fiat, quod Deus absolutè voluit hominẽ velle. Sed oportet discernere, quid & quomodo velit Deus, vt iudicetur, qualis sit etiam impotentia ex parte hominis, & an necessitas inferatur contraria libertati, necne. Nam si Deus antecedenter, & ex se efficaciter, & absolute vult hominem velle, & id operari per absolutam efficaciam omnipotentiæ suæ tunc non potest velle, vt homo liberè velit, quia non potest velle contraria. Vnde tunc homo ineuitabiliter id volet, tamen ex necessitate absoluta volet, & non liberè, quia ex impotentia intrinseca, & antecedente (vt ità dicam) non potest impedire quin fiat, quod voluit omnipotens. Si autem Deus simul absolute velit, hominem velle & liberè velle, iam non id volet fieri ex sola efficacia omnipotentiæ

tiæ suæ, nec volet per hoc ipsum determinare voluntatem hominis, sed intendit alijs modis contentis, in thesauris sapientiæ suæ, & potentiæ illam inducere, vt velit, & tunc etiam homo infallibiliter volet, quod Deus voluit, & non poterit impedire voluntatem absolutam Dei, nihilominus tamen liberè volet, quia non ex antecedente prædeterminatione efficaci, sed alio modo accommodato libertati inducetur, qui modus non ex sola omnipotentia, sed etiam ex præscientia aliqua habebit infallibilitatē, & ita illa necessitas non erit antecedēs, sed consequens, vt in sequentibus explicabimus.

12. Ad secundum rectè ibi responsum est, vt ex proxime dictis constat. Ad replicam autem ibi factam, imprimis dicimus, quod in ea supponitur ita esse impossibile, vt nunquam contingat. Vnde Augustinus quæst. 2. ad Simplicianum, ad omnipotentiam, & omniscientiam Dei pertinere credit, vt non desit illi modus ita vocandi hominem, vt infallibiliter velit, quod Deus voluit eum velle, non ex prædeterminatione, sed ex congruitate vocationis. Sic enim ibi pro illis omnibus qui ita vocantur, vt non consentiant, hanc generalem regulam statuit. *Si vellet Deus illorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, vt & moverentur, & intelligerent, & jequerentur.* Et pro alijs contrariam ponit regulam. *Cuius misereturſic eum vocat, sicut scit ei congruere, vt vocantem non respuat.* Vnde subdit inferius. *Cum ergo alius sic, alius autē sic moueatur ad fidem, eademque res sæpe alio modo dicta moueat, & alio modo dicta non moueat, eliumq; moueat, alium non moueat, quis audeat dicere, defuisse Deo modum vocandi quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque coniungeret in qua Iacob iustificatus est?* Vbi pondero non dixisse Augustinum non defuisse Deo modum, quo voluntatem Esau ipse determinaret, sed quo ita vocaret Esau, vt ipsemet Esau mentem suam applicaret, voluntatemque coniungeret. Loquitur ergo de modo vocationis congruo ei, qui vocatur, & à Deo præscito & de hoc interrogat Augustinus. *Quis audeat dicere Deo defuisse?* Sentiens nullo modo admittendum esse casum, in quo impossibilis sit Deo talis vocatio. Et ratio est, quia licet quælibet vocatio singularis, & determinata non habeat de se infallibilem, sed contingentem effectū, nihilominus cum Deus infinitis modis possit vocare, confusè, & indeterminatè loquendo, impossibile est, non esse aliquam vocationem habituram effectū quam Deus pro infinita scientia distincte, & in particulari novit, & pro sua omnipotētia facere potest

19 Instantiæ occurritur. Deinde vero si arguens vrgeat, vt casum admittamus. Illo posito respondemus, in eo nihil aliud supponi, nisi dari voluntatem hominis ita dispositam, vel affectam in aliquo casu vt consensura non sit, quocunque modo alliciatur, vel attrahatur, donec necessitetur, perinde enim est dicere non esse consensuram, nisi per efficaciam extrinsecam Dei determinetur, quod arguens supponit, & dicere non esse consensuram, nisi necessitetur, nam vt probaui illa duo idem sunt. Sicut ergo arguens dicit ex illa hypothesi; Deum nō posse absolutè velle, vt ille homo consentiat, nisi volendo etiā prędeterminare physicè, eius voluntatē ex parte ipsius, præter omnem motionem moralem, ita nos dicimus, non posse Deum tunc velle absolute, vt homo ille consentiat, nisi volendo, vt saltem necessario velit, cum præsciat nullo modo esse libere voliturum.

20. Respondetur ad tertium. Ad tertium iam ostensum est, in eo genere determinationis inuolui repugnantiam cum libertate. Prima vero probatio contra hoc inducta non est solida, quia licet hæc determinatio fiat per ipsammet operationem, quæ simul à voluntate hominis fit, includere potest necessitatem contrariam libertati. Nam etiam quando Deus necessitat voluntatem, concurrit voluntas ad ipsam actionem necessariam, & nihilominus actio non est libera, quia ad illammet necessitatur à Deo. Et actus gratiæ necessitantis sunt necessarij, licet sint effectiuè à voluntate, sed oportet, vt fiat cum potestate non agendi, & hanc non habet voluntas, si à Deo efficienter determinatur ab extrinseco, vt declaraui. Vnde cum ibidem dicitur hæc necessitas non esse antecedens, sed consequens ad liberam cooperationem voluntatis, respondemus falsum supponi, tum quia ibi non est cooperatio libera, tum etiam quia illa necessitas quatenus oritur ex decreto Dei absoluto simpliciter & per se spectato est antecedens, & repugnans libertati, vt declaraui. Altera vero probatio, quia hæc necessitas eadem reperitur in omnibus actibus voluntatis, facile retorquetur contra argumentum, quia eadem ratione sequeretur eandem determinationem inueniri in omnibus actibus voluntatis, quod ipse concedit. Cum ergo determinatio intelligi non possit, sine aliqua necessitate, & non in omnibus actibus voluntatis inueniatur determinatio, licet in omnibus sit illa necessitas composita, quæ ex suppositione libertæ cooperationis resultat, quæ est illa, qua res cum est, necessariò est, signum euidens est, determinationem, quam ipse admittit in quibusdam actibus, & non in omnibus non includere solam illam necessitatem, sed aliam antecedentem, per quam fit vt liberum arbitrium non liberè, sed ex necessitate cooperetur influxui voluntatis Dei, & hanc dicimus esse necessitatem simpliciter libertati repugnantem. Ad confirmationem nemo est, qui neget, Deū posse præbere inclinationes elicitas voluntati, imo nunquam in illa fiunt, quin Deus illas faciat. Quod solū docet D. Thomas in locis citatis. Vnde etiam verissimum est voluntates humanas subesse diuinæ quoad inclinationes elicitas tam liberas, quàm necessarias, discernere tamen oportet modū talis subordinationis & subjectionis. Non enim spectat ad Deum eo quod sit primus auctor naturæ, vt necessitando voluntatem efficiat in illa elicitam inclinationem liberam, sed modus faciendi illam est duplex, moralis per prædeterminationem excitantem, & physicus per influxum simultaneum; qui sublit potestati voluntatis, non verò physicè prædeterminando: nam licèt Deus hoc etiam possit facere, vt auctor voluntatis, faciet tamen necessitando, vt declaraui.

Ex quibus tandem concludo secundum legem ordinariam Deum non conuerrere ad se voluntates hominum determinando illas etiam in conuersionibus mirabilioribus, vt Pauli, & similium. Hoc probamus primò, quia Deus secundum legem ordinariam non necessitat voluntatem humanam ad hos actus, sed determinare illam hoc modo esset necessitare illam; ergo non determinat. Secundò, quia nulla est necessitas talis prædeterminationis, vel vt conuersio sit certa, & infallibilis, vel vt sit subitanea, & mirabilis: Nam iuxta generalem regulam, ex Augustino allegatam ad hoc sufficit vocatio congrua. Vnde de ipsa conuersione Pauli docet August. de Grat. & liber. arbitr. c. 5. ita fuisse factam, & in sequenti capite, & aliis subsequentibus, id fiet euidentius; ergo illa determinatio necessaria non est propter moralem, & communem vsum diuinæ gratiæ. Vnde neq; habet congruitatem ad ostensionem potentiæ, & virtutis Dei in subitis, & miraculosis conuersionibus, vt latronis, vel Magorum: tum quia ex visibili effectu nunquam potest constare quod fiat ex tali determinatione Dei, quia alius modus semper est possibilis: tum etiam quia multo magis ostenditur sapientia Dei, & virtus gratiæ eius, ita operando efficaciter talem effectum, vt semper relinquat humanæ voluntati suam determinationem omnino liberam, cum sola cooperatione

21. Deus secundum legem ordinariam non conuertit ad se voluntates hominum determinando illas etiam in cōuersionibus mirabilioribus.

tione diuina physica simultanea, & concomitante, vt potestati eiusdem voluntatis subiecta. Vnde sancti Patres de Iatrone, Magis, Matthæo & similibus loquentes nullam mentionem faciunt talis determinationis, sed internæ gratiæ inspirantis, illuminantis, &c. vt in sequentibus videbimus.

22. Instantia de actione scribendi Canonicam scripturam.

Sed instat ille Auctor, quia actio scribendi canonicam scripturam talis est, vt sine illa prædeterminatione physica fieri non videatur, quia scriptor canonicus mouetur ad scribendū à Spiritu sancto dictante non solum sensum, sed etiam singula verba & singulorum ordinem, quod neq; facile, neque sine fictione tribui potest morali persuasioni, & nō potiꝰ physicæ prędeterminationi. Similis actio dicitur esse locutio prophetica Spir. S. Iuxta illud Ps. 44. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Et minus negari non potest, quin sit actio libera, alias incideretur in errorem Montani, qui dixit Prophetas loquutos esse tanquam arreptitios.

De locutione prophetica.

23. Occurritur.

Sed frustra excogitata est necessitas determinationis physicæ in his actionibus, quatenus ad volūtatem pertinent. Quia quidquid in eis necessario fit ex determinatione Spir. S. potissimum fit in intellectu, quæ autem pertinent ad voluntatem sine tali determinatione fiunt. In his ergo hominibꝰ primò spectari potest id, quod interius ab Spir. S. accipiūt, in quo primum est illustratio intellectus quoad reuelationem occultæ veritatis ex parte obiecti propositæ, & hæc cum ordinatiè antecedat voluntatē non est libera, sed est ad modum gratiæ excitantis quam Spir. S. in nobis, sine nobis inchoat. Quod si contingat prophetā priùs exoptare aut petere, vel se aliquo modo liberè præparare, ad talē illustrationē recipiendā, id quidē faciet sua voluntate libera non physicè prędeterminata à Deo, sed inspiratione aliqua mota, vt v.g. quando Elisęus petit Psaltem qui mentem eius excitaret, & similibus. Nulla est enim ratio fingendi ibi determinationem magis quàm in aliis actibus religionis, orationis, aut fidei.

24. Deinde post reuelationem obiectiuam reperitur in propheta iudicium quo veritati reuelatę, & reuelationi tanquam à Deo factæ assentitur. Et tunc si reuelatio sit euidens, per illam determinatur & necessitatur intellectus ad assensum veritatis reuelatæ. Vnde ibi non est necessaria determinatio volūtatis ibi non est necessaria determinatio voluntatis ad tale iudiciū, quia neq; actus eius necessarius est, nec concurrit causaliter ad tale iudiciū. Quod si is, qui recipit reuelationē per modum cōplacentię velit veritatē illā amare, aut in eius assensum consentire, id omnino liberè, & sine vlla præuia determinatione physica facere poterit. Si vero reuelatio sit obscura, tunc in substantia non excedit rationē fidei, & ideo ad assensum necessaria erit motio libera voluntatis. Veruntamen sicut in aliis vocationibus ad fidem, voluntas credendi ordinariè non habetur per physicam determinationem. Sed per vocationem congruam, vt ille auctor admittit. Ita in propheta voluntas assentiendi reuelatis per inspirationem congruam, & opportunam optime fiet; ergo etiam ex hac parte necessaria non est prædeterminatio physica ad propheticam cognitionem, magis quam ad cæteros supernaturales actus.

25. Secundò considerari potest in propheta exterior locutio, seu prędicatio prophetię ad quam imprimis requiritur voluntas libera loquendi, & annuntiandi reuelationem sibi factam, vel doctrinam reuelatam, nam sine vlla dubitatione ita loquebantur prophetæ, plena libertate, & cum magno merito. Loquebantur autem moti à Spiritu sancto, qui eis voluntatem loquendi inspirabat, & quando ad hoc munus illos efficaciter eligebat, cōgrue etiam inspirabat eis talem voluntatem, ita vt infallibiliter eam haberent, & in ea perseuerarent quandiu, & quomodo Deus volebat; ergo neq; ad hanc voluntatem erat necessaria prædeterminatio, sed ordinarius modus inspirandi, & vocandi congrue sufficiebat, post voluntatem autem necessaria etiam erat gratia & directio Spir. S. vel ad loquendū sine errore, & sine additione aliqua vel diminutione eorū quæ Deus reuelauerat, & annuntiari volebat, vel ad loquendū cōceptis verbis, & alio ordine, & modo dictatis à Spir. S. Verūtamen licèt ad hoc esset necessaria specialis directio Spir. S. non tamen erat necessarium nouū auxilium, ex parte voluntatis, sed ex parte intellectus, quia per actum explicatum iam sufficienter erat voluntas determinata ad mouendā linguam, vt proferret quidquid Spir. S. menti dictaret: postea ergo solum necessarium erat vt Spir. S. dictaret, & offerret verba, & seriem eorum, & hoc modo linguā dirigeret; ergo neq; ex parte erat necessaria prædeterminatio physica ex parte voluntatis ad actum liberum, sed solum erat necessaria determinatio ex parte materiæ, seu subiecti, quæ potest dici quoad specificationē, non verò quoad exercitiū actus elicit à voluntate de quo tractamus. Qui modus determinationis etiā inter homines suo modo reperitur. Nam cum amanuēsis scribit, quæ ego dicto, liberè omnino scribit, & ad id ipse se determinat, non ego determino saltē illū physicè, licèt rogando, vel pręcipiendo, possim illū moraliter mouere, & nihilominꝰ ex parte materię, & obiecti, determino quoad specificationem scriptionem eius, vt talia verba, & tali ordine scribat. Ad hunc modum cum maiori tamen excellentia determinat Deus locutionē Prophetæ efficaciter proponendo illi talia verba non permittendo vt illi alia occurrant, nec aliquod impedimentum quominus integrè, & perfectè illa concipiat, & exprimat et occurrat. Quæ quidem respectu intellectus, & linguæ quædam necessitas est, respectu autem voluntatis nulla est nisi quoad quandam determinationem, & specificationem. Nam quoad exercitium iam supponitur in voluntate determinatio libera prophetandi exterius, neque nouum actum elicit ad quem determinatione quoad exercitium indigeat, & ad perseuerandum in eadem voluntate, perseuerantia prioris vocationis, & inspirationis sufficit.

26. Quomodo inspiratio dicatur mouere linguam.

Atq; ita optimè intelliguntur verba illa. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Nā sine dubio Deus inspirauerat, Psalmistæ loquendi voluntatē, & liberè volebat linguā mouere, ad loquendū ea quę Spir. S. dictaret, & ideo in ipsa locutione rectè cōparatur linguam suā respectu Spir. S. calamo scribentis, quia in illa locutione nihil suum agnoscebat, nisi motionē & linguæ, nam verba, & res dictabat Spir. S. & ita vtebatur ille lingua tanquam instrumento. Quod tandem potest non malè explicari per verba sapientis. *Hominis est animā præparare, & Domini gubernare linguā.* Si per illam animæ præparationē voluntatē loquendi intelligamus, quæ quando est sancta tribuatur homini, non quia non sit etiā ex inspiratione diuina, sed quia per liberam determinationē habetur. Gubernare autem linguam non semper est in hominis potestate, vel libertate, quia pendet ex imaginatione, & conceptione verborū quæ non semper est in manu hominis, & multa occurrere possunt homine etiam inuito, quæ illam perturbent. Hæc autem necessitas altiori modo inuenitur in locutione prophetica, & ideo altior decretio, & gubernatio linguæ est necessaria, tota verò fit medio intellectu, & fantasia sine nouo vsu libertatis, vt explicaui.

27. Idem fere dicendum de Scriptore canonico quoad locutionem dictum.

Et quod dixi de prophetica locutione, eadē proportione locum habet in Scriptore canonico. Antecedit enim in illo libera scribendi voluntas ex diuina inspiratione concepta sine illa prędeterminatione physica, sicut de prophetis explicaui. In ipso verò actu scribendi nō erat necessaria noua motio voluntatis,

tatis, sed sola specialis directio, ex parte intellectus & phantasiæ; ac memoriæ tam rerum, quam verborum, si necessaria esset. In hoc enim potest esse varietas iuxta materiam scripturæ, & dispositionem antecedentem scriptoris. Interdum enim scriptor excitatur à Spiritu sancto ad scribendum quæ alias vidit, vel nouit, vt de se dicit Lucas capite primo Euangelij. Et tunc Spiritus sanctus non omnino præuenit scriptoris mentem, sed ab illo vult etiam diligentiam adhiberi, vt ex 2. Machab. 2. colligimus, & totum id fit per liberam voluntatem scribentis, non determinatam physicè, sed inspiratam, & motam congruenter à Spiritu sancto. Vltra diligentiam verò, & supra libertatem scriptoris Spiritus sanctus assistit menti eius, dirigendo, & supplendo, quod ipse scriptor sua diligentia non potest vel non assequitur, vel remouendo ne quidquam scribat aliter, quam Spiritus sanctus vult. Aliquando verò Scriptor merè propheticè scribit, quæ tunc actu ei reuelantur, & à Spiritu sancto dictantur, & omnino se gerit Scriptor, sicut amanuenses Spiritus sancti, sicut Baruch scribebat verba quæ dictabat Ieremias, & ipse Ieremias (vt dicitur Ierem. 36.) dictabat tanquam legens ex libro mentis suæ, in qua Spiritus sanctus ea scripserat. Et in vtroq; tam Ieremia quam Baruch voluntas scribendi, vel dictandi, & obediendi Deo hoc præcipienti omnino libera erat, ex inspiratione diuina, sine physica prædeterminatione; materia autem, & verba Scripturæ erant omnino ab Spiritu sancto sine interuentu voluntatis humanæ. Quocirca in toto opere scribendi, vel dictandi canonicam scripturam nulla prædeterminatio physica voluntatis humanæ necessaria est. Neque inuenitur opus supernaturale, pro quo sit necessaria, nisi vbi voluerit Deus humanæ voluntati absolutam inferre necessitatem.

CAPVT XXV.

Quid addat auxilium efficax auxilio præuenienti sufficienti, seu vocatio efficax generali, ac sufficienti vocationi, & in per congruitatem vocationis hoc sufficienter explicetur.

DIximus in cap. 5. auxilium efficax in vocatione aliqua speciali, ac proinde in aliquo modo excitantis gratiæ consistere, & in subsequentibus declaraimus, nullam esse excitationem quæ ex sola sua intrinseca natura, seu entitate talis, seu tam efficax sit, nec præter vocationem necessariam esse aliquam prædeterminationem ex parte Dei, quę vocationi tribuat efficacitatem illam, nam omnino talem modum efficacitatis exclusimus, tum quia repugnat sufficientiæ gratiæ, cui illa prædeterminatio non adiungitur ex parte Dei, tum etiam quia pugnat cum arbitrij libertate. Et ideo superest explicandum quid illud sit, quod vocatio efficax addit vltra sufficientem, nam cum vocatio sufficiens sit vera vocatio, & de se effectrix consensus, & nihilominus vocatio efficax ab illa distinguatur, necesse est vt ratio *efficacis* aliquid addat tali vocationi, quid ergo illud sit, inquirimus. Quod certè obscurum est, nam ideo dixit Augustinus hanc vocationem efficacem altam, & secretam, & profundæ considerationis esse; Conandum nihilominus est id explicare, quod breuiter per nonnullas assertiones faciemus, deinde ad maiorem declarationem, & confirmationem nostræ sententiæ nonnullis obiectionibus satisfaciemus.

Primum ergo asserimus, vocationem efficacem non addere sufficienti nouum auxilium præueniens, nec aliquam entitatem, vel proprietatem realem absolutam, quæ ad constituendum auxilium efficax, & distinguendum illud à sufficiente necessaria sit. In hac & sequentibus assertionibus abstineo nunc à probationibus, & ab auctoritate, quia de hac re figillatim agendū est in capitibus sequentibus. Nunc solum asserō saltem in eo esse hanc propositionem consentaneam Conciliis & Patribus, quod in illis non inuenimus alia auxilia gratię præuenientis nostrum velle, & per quam Deus efficiat nos velle nisi auxilia excitātia, vt sunt illuminationes, & inspirationes. Non potest autem vocatio efficax addere vltra sufficientem aliquod peculiare auxilium excitantis gratiæ, quod per vocationem non efficacem non detur, tum quia si illud auxiliū est necessarium & negatur, vocatio, quę datur, non poterit esse sufficiens iuxta principia hactenus posita, & probata. Tum etiam quia probatum est, nullum auxilium excitans de se, & ex vi suæ entitatis esse efficax ad determinandā voluntatem ad vnū, ergo quocunq; auxilio excitante dato oportebit inquirere, per quid fiat efficax, & sic procedetur in infinitum: vocatio ergo non fit efficax per additionem peculiaris auxilij excitantis. Ergo nec per auxilium præuium ad velle liberum, quia, vt dixi, nullum est tale auxilium præuium nisi excitans. Et hæc ratio etiam probat in vniuersum vocationem non constitui in ratione efficacis per entitatem, vel proprietatem realem illi addē tam: nam vel illa esset res distincta ab omni excitatione, vel tantum modus eius; neutrum est verisimile, & vtrumque inuoluit omnes difficultates tactas de auxilio prædeterminante vel rem non explicat.

Vocatio efficax non addit sufficienti nouū auxilium præueniens nec aliquā entitatem, vel proprietatem realem absolutam, quæ ad constituendum auxilium efficax, & distinguendū illud à sufficiente necessaria sit.

Primam partē probo, quia si est entitas distincta, erit speciale auxilium actuale distinctum ab excitante, & præuium ad actum, ac proinde distinctum ab influxu simultaneo ab ipso imbibito, & sic erit auxilium actuale medium inter excitans & velle liberum, quod, vt dixi, in sanctis Patribus non inuenitur, & obiter notari possunt Augustinus in qu. 2. ad Simplician. dicens: *Credere Dei esse & nostrum, Dei vocando, & nostrum sequendo.* Vbi inter illa medium non constituit, nec in lib. 83. quæstion. q. 68. cum dicit, *Si quis sibi tribuat quod veniat vocatus non potest sibi tribuere quod vocatus sit.* Nec Prosper lib. 2. de vocat. gent. cap. 26. vbi cum de scripsisset modum vocandi Dei per inspirationes, illuminationes, &c. immediatè subiungit. *Sed voluntas subiungitur huic gratia, quæ ideo excitata est vt incipiat velle cum merito, quod diuino semine conceperat.* Neque etiam Bernardus medium illud agnouit lib. de grat. & liber. arbitr. circa finem. Si vero illa proprietas est tantum modus intrinsecus excitationis, ille non potest esse nisi vel intensio, vel claritas vel similis proprietas, si excitatio sit in intellectu, vel suauitas aut quid simile si sit in voluntate: nihil autem huiusmodi sufficit, vt excitatio de se vel in se fiat absolutè efficax, vt supra probatum est, quia per talem proprietatem non extrahitur motio à ratione gratiæ excitantis, de qua probatum est non habere de se talem efficaciam. Et inde facilè probatur altera pars; quia vel illa entitas aut proprietas, talis est, vt sit necessaria ad operationem, & sic sine illa non erit vocatio sufficiens, vel non est simpliciter necessaria, & sic non pertinebit ad auxilium efficax, quod necessariū est. Item vel addita illa entitate, aui proprietate necessario sequitur consensus voluntatis, & sic non erit liber, quia illa necessitas est antecedēs, & procedūt omnes rationes supra factæ contra physicam prædeterminationem, vel non sequitur necessario, & sic non sequetur infallibiliter, ex vi talis entitatis, seu proprietatis per se, & absolutè spectatæ, & consequenter non sufficiet ad constituendam vocationem in ratione efficacis.

Vocatio efficax non addit sufficienti nouū auxilium præueniens nec aliquā entitatem, vel proprietatem realem absolutam, quæ ad constituendum auxilium efficax, & distinguendū illud à sufficiente necessaria sit.

4. Vocatio efficax quædam.

Dico secundò, Vocatio efficax illa est quæ de facto habitura est infallibiliter effectum à vocante intentum, & ideò licet in se sit gratia præueniens à solo Deo facta, nihilominus includit habitudinem ad cooperationem futuram liberi arbitrij, cum auxilio gratiæ simultaneo, & consequenter includit quandam congruitatem respectu personæ, cui datur, vt sit illi ita proportionata, & accommodata, sicut oportet, vt in tali persona, in tali tempore, & occasione infallibiliter effectum habeat, & per hoc habet illa vocatio, quod congrua, & efficax sit. Hæc doctrina communiter approbatur à Theologis nostrę Societatis, & ab aliis Doctoribus, qui negant prædeterminationem physicam, quos supra retuli: De aliis verò antiquioribus & Patribus dicam inferius. Nunc prior pars probatur facilè ex dictis; sequitur enim à sufficienti partium enumeratione. Nam gratiæ efficax dicitur quæ infallibiliter habitura est effectum, & sub hac ratione à Deo infunditur, vt in superioribus declaratum est. Sed non habet hanc infallibilitatem ex vi suæ entitatis, vel alicuius absolutæ proprietatis suæ, vt proximè ostensum est, & sequitur clarè ex omnibus dictis contra alias sententias; ergo necesse est vt habeat coniunctam habitudinem ad effectum futurum cum libera determinatione, vt inde habere possit dictam infallibilitatem, seu fundamentum eius: non enim potest cogitari alius modus talis infallibilitatis. Secundo declaratur à simili de præscientia Dei, circa futura contingentia, est enim infallibilis, quamuis obiectum non habeat in sua causa determinationem, & ideo dicimus necessarium esse, vt talis scientia includat habitudinem ad ipsam determinationem causæ, vt suo tempore futuram, non quia aliter esse non possit, sed quia non aliter futura est. Sic igitur hæc gratia quæ antecedenter infunditur, infallibiliter habebit consequenter operationem voluntatis, non quia aliter esse non posset, etiam stante illa gratia; sed quia aliter futura non est.

5 Altera verò pars de congruitate, seu proportione ad personam suppositа præcedenti, solum pertinet ad modum loquendi: nam cum tale auxilium dicat habitudinem ad effectum infallibiliter futurum, & eam non habeat ex innata proprietate absoluta, oportet vt habeat ex congruitate, vel proportione quam habet ad talem personam. Et quamuis infra de Augustini mente in capite speciali dicturus sim, libet tamen nunc saltem ostendere hunc loquendi modum non ab alio, quam ab Augustino desumptum esse. Ille enim in primis in q. 2. ad Simplician. multis verbis doctrinam hanc tradit, ex quibus pauca indicabo. *Cum eadem res* inquit *vno modo dicta alium moueat, quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau mentem applicaret, voluntatemque coniungeret.* Vbi duo aduerto, vnum est ponere congruitatem vocationis, non in modo eius absoluto, sed respectiuo ad talem personam. Aliud est, quod posita illa vocatione dicit per illam fieri, vt is, qui illam recipit v. g. Esau, si illam reciperet suam mentem, & voluntatem applicaret, nam illa verba rectè intelliguntur vt illud *Esau* in casu nominandi positum sit, & det suppositū verbo applicandi, & coniungēdi vocationi Dei. Quod si quis dixerit sensum potius esse Deum per vocationem potuisse mentē Esau (vocem hanc in genitiuo ponendo) applicare, quod ad præsens spectat, non multū refert, quia sensus in idem redit, nimirū non defuisse Deo modum vocandi, ita accommodatum Esau, vt per vocationem illā, quod volebat obtineret. Prior verò sensus videtur magis ad Augustini mentem, nam statim cum de reprobis dixisset, non esse congruenter vocatos, subdit. *Possent alio modo vocati accommodare voluntatem.* Præterea sic inquit, *licet multi vno modo vocentur, tamen quia non omnes eodem modo affecti sunt, illi sequuntur vocationem, qui illi capiendæ reperuntur idonei.* Vbi valde notanda est causalis nota, quia non in extrinsecam prædeterminationem, sed in congruentiam vocationis causam refert sequendi vocationem. Idemq; significat cum iterum inquit solius Dei miserentis fuisse illo modo vocare, quo modo aptū est. Ac deniq; illi (inquit) *electi congrue ter vocati.* Ex quo verbo sumptum est nomen vocationis congruæ. Præterea ex lib. de Don. perseu. cap. 14. hæc verba notanda sunt. *Ex quo apparet quibusdam esse naturale lumen intelligentiæ, quo mouentur, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Sed hæc, & alia multa inferius latè tractanda sunt.

Notabilia D. Augustini verba.

6 Dico tertiò, infallibilis connexio, quæ in vocatione congrua, seu efficaci cum libero consensu inuenitur, non est merè causalis, sed præscientiæ, non per absolutam scientiam, sed per conditionatam, qua qua Deus de omni voluntate creata, & creabili præscit, quid sit actura in omni tempore, & occasione, si hoc, vel illo modo excitetur, seu vocetur. Ita docent Auctores allegati, & alij inferius allegandi, & assertio solum indiget breui declaratione, quia ex superioribus sequitur. Supponit ergo assertio vocationem, quam ad maiorem claritatem congruam appellamus, habere infallibilem connexionem cum consensu voluntatis, quod est clarum ex dictis, tum quia hoc est de ratione auxilij efficacis, vt supra posuimus, tum etiam quia hoc est necessarium, vt hæc vocatio sit medium ad diuinam electionem, prædestinationem, aut efficacem prædestinationem implendam, vt notum est. Infallibilitas autem propriè loquendo respicit intellectum, est enim proprietas cognitionis, seu scientiæ, & obiecti eius. Vnde sicut dupliciter cognosci potest effectus futurus, scilicet, in causa, & in se, ita duplex distinguitur infallibilitas, altera in causa, altera in effectu ipso, seu in emanatione actuali ipsi effectus à causa. Auxilium autem efficax est causa liberi consensus, & tunc dicetur efficax, cum ita datur, vt infallibiliter habeat effectum inducendi hominem in consensum; dicimus ergo non esse hanc infallibilitatem in causa, id est, in tali vocatione, vel auxilio secundum se spectato. Quod etiam est manifestum ex dictis, quia vocatio non dicitur efficax ex eo, quod voluntatem sua naturali virtute ita determinet ad consentiendum, quin possit non consentire, si velit, etiam in sensu composito, seu posita tali motione, sed quod ita est ab aliqua causa, vt possit non esse, non obstante illa, seu etiam illa posita, non est infallibile in causa, quia quod est infallibile in causa, non potest non euenire posita illa: ergo hæc infallibilitas non potest esse in ipso auxilio secundum se spectato, tanquam in causa. Et inde concluditur debere esse in præsentia, quia in effectu futuro priusquam fiat, non potest alius modus infallibilitatis cogitari, vt est per se notum. Rursus hæc præscientia in præsenti non potest esse absoluta, quia præscientia absoluta futuri consensus gratuiti supponit auxilium efficax, & voluntatem Dei dandi tale auxilium, ad talem effectum, ante quā voluntatem debet præcedere secundum rationem hæc infallibilitas, vt Deus non quasi casu sed per se, & ex propria intentione intelligatur dare auxilium efficax, vt efficax est; ergo necesse est vt illa infallibilitas præcedat in scientia conditionata, qua Deus prænouit tale auxilium, si detur tali voluntati, in tali opportunitate futurum esse illi ita congruum, vt omnino sit illi consensura; talis ergo est infallibilis connexio auxilij efficacis cum suo effectu.

7 Hæc est sententia nostra de auxilio efficaci, breuiter, & summatim propolita, quæ duas principales continet partes, vnam negatiuam, scilicet, non

posse

posse consistere in vi, quam ex se, vel ex decreto præuio, vel absolute voluntatis Dei habeat, præ-
partes sequentis distinctionis, vna negatiua, altera positiua. determinandi physicè voluntatem humanam ad consensum, alteram positiuam, qua efficacitas eius dicto modo explicatur. Et hæc posterior pars præter rationes adductas concluditur à sufficienti diuisione ex priori, quia non potest alius modus infallibilitatis, & efficaciæ cogitari.

CAPVT XXVI.

Duabus obiectionibus contra superiorem doctrinam satisfit.

1. Adquatuor capita reducuntur obiectiones contra præcedentem resolutionem. Primum.

CONtra superiorem resolutionem multa obiiciuntur, quæ ad quatuor capita reduco. Nam in primis videntes contrariæ sententiæ defensores, si vocatio congrua proux à nobis explicata est posibilis sit eneruari, maximè positionem physicæ prædeterminationis, persuadere conantur illud genus efficaciæ non esse possibile, & quia illa supponit dictam præscientiam, in hoc maximè insistunt, vt negent Deum esse præscium futurorum contingentiũ sub conditione in scipsis nisi præcedat aliquod decretum prædeterminationem physicam in conditione inuoluens, in qua cognosci possint. Et rationes quibus hoc probare cõantur, sunt præcipuè obiectiones eorum contra doctrinam positam, illis tamen satisfactum à nobis est in Prolegom. 2. vbi duo ostendimus. Vnum est conditionatorum contingentium præscientiam non posse Deo negari secũdum Scripturas, doctrinam Patrum, rectamque rationem, aliud est decreta conditionata ad talẽ præscientiam admittenda non esse, quia in multis diuinæ bonitati repugnant, vt in actibus peccatorum, in aliis non decent Deum, vt pote superuacanea, & otiosa, in omnibus verò eadem repugnantia cum libertate creata, quę in physica prædetermination inuentur, sic ideo de hoc primo genere obiectionũ nihil nobis dicendum superest. Aliud caput obiectorum sumitur ex necessitate auxilij seu cõsensus præuij causæ primæ in secundam ante concursum imbibitum in eius actione. De quibus satis dictum est in lib. 3. sub finem. Tertium caput sumitur ex auctoritate scripturæ, Conciliorum, Patrum, aliorumq; Theologorum de quibus per varia capita sigillatim dicere decreui, ac distinctè, quia res est magni momenti, multumq; interest nouam ab antiqua doctrina discernere, quod non potest vel breui, vel confuso sermone fieri. Quart. cap. obiectionum ortum est ex nonnullis incommodis, vel etiam erroribus, quæ ex nostra sententia, vel malè intellecta, aut sinistrè explicata inferuntur, & nobis tribuuntur quibus in hoc capite & sequenti breuiter satis faciemus quia occasionem amplius sententiam nostram declarandi habebunt.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

2. Primo Obiectio.

Primò igitur obiiciunt, quia ex nostra sententia sequitur, efficax auxilium non physicè, sed moraliter tantum efficere consensum voluntatis nostræ: Consequens est absurdum, ergo. Secunda patet, quia vocatio quantumuis congrua, solum est gratia excitans, quę, vt nos supra docuimus, non efficit physicè consensum, ergo si auxilium efficax in sola vocatione congrua consistit, non efficiet physicè consensum. Hoc autem esse absurdum patet, quia in verbis non tantum desunt vires morales ad efficiendos actus supernaturales, sed etiam physicæ, quia superant actiuitatem physicam libero arbitrio naturaliter inditam; ergo oportet vt auxilium efficax de quo Augustinus dixit, *dare vires efficacissimas voluntati*, det vtrasque vires non tantum in genere moralis principij, sed etiam physici.

Respondemus nunc nobis non esse controuersiam, de principio physicè adiuuante ad præstandũ consensum, omnes enim fatemur principium aliquod esse necessarium. Nos autem diximus illud (quidquid sit) tale esse, vt detur voluntati prius natura quam consentiat, relicta in ea potestate ad non consentiendum, seu non operandum per tale principium, etiam in sensu composito, id est, ad componendum simul cum illo principio, & tota gratia prœuenient negationem consensus. Ex quo etiam concedimus, & ita esse dicendum sentimus, & fieri posse, & sępè etiam fieri, vt voluntas habens sufficiens principium gratiæ tm morale quam physicum ad consentiendum, non consentiat. Qua veritate suppositа ad argumentum respondetur, distinguẽdo primum consequens ex parte efficacis auxilij. Aut enim sub efficaci auxilio comprehenditur totum auxilium gratiæ necessarium in actu primo ad eliciendum liberum pietatis actum, & cum omnibus requisitis, vt infallibiliter coniungatur actui illum eliciendo, vel prœcisè intelligitur nomine auxilij efficacis aliqua motio actualis, & præuia quæ proximè inducit voluntatem ad consensum. Priori modo nego sequelam, quia auxilium includit totum auxilium sufficiens, & hoc non tantum morale principium agendi, sed etiam physicum comprehendit, vt dixi. Posteriori autem modo loquendo de auxilio efficaci, concedo sequelam, nam vbique Augustinus non aliter explicat illam motionem, nisi per internam suasionem, & affectionem, vt ex locis proximè citatis in secunda assertione constat, & plura alia postea inferemus. Neque ratio facta in contrarium procedit de auxilio efficaci in hoc posteriori sensu sumpto, sed in priori, neque vlla alia cogitari potest, cur sit necessarius alius modus agendi, nisi fortasse propter prædeterminationem physicam, quam non admittimus.

3. Respondetur.

Vt autem hoc amplius declaretur, aduerto, ante actualem effectionem consensus, duo tantùm auxilia præuia esse necessaria. Vnum est illud quod dat potestatem physicè eliciendi consensum; aliud est, quod Deus allicit, & trahit eandem voluntatem ad liberè eliciendum eundem actum. Illud prius datur v. g. homini iusto per virtutes voluntati infusas, dant enim potestatem physicè efficientem ad eliciendum suos actus, si velit; hoc vero posterius dat Deus per auxilia excitantia, quę simul dant motalem potestatem, sine qua simul cum physica non potest fieri actus, & vtrumque horum est necessarium ad auxilium sufficiens, & à fortiori ad efficax, vt sæpè dixi. Potestq; circa hæc aduerti secundum modum connaturalem operandi potestatem physicam supponi ad moralem excitationem, quia nemo excitatur, nisi ad id, quod potest velle. Vnde quia homo ex solis viribus liberi arbitrij non habet potestatem physicam, saltem integram ad efficiendos actus supernaturales, ideo vt homo excitetur quasi connaturali modo supponi debent habitus infusi, per quos integra potestas physica ad eliciendos hos actus datur, vel completur. Quis verò si habitus nec sunt naturales, nec debiti nostris potentiis propter quod secundum ordinem diuinæ prouidentiæ ad adulti illos recipiant, debent ad illos per proprios actus disponi, quod sine prœuia excitatione facere non possunt, ideo necessarium est vt mutetur quasi connaturalis ordo, ita vt homo prius excitetur, quam physicam, & internam volũtatem operandi habeat, sed tantum quandam eius inchoationem, vel capacitatem. Hoc patet in infidelibus qui aliciuntur ad fidem, antequam habeãt internam virtutem infusam, & in peccatoribus qui ad pœnitentiam excitantur. Et ideo tunc excitatio

4. Ante actualem effectionem consensus, duo tantũ auxilia prœuia sunt necessaria; & quæ illa sint.

tatio frustra fiat, vel ad rem impossibilem, necesse est vt cum ipsa excitatione detur aliquo modo potestas physica ad actum eliciendum, ad quem voluntas excitatur. Siue hæc potestas physica detur per ipsosmet actus gratiæ excitantis iuxta opinionem dicentium illos esse principia physica consensus quando præstatur. Siue detur per aliquam aliam qualitatem supernaturalem simul cum excitatione datam modo quodã transeunte, ita vt, nõ amplius permaneat in voluntate, quam ipsa excitatio duret, nec plus etiã determinet voluntatẽ ad consensum, quam excitatio ipsa, sed solum veluti præsto adsit potentiæ ad coagendum illi, sicut adest habitus, vt alia opinio non improbabilis tradit. Siue talis potestas detur immediatè ab ipso Spiritu sancto, qui simul ac excitat hominem præsto illi adest, & quasi seipsum offert ad iuuandum voluntatem eius, & cooperandum illi, vt per amicum possit, quod per se non potest, vt nobis in tertio libro probabilius visum est. Quicumq; igitur ex his modis verus sit, sufficit, vt consensus non detur sine principio physico supernaturali per se & propriè efficienter actum consensus cum voluntate, quando ipsa vult, concurrente simul Deo vt causa vniuersali per auxilium simultaneum, qui etiam est per se, ac physicus etiamsi non sit prædeterminans; ergo ob necessitatem physici principij, neque est necessaria prædeterminatio, neque illud principium negant, qui physicam prædeterminationem non agnoscunt.

5. Secunda obiectio.

Secundò obiiciunt instando contra dictam solutionem; duo enim efficit gratia in nobis; primum est, quia antecedenter nos facit velle, & facere iuxta illud. *Deus est qui operatur in nobis velle.* Et illud *faciã vt in præceptis meis ambuletis*, & similia. Secundum est, quod nobiscum operatur ipsum velle iuxta id Io. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Et illud Cor. 15. *Non ego sed gratia Dei mecum.* Vtrumq; ergo horum facit Deus per veram, ac physicam efficientiam, quia sola moralis metaphorica est, & impropria, ideo Theologi qui melius sentiunt, tribuunt humanitati Christi domini in miraculosis operibus, & sacramentis in effectione gratiæ, physicam efficientiam, & non tantum moralem, vt proprietatem verbi *faciendi* veramq; causalitatem sacramentorum tueantur; ergo similiter in præsenti vtrumq; eorum tribuendum est Deo, & gratiæ Dei, per veram, & physicam efficientiam. At verò in responsione data ad præcedentem obiectionem rectè quidem saluatur propria efficientia physica in secundo effectu quem posuimus, scilicet, quod Deus nobiscum operatur ipsum velle, hoc enim facit per gratiam concomitantem, non tamen saluatur primum, scilicet, quod Deus faciat nos velle propriè, ac physicè faciendo, vt velimus, quia si hoc facit per solam gratiam excitantem, non physicè sed moraliter tantum id facit, ergo vt id etiam verè, ac propriè faciat, necessarium est, auxilium physicè præde terminans; ergo sine tali auxilio non saluatur proprium auxilium efficax, cuius proprius effectus est, vt Deus per illud nos velle faciat, propriè, & physicè hoc in nobis efficiendo. Et confirmatur, quia ex nostra sententia sequitur, aliquid supernaturale à nobis, & in nobis fieri, quod non fit ex gratia physicè operante, quod admitti non potest. Sequela probatur. Quia cum Deus facit nos facere, dat nobis hoc quod est facere, quod aliquid supernaturale est; ergo si vt faciat nos facere non operatur physicè sed tantum moraliter, etiam non dat nobis agere supernaturale physicè sed moraliter.

6. Respondetur.

Ad obiectionem in primis dico, Deum cum facit, vt faciamus, vel vt velimus, antecedenter, seu prius natura, quam nos faciamus, aliquid in nobis efficere omnino propriè physicè ac per se, quod satis esse posset ad eam proprietatem, & rigorem locutionis, quem arguens desiderat. Assertionem autem facile probamus, quia Deus facit vt velimus præparando voluntates nostras per suas internas illuminationes, & affectiones, has vero Deus facit in nobis immediatè per seipsum efficiendo illas in intellectu, & voluntate tanquam principalis, & vera causa physica; ergo vt faciat nos facere aliquid physicè in nobis operatur. Quod non potest ita facere homo vel Angelus quando sua virtute hominem moraliter mouet, suadendo, aut consulendo, vel tentando.

Deinde hinc fit, vt illud auxilium quod Deus interius imprimit ad præparandam voluntatem, aliquo etiam modo physico hominem moueat, excitet, & inclinet. Nam si illa Dei operatio sit in intellectu, ipsum formaliter afficit, & illuminat ac facit attendere, causalitas autem formalis vera & physica est. Et præterea illud auxilium voluntatem inclinat, & attrahit aliquo modo etiam ante consensum, excitando in illa simplices affectiones timoris, vel amoris nõ liberas, sed necessarias, ad quas probabile est concurrere effectiuè mentis illustrationes, seu supernaturales cogitationes propriè ac physicè, & licet solum concurrant finaliter mouendo, etiam causalitas finalis est suo modo physica, & propria, & omnis causalitas solet verbo *faciendi* generaliter significari. Illa vero affectio, seu motio indeliberata, quæ tunc excitatur in voluntate, & à Deo physicè fit, etiam inclinat formaliter voluntatem, & in eo genere physicè, ac per se, & ita allicit voluntatem ad consentiendum, & quantum est de se facit illam consentire cum omni proprietate quę in tali modo causandi esse aut intelligi potest. Quia vero non imponit necessitatem voluntati potest nihilominus non sequi effectus non consentiendi, & tunc clarum est non posse dari causalitatem physicam effectiuam consensus, cum ille non fiat. Quando vero consensus sequitur cooperante libero arbitrio, etiam tunc physicè operatur gratia, siue per ipsosmet motus gratiæ excitantis, siue per aliquod principium physicè effectiuum consensus, quod cum illa datur, vt declaraui.

Nihilominus ergo deest, quominus cum proprietate dicatur Deus facere vt faciamus, non minus, quam dici possit cum physica prædeterminatione. Quia conferendo motum gratiæ excitantis, & motionem illam prę uiam inter se, vtraq; sit à Deo propriè, & physicè, & vtraque afficit voluntatem, & suo modo formaliter illam inclinat, & per neutram illarum facit Deus, vt faciamus adæquatè, & completè, vt sic dicam, seu formaliter donec nos ipsi liberam actionem eliciamus, & tunc iam intercedit nouus influxus physicus Dei, & gratiæ ipsius in cõsensum, siue ille fiat cum prædeterminatione, siue absq; illa; ergo non minorem efficientiam physicã habet gratia Dei in vno modo quam in alio. Solũq; inuenitur differentia, quod efficientia gratiæ per motionem physicè prædeterminantem talis est in actu primo, vt non relinquat liberam cooperationẽ voluntati, sed necessitate quadam illam extorqueat; quę non solũ est physica, id est, vera, ac per se, & per realem influentiã, sed etiam est physica, id est, naturalis, ac necessaria, ac repugnans libertati. At vero efficientia gratię per vocationem congruam, & dãtem simul, vel supponentem principium physicum consensus, quo voluntas possit vti, & non vti arbitrio suo, & est physica quando fit, & antequam fiat consensus, cum physicè in ipsum agere non possit, est causa moralis, qualis oportet, vt consensus liberè sequatur. Vnde ad obiectionem in forma respondetur primo, negando minorem, quia vtrumque illorum, quæ in argumento distinguuntur, fit verè & physicè à Deo quantum fieri oportet, imo & quantum fieri potest, salua libertate.

Ad

Ad maiorem verò explicationem dici secundo potest, quod actus consentiendi, & est quid physicũ, & esse quid morale, vt liberè fit, & vtroq; modo facit illum Deus, & facit vt à voluntate fiat, tam physicè, quam moraliter cum omni proprietate & sine metaphora. Diuerso tamen modo, nâ vt est quid physicum, fit physicè, ac per se, & immediatè à Deo cùm actu influit in illum, vt autem est quid morale per se, ac propriè fit à Deo morali modo per inductionem, & tractionem moralem voluntatis. Vnde ad veritatem, & proprietatem illarum locutionum non est necesse fingere, quod prius natura, quam nostra voluntas suum concursum præbeat, Deus physicè flectat illam, & determinet, hoc enim non fit physicè, nisi cum iam voluntas seipsam flectit, & consentit, prius vero natura solum antecedit moralis inductio suadendo, & inclinando voluntatem. Nam licet hæc inductio fiat per reales motus factos à Deo physicè, tamen respectu futuri cõsensus solum habent causalitatem moralem, & per illos dicitur Deus trahere voluntatem ad consensum cum omni proprietate ad quam sufficit causalitas moralis, quia vnusquisq; effectus suæ propriæ causæ tribuendus est, quia causalitas moralis in suo genere vera, & propria est, & effectibus moralibus accommodata. Et ita exposuit illas locutiones Aug. citatis locis, tribuens semper vocationi, vel inspirationi diuinæ, quod per illam facit Deus non velle & in locis proximè citatis videre licet. Estq; testimonium optimum in lib. de Corrept. & Grat. cap. 2. vbi prius ait, gratiam Christi esse per quam fit omne bonum. *Non solum vt monstrante ipsa quid faciendum sit sciant, verum etiam, vt præstante ipsa faciant cum dilectione quod sciunt.* Declarans verò quæ sit hæc gratiæ per quam hoc Deus facit, adiungit. *Hanc quippe inspirationem bonæ voluntatis, atque operis poscebat Apostolus eis quibus dicebat. Oramus autem Deum ne quid faciatis mali.* Et eodem modo exponit illam causalitatem Prosper. 2. de vocat. gent. & plura ex Patribus inferius afferemus.

10. Quapropter non est simile quod affertur de efficacia sacramentorum: nam effectus gratiæ, vt fit à sacramentis est physicus non moralis, & ideo si non habent causalitatem physicam, non possunt habere veram causalitatem, sed metaphoricam, quod secus est in præsenti. Sermones enim debent rebus accommodari iuxta materiæ capacitatem. Et hinc etiam est quod in præsenti materia Patres semper exponant antecedentem tractionem, seu inductionem gratiæ per moralem modum, vt allegaui, & plura in capitibus sequentibus allegabo. De sacramentis autem, vel humanitate Christi Domini non ita loquuntur, sed simpliciter illis tribuunt potestatem, causalitatem, & effectionem. Et nihilominus etiam in eis non est certa illa causalitas physica sed adeo probabiliter defenditur, quia sine inconuenienti potest saluari, & alioqui moralis in illa materia nec necessaria est, nec potest esse nisi valde mataphorica. At vero in præsenti materia moralis causalitas est propriissima, & per se necessaria ad moralem consensum, vt etiam Auctores oppositæ sententiæ fatentur, & alioqui physica efficientia sufficienter illi coniungitur eo modo quo à nobis explicata est, & maior non solum non necessaria non ostenditur, sed etiam habere videtur repugnantia incommoda libertati, & sufficientiæ gratiæ; est ergo longè diuersa ratio. Ad confirmationem autem negatur sequela, quia quando Deus facit nos facere, ita vt cum effectu faciamus, etiam facit physicè nostrum facere, & ita nihil habemus, quod non sit ab ipso physicè & propriè, facit autem nostrum facere non solus, sed faciendo nobiscum. Non enim quidquid Deus nobis donat, solus ipse facit, sed quædam donat faciendo nobiscum iuxta Concilium Arausicanum, & Augustinum.

CAPVT XXVII.

Satisfit alteri obiectioni, & à variis incommodis doctrina data vindicatur.

ALtera obiectio sæpiùs repetita contra nos, est, quod ex nostra sententia sequitur, vel potius quod asseramus, prius natura nos efficere determinationem nostram quam Deus physicè nos adiuuet: consequens est absurdum quod variis propositionibus nobis attributis ostendunt. Et in primis F. Dauila tres potissimè inter aliàs ponit. Prima est. *Quod liberum arbitrium suis viribus inchoet opus pietatis, vt opus inceptum gratia promoueat, & consummet.* Secunda. *Partem aliquam operis pij fieri à libitro arbitrio solo, partem à Deo, & illam, quæ est à libro arbitrio esse priorem* Tertia. *Habere hominem aliquid per solum liberum arbitrium, quo se discernit, &c.* 1. Altera obiectio.

Secundò Petrus Cabrera eandem doctrinam nobis attribuens, primò sententiam nostram his verbis refert. *Asserunt voluntatem prius se determinare ad operandum in actibus liberis ex vi suæ libertatis, & sufficientis auxilij, quam Deus concurrat per auxilium efficax.* Ex quo principio has propositiones infert. Prima est. *Itaque Deus voluntatem iam determinatam adiuuat, vt talem actum perficiat.* Secunda. *Secundum ipsam sententiam voluntas constituta in actu primo per auxilium sufficiens, reducitur ad actum secundum se sola, & per seipsam.* Statim verò addit, *sed ad eam reductionem concomitanter concurrit auxilium efficax.* Tertia. *Itaque in hac opinione hæc propositio est vera. Quia voluntas se determinat ad hunc actum, ideo Deus efficaciter illi auxiliatur ad eundem actum, & contraria est falsa.* Et tamen statim subdit, quod licet negemus concursum Dei esse aliquid priùs datum voluntati iam constitutæ in actu primo quo applicetur, & reddatur potens ad operandum, nihilominus docemus *illam concursum esse immediatum influxum in actionem simul cum libero arbitrio*, & quod concursus Dei per auxilium efficax, neque tempore neque natura antecedit concursum voluntatis ad eandem actionem *sed influxus liberi arbitrij, & auxilij efficacis à se mutuo pendent, & simul omnino sunt, & in eandem numero actionem.* Infert autem hic Auctor illas propositiones, non tanquam inconuenientia, quæ ex nostra opinione sequantur, sed tanquam sententiæ quæ à nobis asseruntur. Ego autem ne iudicem voluisse nobis falsum imponere, illa refero tanquam illationes contra nos factas, & obiectas. Et in fine illius §. num. 109. me solum refert tanquam illius doctrinæ assertorem in disputatione 22. Metaph. sect. secunda, & lib. de Auxilium cap. quinto, & lib. secundo cap. 7. & 8. 2. Cabrera.

Tertiò eandem nobis in summa obiicit Aluar. nam disput. 22. num. 11. in fine ait nos appellare determinationem Dei condeterminationem, & addit. *Sed verius dixissent post determinationem cum reuera in eorum sententia determinationem creatæ voluntatis ordine naturæ subsequatur.* Quod in disputat. 99. se probaturum promittit, in illo autem loco non probat, sed supponit, nos asserere has tres propositiones causales esse veras, *Quia homo operatur, Deus operatur, quia homo vult consentire ideo adiuuatur, quia homo vult conuerti, ideo gratia excitans transit in adiuuantem, seu cooperantem.* Et his suppositis in eas inuehitur tanquam in assertiones Semipelagianorum quas Prosper & Hilarius ad Augustinum detulerunt, de quibus ipse contra Semipelagianos maximè disputauit. 3. Aluar.

Quarto

4. Cumel. Quartò eodem planè modo de me sentit, Cumel dicto lib. 1. disp. 4. in principio §. *Certè* vbi me sentire dicit, *Deum expectare influxum voluntatis humanæ præuidendo ipsum per scientiam meditam antecedenter ad influxum suum diuinæ gratiæ, & ad eius etiam concursum.* In quibus verbis solum pondero particulam illam *antecedenter*, nam reliqua quæ ad præscientiam conditionatam pertinent superius tractata sunt, de altera vero sententia, quod Deus expectet influxum nostræ voluntatis infra dicendum est. Expressius vero ead. disput. 4. sect. 3. post primam conclusionem sic inquit. *Videntur nonnulli Auctores huius ætatis sentire quod Deus & gratia illius solum tribuunt initium iustificationis remotum, videlicet, primam excitationem, hominem vero supposita illa excitatione incipere prius natura liberam conuersionem, per quam proxime & immediatè præparatur ad gratiam, & posterius natura, quia voluit homo consentire, Deum velle hic, & nunc adiuuare illum simultaneo concursu.* Et postea me solum allegat, conferteque inter se varia verba mea. Item inferius post secundam conclusionem, subdit. Aperitur campus, &c. §. *sanè* argumentatur. *Si efficacia auxilij & gratiæ actualis Dei prouenirent ex nobis, sola autem sufficientia esset ex Deo, sequeretur quod principale est in nostra conuersione tribuendum nobis esse.* In qua argumentatione videtur particulam assumere *ex nobis* exclusiuè, alias friuola esset argumentatio. Vnde satis declarat exclusiuam cum dicit, *sola autem sufficientia esset ex Deo*; supponit ergo nos hoc docere; vel hoc sequi ex nostra sententia.

5. Ledesma. Quintò P. Ledesma artic. decimo quinto prius de nobis omnibus, quos ab schola, & doctrinâ D. Thomæ relegat, solum ait, quòd negemus Deum prius natura efficere in nobis consensum quam nos illum faciamus *sed ad minus*, inquit, tenent *quod debent esse simul prædeterminatio, & prænotio Dei & etiam creaturæ, quæ quidem secundum istos non debet esset prædeterminato neque prænotio.* Et ad hoc ostendendum inferius multa ex libris nostris adducit. Et nihilominus ibidem subiungit, aliquos ex nostris dicere, *quod voluntas creata prius natura prædeterminat se ad ipsam operationem, supposito diuino auxilio sufficienti, quia sine prædeterminatione efficacis auxilij ipsa voluntas eleuata per auxilium sufficiens potest seipsam applicare, & prædeterminare prius natura, & tunc velut subsequitur operatio.* Et citat solum Molinam referens fideliter eius verba ex Concord. pag. 186. hoc est ad quæst. decimam quartam, articulo decimo tertio, disput. 29. §. vlt. & ex eis colligit. *Molinam apertè significare quod supposito auxilio sufficiente & præueniente ipsa voluntas liberè se applicat, & mouet prius natura ad opera supernaturalia, & Deus tunc cooperatur cum ipsa voluntate, cæterum in ordine ad effectum naturalem neutra istarum est prius altera.* Quomodo autem id ex verbis Molinæ colligat, non declarat, neque inuenio vnde id colligere potuerit.

6. Circa hanc obiectionem aduerto, nonnullos Theol. absolutè concedere, tam in operibus gratiæ, quam naturæ voluntatem nostram prius natura influere in suum actum, quàm Deus in illum influat per generalem, vel specialem concursum. Ita tenet Corduba in quæstion. lib. 1. quæstion. 55. dub. 8. & latè id explicat dubio 10. versus finem, & refert pro hac sententia Gregorium in 1. distinct. 38. art. 2. vbi tamen solum ait cum Okam voluntatem nostram non determinari à voluntate diuina efficienter illam prædeterminante. At vero in 2. disp. 37. art. 3. ad 8. dicere videtur quod Deus in suo concursu sequitur determinationem voluntatis, & ceùsalem illam admittit, ideo Deus agit talem actum, quia illum voluntas agit, & non ideo voluntas agit, quia Deus agit. Sequitur Lorca disp. 38. de peccatis & disp. 20. de Grat.

Hæc vero sententia nobis non probatur, & sæpe in superioribus reiecta est, quia cum omnis actio liberi arbitrij in quocunque signo naturæ consideretur, essentialiter pendet à concursu Dei, impossibile est, quod vero, & proprio ordine naturæ, seu causalitatis, præcedat actio liberi arbitrij, vel quod sit causa, vel ratio ob quam Deus in illam influat. Quod in re fatetur etiam Gregorius supra, vbi locutionem corrigit dicens non esse intelligendum, quod prius natura voluntas aliquid agat, quàm Deus, propriè loquendo de prioritate naturæ, sed solum, quod voluntas humana influens in talem actum sit quodam modo ratio, & motiuum, ob quod voluntas diuina determinet suum concursum ad eundem actum. Et idem ferè vult Corduba distinguens tria signa rationis, in quorum primo voluntas diuina se determinat ad concurrendum cum voluntate humana ad quemlibet actum, in secundo illa generalis voluntas Dei determinatur ad talem actum, & ad exercitium eius futurum; in tertio vtraq; voluntas simul coagunt talem actum. Hæc autem omnia necessaria non sunt, nec remè declarant, sed obscuriorem reddunt. Prius ergo natura & æternitate antecedit voluntas Dei offerens concursum simultaneum, & postea in tempore vtraq; voluntas simul tempore, & natura operantur eundem actum: neq; est necessarius vllus ordo, vel causalitas inter vtramque causam vel influxum earum, vt in lib. 3. de generali concursu naturæ & gratiæ dixi. Eademque ratio est de actuali influxu proximi principij gratiæ cum voluntate supernaturalem actum eliciente.

Ad totam ergo illam obiectionem tria diximus. 1 Primum est illam doctrinam, & propositiones quibus explicatur, adeo esse à nostris scriptis alienas vt contrariæ formaliter, & expressè in eis habeantur. Id ostendo in primis ex eisdem locis meorum librorum, quæ in contrarium allegantur: namq; Metaph. disput. 22. sect. 2. nihil eorum reperietur, quæ Cabrera allegat, imo in num. 54. in fine attingens punctum de ordine prioris, & posterioris naturæ inter influxum causæ primæ, & secundæ, illius resolutionem remitto in sect. 3. vbi num. 10. ostendo non inueniri talem ordinem, sed omnino simul, quia sunt vna indiuisibilis actio, in qua non potest ordo causalitatis inueniri, & sub aliis rationibus declaro influxum causæ primæ esse natura priorem. In lib. autem primo de Auxil. à cap. 5. ostendo quidem non esse necessarium, neque dari eorsursum præuium, aut prædeterminantem, præsertim ad actus liberos, & maximè ad actus peccatorum, vt in eodem libro latius doceo. De prioritate autem liberi arbitrij verbum nullum in locis inde allegatis inuenitur, imo in lib. 1. cap. 15. à num. septimo idem dixi quod in Metaphysica. Et lib. 3. cap. 22. num. 4. & 5. de voluntaria determinatione ad actum supernaturalem, similiter dixi non esse prius ab homine, quam à Deo, imo à Deo esse prius, id est, principalius, vel prius ratione auxilij præuenientis, licet ratione concursus, seu actualis influxus non sit prior influxus Dei secundum propriam rationem causalitatis, sed omnino simul.

Ex patre Molina, vnus ille locus quem Ledesma refert, intentioni nostræ demonstrandæ sufficiebat. sic enim habet. *Dicendum ergo est, non prius Deum concurrere concursu vniuersali ad effectus causarum secundarum, quam causas secundas, aut è contrario, neque prius existere vnum influxum, quam alium, sed vtrumque immediatum in actionem, & effectum producendum, atque à se inuicem dependere, vt existant. In quo etiam est latissimum discrimen, & maximè notandum inter concursum Dei vniuersalem cum causis secundis ad agendum naturaliter, & auxilium particulare, gratiamue præuenientem ad actus supernaturales, quibus arbitrium ad gratiam disponitur. Etenim*

naturales, quibus arbitrium ad gratiam disponitur. Etenim vt ex hu quæ à disputatione octaua d. cta sunt, ex parte constat, & in sequentibus amplius explicabitur, omnino est dicendum, concursum Dei particularem gratiam ve præuenientem semper, vel natura antecedere influxum liberi arbitrij ad actiones suas supernaturales, quibus ad gratiam gratum facientem disponitur tanquam causa principiumque efficiens in liberum arbitrium immissum, quo mediante Deus vlterius vna cum libero influxu eiusdem arbitrij in huiusmodi operationes supernaturales influit. At vero cum Deus per concursum vniuersalem, & causa secunda immediate influant in effectum causæ secundæ, tanquam duæ partes vnius integræ causæ, quarum neutra, illis precisè influxibus singularibus influit in alteram, sed vtraque immediate in effectum, fit, vt nutra illis precisè singularibus prius altera concurrat.

Cum ergo Molina vniuersaliter loquatur de influxu Dei, vt causa vniuersali, cum causis particularibus, & ipse Ledesma fateatur, Molinam docere in causis naturalibus non esse prioritatem inter illas causas, non video, vnde colligat illum in operibus gratiæ aliter sensisse. Nam differentia quam ibi ponit Molina inter vtrasque causas non est in auxilio simultaneo, sed in præueniente, quia in causis naturalibus nos censet esse per se necessarium, in liberis autem in ordine ad actus supernaturales catholicè docet esse necessarium, non vt prædeterminet, sed vt der virtutem, & principium agendi. Postquam autem voluntas sic est præuenta, illam Molina comprehendit sub causis secundis completis in actu primo ad agendum, quę iam non indigent nisi simultaneo concursu, cum quo simul natura, & non priusquam prima causa operantur. Atque in hunc modum suam sententiam expressè declarat in eodem libro disp. 39. in Lusitana editione, & 41. in Antuerpiana, vbi expressè declarat, & influxum Dei per concursum generalem, & influxum præuenientis gratiæ in actus supernaturales esse omnino simul natura cum influxu liberi arbitrij, & hunc nullo modo posse esse priorem. Et hanc doctrinam sæpissime in illo opere repetit, vt videre licet disputatione vigesima octaua alias 29. & aliis.

Hinc facile refelluntur aliæ propositiones à F. Dauila illatæ, vel assertæ. Nam contra primam idem Molina in disp. 39. alias 40. §. *Possumus* docet in contritione nihil esse quod supernaturale non sit, *& quod non simul à Deo manet, non solum tanquam ab excitante, & inuitante, & alliciente, sed etiam tanquam a cooperante*, id est, non tantum moraliter sed etiam physicè. Contra secundam vero in disp. 38. addita in editione Antuerpiana §. *Illud deinde* docet liberum arbitrium, & gratiam esse causas partiales non partialitate effectus, sed causæ, nihilque esse in libero actu supernaturali, quod à solo libero arbitrio fiat, non influente simul Deo, & eius gratia. Quod etiam dixerat in editione priori disputat. 37. & 38. quæ est 40. in posteriori §. *Possumus*. Et hinc infert ibi & in §. *Ad primum* contra tertiam propositionem illi obiectam, nihil habere adultum iustificatum de quo gloriari possit, ac si à Deo non acceperit omne id, in quo à non iustificato discernitur. Et inde infert in eadem disputatione §. *Ad secundam* dicendum non esse ex duobus æque vocatis vnum conuerti præ sola sua libertate, sed simul cum auxilio cooperantis gratiæ Dei.

Prima verò propositio obiecta à Cabrera quatenus prioritatē tribuit libero arbitrio, iam refutata est, addo verò in se inuoluere repugnantiam. Fatemur enim nos asserere, voluntatem se determmare ex vi suę libertatis, & sufficientis auxilij, in hoc autem includitur, determinationem non esse prius ex sola libertate, sed simul esse ex virtute gratię; repugnat ergo quod subdit, prius esse hāc determinationē quàm Deus ad illam concurrat per auxilium efficax, quia, eo ipso, quod gratia influit in ipsam determinationem, fit & ostenditur efficax in actu secundo, vt Molina frequenter docet. Similis contradictio in secūda propositione inuenitur, in quà prior illa pars, quod voluntas cōstituta in actu primo per auxilium sufficiens se sola, & per seipsam se reducat in actum secundum, est contra expressa verba Molinæ, & contra alteram partem, in qua dicit etiam ex sententia Molinæ, ad eam reductionem concomitanter concurrere auxilium efficax. Quomodo ergo se sola si non se reducit sine concursu gratiæ efficacis? Similis contradictio inuenitur in his, quæ idem auctor refert, & confitetur in tertia propositione, vt paulo inferius declarabo.

Possent autem illi auctores respondere, quod licet in quibusdam locis prioritatem negemus, ex dictis à nobis in aliis locis inferatur, & ita per inscitiā repugnantia dicamus. Ad hoc refellendum addimus secundum dictum, quod proposui, nimirum, nihil in eorum, quæ in obiectione asseruntur, nobisq; tribuntur ex dictis nostris, vel probabiliter, vel etiam apparenter sequi. Hoc probatur in primis de illo principali absurdo, quod in illa obiectione infertur, quia sequitur, aiunt, nos prius natura efficere determinationem nostram, quā Deus physicè nos adiuuet, negatur enim sequela: transit enim ab extremo ad extremū sine medio. Ex eo enim quod asserimus concursum Dei non esse priorem, inferunt esse posteriorem, cum tamen detur medium, quod nos asserimus, scilicet, esse simultaneū. Item transitū faciunt à verbo prædeterminandi ad verbum adiuuandi: namq; dicimus, voluntatem se determinare priusquā à Deo physicè prædeterminetur, imò sine tali prędeterminatione inferunt quod se determinet, priusquam Deus illam physicè adiuuet. quæ illatio valde friuola est, quia datur adiutorium physicum, & simultaneum: tale est enim adiutorium generalis concursus, & specialis influxus principiorum cooperantis gratiæ. Quin potius ex ipsa ratione adiutorij nos inferimus cū Aug. debere esse omnino simul, & nō prius sub illa ratione, vt in l. 3. de auxilio gratiæ adiuuantis declarauimus.

Hinc apertè corruunt illæ propositiones, quarum illationes in hac prima fundantur. Cum ergo F. Dauila infert primo liberum arbitrium *suis viribus* inchoare opus pietatis, si excludat cooperantem gratiam, vt indicant illa verba *suis viribus*, malè infert, quia si liberum arbitrium non priùs inchoat, quam à Deo iuuetur per gratiam physicè cooperantem, certè non suis viribus inchoat. Si autem particula *suis viribus* non excludit cooperationem gratiæ, sed solum significet, voluntatem sua libertate inchoare cum cooperante gratia opus pietatis suppositā vocatione Dei, sic catholica est doctrina, vt capite sequenti ostendimus. Quod autem additur voluntatem suis viribus inchoare opus, vt illud *inceptum gratia perficiat & consummet*, malè infertur, & ad priorem sensum in rigore pertinet. Nam liberum arbitrium non solis suis viribus, sed gratia physicè adiutum opus inchoat; ergo gratia non tātum physicè adiuuat ad perfectionem, & consummationem pij operis, sed etiam ad eius inchoationem. Cuius contrarium per illa verba significatur. Verius ergo diceretur, gratiam iuuare ad inchoandum opus, vt postea etiam ad illud perficiendum, & consummandum iuuet. Iuxta illud. *Qui cœpit in vobis opus bonum, ipse perficiet*. Secunda item illatio, *quod pars operis fit à libero arbitrio, & pars à gratia*, ineptissima est, quia nihil est à libero arbitrio, priusquam à concursu, & adiutorio Dei, quomodo inferri potest partem aliquā facere solum liberum arbitriū? Tertia etiam illatio ruit, quia arbitrium solū nihil facit sine gratia; ergo licèt simul cooperetur ad

actum

10. Refelluntur propositiones F. Dauilæ illatæ.

11. Refutatur prima propositio obiecta à Cabrera.

12. Instantia.

Refellitur.

actum quo se ab alio discernit, non ideo solus facit aliquid quo se discernat. Vnde ad summum inferri posset, non solam gratiam discernere iustum ab iniusto, quod in adultis, & quoad discretionem, quæ in executione fit, omnino concedendum est, iuxta illud Aug. *Qui creauit te sine te, non saluabit te sine te.* Vt infra iterum dicemus verba Pauli tractando.

13. Refutantur aliæ propositiones quas infert Cabrera.

Ex aliis verò propositionibus, quas infert Cabrera duæ priores satis iam reiectæ sunt. Tertia vero est de ista causali propositione, *quia voluntas se determinat ideo Deus efficaciter auxiliatur ad eundem actum*, & è contrario hæc erit falsa, *quia Deus auxilium efficax præbet ideo voluntas se determinat.* Eandemq; illationem facit Aluar. & per tres alias propositiones illam declarat. Vnde subinfert, concursum Dei ad nostram determinationem non esse determinationē, sed post determinationem. Nos autem quoad illationem attinet, facilè negamus, illam causalem sequi ex nostra sententia, quia negamus esse ordinem causalitatis, inter influxum lib. arbitrij, & gratiæ, seu Dei, idq; conuincimus ex identitate actionis indiuisibilis, sed illæ propositiones causales in rigore affirmant ordinem causalitatis, ergo non solum non sequuntur ex nostra sententia, sed ex illa potius in rigore falsæ esse conuincuntur, vt latiùs probaui lib. 1. de Auxil. c. 15. & 16. & lib. 3. c. 6. & 14. Dico autem illas propositiones causales esse falsas, quia si nota illa causalis non indicat propriam causam, sed necessariam conditionem, vel concursum comitantem, sic verissimum est cooperationem liberam arbitrij necessariam esse, vt gratia efficax suum effectum obtineat, quia non iuuat Deus nisi eum qui aliquid conatur, vt est Augustini axioma. Et hunc sensum admittit etiam Cabrera in disp. 2. n. 407. Ego vero censeo vitandam esse locutionem, quia in materia graui & calumniis, ac periculis expositа oportet cum omni proprietate, & rigore loqui. Vitandum est ergo verbis significantibus concomitantiam, *vt Deus non determinat voluntatem, nisi ipsa se determinet, non iuuat nisi ipsa se iuuet.*

14. Respondetur ad propositiones quas Aluar subinfert.

Atque hinc ad propositiones, quas Aluar. subinfert, neganda in primis est illa propositio. *Deus operatur quia homo operatur*, cum in ipsa operatione hominis Dei operatio includatur. Quid est ergo quod Aluarez refert? *Dixerunt* (inquit) consequenter, quod licet in eodem prorsus momento temporis, & naturæ, Deus, & voluntas operari incipiant, tamen Deus operatur, quia volūtas nostra operatur. Quomodo hæc possunt dici consequenter, cum in verbis citatis aperta contradictio inuoluatur? Nam si Deus & voluntas nostra, in eodem signo, seu momento naturę operari incipiunt, impossibilis est illa causalitas, quę necessariò supponit prioritatem naturæ in operatione nostræ voluntatis, sed ideo in hoc hallucinātur, quia nolunt distinguere inter hęc duo, Deus non operatur, nisi voluntate hominis cooperante, & Deus operatur, quia voluntas hominis operatur, quæ longissimè inter se distant; sicut propositio causalis differt à simplici, seu de inesse. Quod in omni operatione causæ secundæ suo modo locum habet; nam Deus non concurrit cum sole, nisi ipse illuminet, non tamen concurrit, quia illuminat. Et idem defectus committitur in illatione illius propositionis, *quia homo vult consentire, ideo iuuatur*, quam dicit sequi euidenter ex negatione physicæ prædeterminationis, cum tamen nulla sit ratio vel apparentia illationis, sed tantum abusus verborum. Nullo ergo modo dici potest *quia homo vult consentire, ideo adiuuatur*, cum non possit velle consentire sine adiutorio Dei. Dici ergo debet nisi homo velit consentire non iuuatur. Præterea idem est de vltima propositione illata ab eodem Auctore, *quia homo vult conuerti, ideo gratia excitans transit in adiuuantem, seu cooperantem*, nam cum illa causali nota est in rigore falsa, quia ipsum velle conuerti est à gratia adiuuante, & iuxta sententiam Molinę gratia excitans influit in illud velle non tantum moraliter sed etiam physicè, & per illum influxum transit in gratiam adiuuantem; non autem influit gratia excitans, quia arbitrium vult, quamuis non influat, nisi etiā arbitrium velit: Sicut quando voluntas, operatur ex habitu charitatis, habitus non influit, nisi velit arbitrio, non tamē influit habitus, quia vult voluntas, non enim præcedit aliquod velle, quo voluntas applicet habitum ad agendum, sed propriè dicitur habitus non influere nisi volente arbitrio.

Deniq; eadem ratione non est admittenda ex parte Dei illa causalis locutio, quia Deus, vel gratia influit, seu concurrit, ideo liberū arbitrium concurrit, si talis locutio ad actualem, seu concomitantem concursum Dei ad extra referatur. Probatur quia intercedit eadem ratio, quia illi influxui Dei, gratię & liberi arbitrij in re non distinguuntur, & ideo non potest esse inter illos vera causalitas. Dico autem, *si referatur ad influxum comitantem*, quia si sermo sit de præueniente auxilio, seu de vocatione verissimè dicitur, quia Deus vocat, vel præuenit hominem, ideo vult, vel consentit, nam gratia præueniēs est vera causa consensus, licet non excludat cooperationem liberi arbitrij: item si illa causalis referatur ad voluntatem Dei, quā aliqui vocant concursum, seu auxilium ad intra, sic etiā verè dici potest. Quia Deus vult seu præbet concursū, voluntas creata operatur, quia volūtas Dei est vera causa, & principium omnis effectus, & actionis voluntatis humanę, & ita non solum æternitate, sed etiam ordine naturæ antecedit, quia per actum immanentem, & virtute transeuntem influit in ipsum concursum, & hac ratione verè est causalis illa propositio, ad quam non est necessaria prædeterminatio physica, sed vera efficientia physica, & simultanea sufficit.

In his verò quæ Cumel subiungit falsum est Deū præscire prædeterminationem sub conditione futuram antecedenter ad influxum gratię, vel concursum Dei, neq; id potest inferri ex nostra sententia, sed potius contrarium, quia Deus non præscit futurum siue absolutè, siue sub conditione, nullo modo, quo futurum est in vtroq; illo statu. At vero determinatio libera nec absolute, nec sub conditione futura est antecedenter ad influxum gratiæ, vel Dei, sed cum illo, & omnino simul, vt ostensum est, ergo non aliter præscitur futura. Itaque ficta præscientia absoluta Deus præuidet determinationem futurum à voluntate cum concursu, & gratia Dei illi in tempore danda, ita in præscientia conditionata scit ad quam partem voluntas sit determinanda, cum tali concursu, & auxilio gratiæ, si illi in tali opportunitate detur, aut offeratur, vt illam iuuet ad se determinandum, & ita non antecedenter, sed concomitanter ad influxum gratiæ præuidetur talis determinatio. At vero in hoc etiam sensu inferri potest ex nostra sententia Deum expectare cooperationem nostræ liberæ voluntatis, vt ipse operetur. Sed de hac locutione dicam latius infra cap. 44. Est enim sub illis verbis, & ablata æquiuocatione verissima.

Quæ in altero loco Cumel mihi imponit, quatenus attingunt quæst. de initio salutis, infra in eodem capite tractanda sunt: quoad alia verò reiecta sunt. Quis enim dixit suppositа excitante gratia liberum arbitrium incipere prius natura conuersionem, per quam proximè præparatur ad gratiam? Nam si sit sermo de gratia, id est, de auxilio præefficaci, vel physicè adiuuante, homo non se præparat ad illam gratiam incipiendo conuersionem, sed cum illa gratia gratis collata incipit conuersionem. Si vero sit sermo de gratia sanctificante, sic verum est, hominem per conuersionem se præpa-

rare

rare ad illam, sed falsum est prius naturæ incipere talem conuersionem; quam per auxilium gratiæ ad illam inchoandam physicè iuuetur, non prius nec posterius, sed simultaneo concursu. Et apertè repugnantia inuoluitur, cum dicitur, quia homo voluit consentire prius naturæ, ideo Deum velle iuuare illum simultaneo concursu, nam simultaneus concursus non datur ad id, quod est prius naturæ, cum à nobis dicatur simultaneus non tantum tempore, sed etiam natura. Nec aliud tandem colligere potuit, ex omnibus locis, & verbis meis, quæ ibi citat, nisi vel Deum in consensu simultaneo, non prius natura, prioritate scilicet, causalitatis operari, quod ego libentissimè admitto, vel Deum quoad hunc concursum expectare influxum liberi arbitrij, quod etiam verum, & certum iudico. Sed de hoc posteriori puncto in loco citato dicam; de priori verò iam satis est dictum, & demonstratum, quàm longè sint ab illo principio cætera quæ ex illo male infert. Quorum vnum est, quod vltimo loco addit, de sufficientia, & efficacia auxilij, quod prior sola sit ex Deo, *secunda ex nobis*. Hæc enim posterior pars falsa est, vt dicam capite sequenti, nec sequitur ex dictis, cum arbitrium nihil faciat in ordine supernaturali sine auxilio efficaci, nec det illi efficaciam, sed ab illo potius iuuetur. Solum ergo dici potest auxilium efficax operari sine nobis, quod verissimum est, longe tamen diuersum.

18. Respondetur ad ea quæ Ledesma induxit.

Ad ea tandem quæ Ledesma induxit, fatemur, nos dicere, Deum non prius natura influere per concursum generalem, nec per actualem influxum gratiæ adiuuantis. Cauenda verò sunt verba, quibus sæpe ille auctor confusè vtitur concursum confundendo cum prædeterminatione, cum præmotione, vt possit inde concipere lector nos omnem gratiæ præmotionem negare. Distinctè ergo loquendo asserimus, Dei gratiam præcedere præmouendo liberum arbitrium, excitando illud, alliciendo, ac præparando, non prædeterminando, & quoad hæc præmotio Dei non est simul, sed præcedit tempore, quando est tantum sufficiens, vel saltem natura, quando est efficax, modo à nobis declarato. Post hanc verò præmotionem, in illo puncto, quo arbitrium determinatur, nullam aliam prædeterminationem, vel præmotionem causalem admittimus, sed concursum, & influxum simultaneum, vt satis iam declaratum est. Neque Molina aliquid amplius dicit in illo eodem loco, quem Ledesma citat, vt manifestè ostensum est.

19. Vltimò ergo addo tertium dictum quod proposuit, videlicet, totam hanc obiectionem locum habere in sententia illorum Doctorum, & ab eis eodem modo soluendam esse, si velint consequenter loqui, solumq; inter nos relinqui cõtrouersiam de auxilio præuio prædeterminante, cum qua omnes istę illationes & propositiones nullam habent connexionem. Declaratur assertio. Nam isti auctores admittunt nobiscum esse necessarium auxilium simultaneum imbibitum in actione liberi arbitrij.

20. Neque enim negare possunt, vt laudent, primam causam, per se, & immediatè influere in actionem creaturæ, neque etiam possunt negare, quin actio liberi arbitrij, si supernaturalis sit, immediatè, ac per se sit ab aliquo principio supernaturali, & gratuitè physicè in illam influente. Ergo loquendo præcisè de illo influxu simultaneo, obiici eodem modo potest contra illos Auctores, quod prius natura influat arbitrium, quam gratia, quia hoc influit prius secundum illum influxum; ergo posterius. Item sequitur, Deum concurrere, quia voluntas concurrit. Hæc autem non debent, nec possunt admitti in illa sententia, etiam respectu auxilij simultanei, quia nihil intelligi potest fieri à libero arbitrio sine illo simultaneo influxu; ergo necesse est, vt etiam fateantur ex negatione prioris, non inferri affirmationem posterioris, quia simultas excludit prioritatem, & posterioritatem respectu eiusdem, & secundum eundem ordinem naturæ, & causalitatis. Item fateri debent ex concomitantia necessaria non sequi causalitatem cum necessaria concomitantia, quia non agunt solitariè, vt sic dicam sed concurrendo simul. Ergo in hoc versatur eadem ratio in vtraque opinione. Solum ergo superest quæstio de necessitate præuij concursus, ante simultaneum, quæ controuersia per hanc obiectionem non attingitur, quia siue detur talis præmotio, siue non detur, semper est verum liberum arbitrium in operibus gratiæ nihil posse sine aliqua præmotione, & nullum opus posse agere, aut inchoare, sine actuali influxu, & concursu Dei proportionato operi voluntatis humanæ, & eiusdem ordinis cum illo. Nihil ergo sententiæ nostræ obstant propositæ obiectiones, de aliis vero vt lectoris fastidium leuemus, in capitibus sequentibus iuxta occurrentes occasiones dicemus.

CAPVT XXVIII.

Concluditur vera concordia libertatis auxilij cum efficaci auxilio eiusque necessitate in gratiæ operibus.

1. Hæc concordia est præcipuus scopus in hac disputatione intentus.

HÆc concordia in reipsa iam explicata est, quia verò est præcipuus scopus, & fructus in hac disputatione intentus, ideo breuiter, & clare proponenda est, & nonnullæ obiectiones dissoluendæ, vt per earum solutionem veritas illustrior fiat. Duæ verò sunt, vt sic dicam, partes libertatis, quæ integræ, & illæsę conseruari debent secundum idem, non obstante necessitate auxiliorum gratiæ etiam efficientiam, quæ secundum legem ordinariam Dei hominibus dantur. Prior pars libertatis est quoad specificationem, seu contrarietatis, quæ requirit potestatem veram, & moralem, ad præstandum supernaturalem consensum vocationi, etiam in his hominibus, qui vocationi sufficienti non consentiunt. Altera pars libertatis est quoad exercitium, quæ postulat potestatem non consentiendi vocationi, etiam in his hominibus qui vocationi consentiunt, considerata prius natura, quam consensus fiat. Quæ omnia satis patent ex dictis supra de libertate.

2. Necessitas gratiæ efficacis optimè conuenit cum libertate quoad specificationem. Ratio.

Dicimus ergo primò, necessitatem gratiæ efficacis existentis in vocatione congrua optimè conuenire, seu in concordiam redigi cum libertate quoad specificationem. Ratio est, quia homo à Deo vocatus habet potestatem proximè sufficientem ad consentiendum si velit, ita vt sine alio præueniente auxilio, vel prædeterminatione extrinsecus prouenient posit cum effectu velle, & facere id, ad quod vocatus est; ergo talis homo licet cum effectu non consentiat, liber est ad consentiendum. Antecedens probatum hactenus est contra alias sententias. Consequentia verò probatur, quia in illo homine ordine naturæ præcedit vera potestas consentiendi per principia gratiæ tam moralia, quam physica, & potestas dissentiendi, per intratam libertatem, vt effectus ipse probat in his, qui non consentiunt; ergo in tali homine prius natura, quam dissentiat, est vera libertas ad consentiendum, & consequenter, quoad specificationem actus, seu libertas contrarietatis; hæc enim idem sunt.

3. Secundò ad maiorem declarationem eadem ra-

tio aliter formatur, quia homini sufficienter vocato, & nihil consentienti nihil deest ex parte gratiæ necessarium ad consensum, nisi auxilium gratiæ simultaneum, seu concomitans, sed hic defectus non est contrarius libertati; ergo. Maior supponitur ex dictis. Minor probatur, quia licet ille concursus ad extra non detur, esse potest oblatus, & paratus ex parte Dei, & de facto ita offertur, quia secundum scripturas, & promissiones, ac comminationes Dei, per Deum non stat, quominus homo consentiat, & velit postquam vocatus est; ergo id satis est ad libertatem. Probatur consequentia, quia hæc libertas consistit in proxima potestate sufficiente ad vtrumque, & consequenter ex parte Dei habente paratum concursum: hoc enim intimè imbibitur, vel requiritur in proxima, & integra potestate, vt supra probatum est: actualis autem concursus simultaneus non requiritur ad potestatem, sed ad vsum eius. Vnde in actibus etiam naturalibus idem modus libertatis ad vtrumque inuenitur, licet in vsu, & in effectu homo vnum tantum concursum ad vnum actum, & non ad alium in se recipiat, tamen quia hoc ipsum per illum stat, & pendet ab vsu libertatis eius, ideo cum carentia talis concursus stat vera libertas ad eundem actum.

3. Eadem ratio aliter formatur.

Tertio declaratur, quia quod vocatio sit inefficax seu incongrua non oritur ex Deo, sed ex homine, vt in superioribus probatum est; ergo talis vocatio, quæ in re est incongrua confert homini potestatem, qua liber simpliciter constituitur ad non reddendum vocationem incongruam, ergo incongruitas illa stat cum perfecta libertate ad consentiendum, aliàs non posset homini imputari, nec esse libera talis inefficacia, seu incongruitas. Et hoc confirmant illæ admonitiones Petri, & Pauli. *Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem faciatis* 2. Pet. 1. & *Adiuuantes exhortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* 2. Cor. 6. Essent enim istæ exhortationes vanæ, nisi bonus vsus gratiæ, vel vocationis esset in proxima potestate recipientis. De quibus & aliis locis in capite sequente.

4. Declaratur.

Supereſt verò difficultas, quia vocatio, seu auxilium efficax, est simpliciter necessarium, vt homo consentiat, sed hæc vocatio non datur homini qui non consentit; ergo deest illi aliquid necessarium ad consensum; ergo non est liber ad consentiendum Probatur consequentia ex nostris principiis. Primo, quia vocatio congrua est necessaria tanquam vnum ex prærequisitis ad operandum, ostendimus enim hoc auxilium efficax esse præmouens, & ordine naturæ antecedens operationem. Secundo, talis vocatio etiamsi dicatur aliqua ex parte inuoluere auxilium simultaneum, nihilominus non solum non datur, verum etiam nec offertur à Deo, neq; est in potestate hominis habere illam, quia nihil potest homo facere, vt illam habeat, vt supra de prædeterminatione physica dicebamus: Rationes enim ibi factæ, æquè hic procedunt, quia nec immediatè potest homo in se facere talem vocationem, nec media dispositione liberâ ad illam se præparare, cum omnis talis dispositio debeat ab aliqua congrua vocatione proficisci. Et confirmatur. Nam illud est in nostra potestate, quod est in nostra voluntate, iuxta illud Augustini 1. Retract. c. 22. *Id est in nostra potestate quod cum volumus facimus*, sed habere talem vocationem non est situm in nostra voluntate, sed est beneficium omnino gratuitum, nam ratione huius vocationis potissimè dictum est ab Apostolo. *Non est volentis neq; currentis, sed Dei miserentis*, iuxta sententiam Augustini in Enchirid. c. 32. dicentis. *Quomodo non volentis, &c. nisi quia & ipsa voluntas vt scriptum est à Domino præparatur.* Præparatur autem per sanctam & congruam cogitationem, seu vocationem, vt ipse lib. de Dono perseuer. cap. 8. declarat, & in q. 2. ad Simplician. *Nisi vocando*, inquit, *præcedat misericordia Dei, nec credere quisquam potest, vt ex hoc incipiat iustificari & accipiat facultatem operandi.* Et infrà expresse dicit, nobis tribui non posse quod vocamur, præsertim illa vocatione quæ congrua dicitur, de qua inquit. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei qui hoc modo vocauit, quo aptum erat eis, qui sequuti sunt vocationem.* Talis ergo vocatio cui non datur, neque etiam offertur; ergo non est in potestate eius, ergo neque in libertate, ergo necessectus talis vocationis est in eius potestate, aut libertate, cùm ad illum sit necessaria talis vocatio, sicut nos contra necessitatem physicæ prædeterminationis argumentati sumus.

5. Proponitur difficultas

Ad hanc difficultatem expediendam, & differentiam assignandam inter vocationem congruam, & physicam prædeterminationem, duo attentè distinguenda sunt. Nam aliud est, vocationem, quæ homini de facto datur esse congruam, vel incongruã, aliud verò est quod Deus præcognoscendo vnam vocationem futuram congruam, aliam verò talem futuram elegerit vnam, vel alteram tribuere. Nam manifestè constat posse hoc secundum pendere ex sola Dei voluntate, quamuis primum etiam ex voluntate humana pendeat. Dicendum est ergo vtrumq; eorum esse. Nam posita in homine sufficiente vocatione, & præscindendo ab omni præcognitione Dei circa futura est in potestate hominis facere, vt illa vocatio Dei congrua sit, quia illi simul offertur auxilium concomitans, quo possit operari, si velit, & si de facto operetur, iam vocatio erit congrua, & vt talis, erit à Deo præcognita & libera electione collata. Neque obstat quod quidam obiiciunt, quia nemo potest se disponere ad auxilium efficax, saltem primum, neq; illud impetrare, aut emereri, nam ad hæc omnia supponi debet, ergo nec potest habere illud in sua potestate, etiam quoad hoc, vt efficacitas auxilij pendeat ex libertate hominis Respondemus. n. negando consequentiã quia illa potestas quæ est in homine vocato vt non reddat vocationem incongruam, non est remota, vt sic dicam, scilicet, per potestatem se disponi ad aliquod auxilium, sed est proximè per potestatem cooperandi auxilio, seu vocationi, cùm auxilio simultaneo sibi iam oblato. Atq; ob hanc rationem necessitas vocationis congruæ non repugnat cum absoluta libertate, & potestate, ad bene operandum, etiam tum, quando contingit, vocationem non esse congruam, quia causa huius defectus, seu incongruitatis actualis, in libero arbitrio fuit.

Difficultas autem posita non procedit contra hanc partem, sed tantum probat aliud secundum membrum, quod proposuimus, scilicet non obstãte hac dependentia, congruitatis vel incongruitatis vocationis à nostro libero arbitrio, nihilominus manere in æterna Dei prouidentia, & sola libera electione quod decreuerit dare huic homini in tempore vocationem, quam præuidet ei futuram congruam, vel aliam non talem futuram, *quia* cum in præscientia sua omnia præoccupet, potest velle quod sibi placuerit, & varias vocationes pro suo beneplacito distribuere, seu causas secundas ita præparare, vt hęc, vel illa vocatio ad hunc, vel illum hominem pręueniat. Et hoc tantum est quod Aug. in locis citatis docet, & probant rationes factæ. Idemq; confirmat argumentum proximè factum, quod homo non potest se disponere ad primam vocationem, etiam sufficientem, ergo multo minus ad congruam; Hæc ergo distributio, sicut & prædestinatio voluntate Dei fit, & non habet causam ex parte hominis, vt infra latius dicam.

Vnde vt difficultas clarius soluatur addendum est vocationem congruam ita esse necessariam vt consensus cum effectu detur, vt illa necessitas non sit

sit ex parte principij, quatenus confert veram potestatem ad agendum, sed solum ex parte effectus, vt certo, & infallibiliter futurus sit. Quæ necessitas maximè consideratur in ordine ad diuinam præscientiam, & prædestinationem, vt voluntas prædefinitiua Dei possit infallibiliter impleri. Et ideo non obstante necessitate vocationis congruæ, qui illam non habet, absolutè & simpliciter habet potestatem operandi, quia ipse est in causa; vt vocatio, quam habet, congrua non sit. Neque refert, quod sit, vel fuerit in hominis potestate recipere à Deo illam vocationem, quam præcognouit futuram esse congruam. Quia ex parte ipsius consensus, vel potius ex parte principij eius non erat illa simpliciter necessaria ad tale opus, vel consensum præstandum, poterat enim fieri per aliam vocationem simpliciter, & verè sufficientem. Si homo illa vti voluisset, sicut posset, sed illa necessitas est solum ex præscientia Dei qui præuidit hominem de facto non bene vsurum alia vocatione, & illa necessitas quoad hanc partem est consequens liberum vsum, vel abusum in præscientia, & non est necessitas simpliciter, & antecedens, & ideo carentia talis vocationis non est contra libertatem quoad specificationem respectu talis effectus.

9. Atque hinc tandem est apertum discrimen inter necessitatem physicæ prædeterminationis, & congruæ vocationis. Nam physica prædeterminatio dicitur esse antecedenter, ac per se, & natura sua necessaria ad omnem actum liberum voluntatis, & ideo si illa non datur, nec offertur à Deo, sed potius ex absoluto, & antecedenti Dei decreto omnino negatur actus simpliciter, & omnino fit impossibilis voluntas: nullo enim modo est in potestate eius. At vocatio, quæ de facto est congrua non est simpliciter necessaria, alia enim de se sufficeret, si homo illam non contemneret, sicut de vocatione Esau dixit Augustinus dicta q. 2. ad Simplician. vnde si quæ est illa necessitas non est antecedens sed consequens. Quod ex alia differentia declaratur, nam physica prædeterminatio si necessaria est, reuera requiritur ex parte principij, vt det, vel cõpleat posse, vt manifestis argumentis probatum est, etiamsi assertores eius aliquando tergiuersentur, ideoq; qui talem prædeterminationem non recipit in se, absolutè non habet potestatem integram & proximã, & quia illam non habet in sua potestate morali, ita vt facere possit aliquid ad obtinendam illam, neque potestatem remotam habet, ac subinde liberam quoad specificationem, nec illi potest imputari ad culpam carentia talis auxilij efficacis, & consequenter nec omissio effectus illius.

10. Vocatio cõ grua duo habet. At verò vocatio congrua duo habet, nam & est vocatio, & est congrua. Quatenus vocatio est dat posse integrum, & completum tam morale, quam physicum, quia supponit vel principium physicum supernaturale, vel illud secum affert, vt declaraui capite..... Quatenus vero congrua est, dat illud posse tale modo, vel in tali opportunitate, vt infallibiliter habeat effectum, & ideo dicitur sub hac ratione non solum dare posse, sed etiam agere, quia inducit infallibiliter ad agendum. Veruntamen intercedit differentia, quia sub priori ratione dat posse per se, & independenter ab vsu liberi arbitrij, sub posteriore autem ratione dat agere cum ordine ad vsum liberi arbitrij à Deo præuisum ad quem illa congruitas dicit habitudinem. Et hinc fit vt possit dari integra potestas, & consequenter etiam integra libertas, sine congruitate vocationis, quia potest præcedere vocatio, quæ det talem potestatem, & solum desinat esse congrua ex defectu liberi arbitrij in cuius proxima potestate est bonus vsus talis vocationis, & quia cum illo auxilio gratiæ non facit, quod potest, ideo talis vocatio congruitate caret, quam posset habere. Et hoc modo congruitas talis vocationis est in potestate hominis, licet non sit in eius potestate habere aliam vocationem, quam Deus prænouit futuram congruam, & nihilominus illam dare noluit quod non obstat libertati, & potestati per aliam vocationem comparatæ.

Dico secundò Efficacia gratiæ libertati arbitrij quoad exercitium actus non repugnat, sed media vocatione congrua optimè concordat. Assertio quoad priorem partem certa est de fide, modus autem huius concordiæ licèt sit obscurus, à nobis tamen explicatur in hunc modum. Quia duo requiruntur ad gratiam, seu auxilium efficax præuium, vnum est vt inducat voluntatem in consensum, aliud vt infallibiliter consequatur effectũ; primum habet vocatio congrua ex se, & ex natura sua, & hoc præcisè spectatum non repugnat libertati, quia cum vocatione sic considerata manet indifferentia voluntatis, ita vt posset cum illa vocatione coniungi carentia consensus, si nulla alia suppositio fiat. Secundum autem non habet illa vocatio ex se sola, sed vt habet habitudinem ad effectum futurum, & præuisum à Deo, qui in sua præscientia falli non potest. Hinc ergo fit, vt illa efficacitas vocationis optimè simul consistat cum libertate actus: quia quatenus illa vocatio spectatur, vt congrua, iam inuoluit vsum libertatis.

11. Efficacia gratiæ libertati arbitrij quoad exercitiũ actus non repugnat, sed media vocatione congrua optimè concordat.

Et hæc ratio concordiæ maxime declaratur ex differentia inter infallibilitatem physicæ prædeterminationis, & vocationis congruæ. Nam prior est infallibilitas in causa determinata prius natura, quam efficiat actum secundum, id est, in auxilio de se efficaci, & prædeterminante voluntatem humanam, vnde repugnat indifferentiæ requisitæ, ad vsum libertatis, hæc vero posterior est infallibilitas effectus, vt futuri à sua causa proxima præuisa, vt liberè determinanda cum tali auxilio, vnde necessitas quæ sequitur ex priori infallibilitate, est necessitas omnino antecedens, quæ libertati repugnat. Altera vero est necessitas consequens, quæ optimè cum libertate consistit. Item prior infallibilitas, seu necessitas nullo modo pendet ex libera potestate voluntatis, quia nec habere illam prædeterminationem est in potestate libera voluntatis, sed solum in potestate receptiua respectu liberæ voluntatis Dei, & post receptam illam determinationem non est in potestate voluntatis suspendere, vel impedire actionem eius, at posteriori infallibilitas absolute pendet ex libero vsu voluntatis, cuius præuisio supponitur in mente Dei per scientiam conditionatam, & inde infallibilis connexio talis vocationis cum consensu libero voluntatis.

12. Declaratur.

Vnde vlterius in hoc modo efficacitatis vocationis congruæ non antecedit, vel tempore, vel natura determinatio voluntatis humanæ ad vnum in actu primo, sed semper intelligitur de se indifferens etiam posita illa vocatione, ita vt præcisè spectando talem vocationem, possit voluntas humana pro sua libertate illam facere non congruam, seu reddere inefficacem. Atque ita prima determinatio est illa, quæ fit in actu secundo concurrente simul ipsa libera voluntate; solum ergo præcedit vocatio, vt habens habitudinem ad liberam determinationem voluntatis futuram infallibiliter in præscientia Dei, quæ habitudo non solum potest esse simul cum libertate, sed etiam vsum eius in suo termino inuoluit. At vero in altero modo efficacitatis per physicam prædeterminationem antecedit in humana voluntate determinatio ad vnum in actu primo, ad quam voluntas humana liberè non concurrit, & ab illa sic prædeterminata procedit postea actus secundus secundum ordinem causalitatis, & naturæ, quod male potest cum libero

vsu circa eundem actum componi, quia talis effectus, vt prouenit à tali causa proxima, in actu primo integrè constituta, non est contingens, sed necessarius, nec procedit indifferentia ad non agendum, sed cum necessitate absoluta, & ab extrinseco prouenient ad agendum. Ex comparatione ergo vtriusque efficacitatis ita concludimus. Infallibilis connexio inter præueniens auxilium, & consensum voluntatis tantum esse potest, vel antecedens, & in causa, vel consequens, & in præscientia aliqua futuri euentus in se ipso, sed prior modus infallibilitatis non potest cum libertate actus concordari, vt multis modò ostensum est; ergo ideo cum illa concordat, quia non est infallibilis in causa per se spectata, sed vt habente habitudinem ad effectum infallibiliter in præscientia futurum. Ergo non potest aliter quam per vocationem congruam hæc concordia explicari, & cum illa optimè constat.

12. Contra hunc autem concordiæ modum multa nobis obiiciuntur. Primum est quia procedit ex fundamento scientiæ conditionatæ, quod (vt quidam ait) omnes antiqui Doctores negant, & certum est (in eius vtiq; sententia) talem præscientiam non dari. Et quamuis hoc non sit certum, saltem negari non potest, quin tale fundamentum sit dubium, ideoque videri debet insufficiens ad concordiam explicandam, quia de fide certum est, gratiam, & prædestinationem Dei non tollere libertatem, dogma autem fidei non debet in dubio principio fundari. Hæc vero obiectio facilè, & maiori efficacitate retorqueri potest contra physicam prædeterminationem. Nos enim sententiam quæ in illa constituit efficacitatem auxiliorum falsam esse censemus, & vt credimus efficaciter probamus, & ex eo præcipuè illam impugnamus, quod talis modus præuenientis efficaciæ concordari non potest cum actu nobis libero quoad exercitium, neq; necessitas eius potest cum libertate quoad speciem talis actus conciliari in eo, cui tale auxiliū non datur. Ac deniq; etiam credimus, antiquos Doctores maiori ex parte tale genus prædeterminationis negasse, & alios plerosque illam non agnouisse, quod in sequentibus ostendemus. Et quamuis de hoc sit contentio, multo magis dubia est assertio talis prædeterminationis, quam scientiæ conditionatæ: nam (vt credimus) minori nititur auctoritate, & seclusis aliis testimoniis, vel rationibus in illa scientia nulla maior inuenitur repugnantia, quam in absoluta scientia futurorum contingentium, & per se spectata decet Deum, pertinetque ad perfectionem eius: in prædeterminatione autem inuenitur repugnantia respectu libertatis, & non pertinet ad perfectionem Dei, sed potius præ se fert violentum quendam prouidentiæ modum. Incautè autem id nobis obiiciunt, in quo ipsi maiori ratione redargui possunt.

13. Et nihilominus in forma respondemus ad priorem partem negando assumptum. Est enim illa sententia conformis scripturis, & antiquis Patribus, & omnino vera, quam multi ex aduersariis iam negare non audent, licet in modo, seu fundamento illius à nobis discordent, vt physicæ prædeterminationi adhæreant, ex quo quanta illis incōmoda sequantur in secundo Prolegomeno ostendimus. Ad alteram partem dicimus dogma fidei non fundari in dubio fundamento quantum ad rationem credendi, sæpè autem explicari, & defendi per fundamentum minus certum quamuis probabilius. Sicut quod Spir. S. non sit filius, dogma fidei est, id autem à nobis explicatur, quia processio per voluntatem non est per modum similis, quod sub opinione est. Ita ergo in præsenti licet concordia auxilij efficacis cum libertate sit dogma fidei, & de scientia conditionata non sit tanta certitudo, nihilominus hanc viā vt saniorē, & magis accōmodatam eligimus ad illud dogma fidei defendendum, & explicandum, quod ad munus Theologi pertinet.

Hinc verò obiiciunt secundò, quia concordia hæc libertatis cum gratia, & Pelagianis visa est impossibilis, & Augustino, & Patribus saltem valde obscura, & difficilis, si autem hæc concordia sumenda esset ex vsu libertatis præuiso per scientiam conditionatam, res esset valde facilis, & peruia, & ita nec hæretici habuissent occasionem exaggerandi repugnantiam gratiæ cum libertate, nec Augustino visa esset res adeo difficilis. Imo aliquando illam rationem esset aggressus ad hanc concordiam explicandam, quod tamen nunquam facit, sed semper in hoc negotio recurrit ad subiectionem intellectus in obsequium fidei, & recognitionem omnipotentiæ Dei, & iustitiæ, ac bonitatis eius, nihilque aliud respondendum putat, nisi quod Paulus homini dicenti. *Quid adhuc quæritur? voluntati eius resistit?* respondet. *O homo tu quis es, qui respondeas Deo, ô altitudo diuitiarum, & non est iniquitas apud Deum.* Ergo signum est hunc modum concordiæ quem nos assignamus non esse verum, neque principiis fidei consentaneum.

Tres partes habet obiectio. Prima spectat ad rem ipsam, & in hoc fundatur, quod hæc ratio cōcordiæ est nimis facilis, cum tamen ipsa concordia semper visa sit obscurissima, præsertim Augustino epistola 46. in fine & 47. in principio, & in lib. de grat. & liber. Arbitr. in principio. Respondemus hunc modum concordiæ comparatum quidem ad obscuritatem, & perplexitatem, quæ posita physica prædeterminatione in tali concordia inuenitur, esse facilem, & clarum, nihilominus tamen absolutè loquendo esse valde supernaturalem, & multa includere quæ ab homine non comprehenduntur, licet vtcunq; concipiantur. Nam in primis scientia illa de futura libera determinatione voluntatis ex tali, vel tali hypothesi nimis est obscura, & difficilis, necessariumque est fidei adiutorium, vt ea credatur, quia diuinæ excellentiæ, & testimoniis scripturarū est magis consentanea. Vnde cū hæc concordia illā sententiam supponat, eo ipso difficilis est, & obscura. Deinde illa posita superest illa difficultas quæ Philosophos errare fecit, quomodo cū tali præscientia stet contingentia, quam noui quidam Theologi audent dicentes hanc scientiam esse causam futurionis effectus per eam cogniti. Imo etiam in ipso Deo nō caret difficultate ad explicandū quomodo cum tali præscientia liberè operetur, vt in proprio opere de illa scientia attigimus. Ad hæc etiamsi scientia ipsa non tollat libertatem, adhuc obscurū est, quomodo gratia prouenient ex absoluto decreto Dei, etiamsi illam scientiam supponat, libertatem non impediat, cū absolutè voluntati Dei nemo possit resistere. Ac deniq; in executione satis obscurum ac difficile est ad intelligendum quomodo volitas diuina & humanaita in effectione eiusdem actionis cōueniunt, vt neutra alteram ordine causalitatis, aut prædeterminationis antecedat, quę difficultas non tollitur per scientiam conditionatam. Nam in illamet scientia necessarium erit, vt saltem sub conditione illa, quæ in tali scientia supponitur, proponantur illæ duæ voluntatis vt cōiunctæ, & quasi præparatæ ad efficiendam eandem actionem omnino simul natura sine præuia efficacia, vel prædeterminatione vnius in aliam. Hæc ergo concordia quam assignamus non potest propter claritatē, vel facilitatem contemni, cùm difficultatibus scateat. Debet autē aliis præferri, quia in his difficultatibus nulla est, quæ vel repugnantiam aliquam cum aliquo dogmate fidei, vel contradictionem in rebus ipsis ita præ se ferat, vt non sufficienter, imo & euiden-

euidenter soluatur, saltem negatiuè, vt aiunt, id est ita soluendo argumenta, vt euidens sit non concludere. In alia vero ratione concordiæ, quæ physicam prædeterminationem supponit multa includuntur, quæ ita apparent, & inter se, & cum dogmatibus fidei pugnantia, vt nobis non videantur sufficienter ne dum euidenter dissolui.

16. Secunda pars obiectionis soluitur.

Secunda pars obiectionis erat de modo argumentandi Pelagianorum contra August. arguebant enim illum, quod introduceret fatum nomine gratiæ efficacis, seu vocationis ex proposito, quod nullo colore dicerent, si concordiam libertatis cum tali gratia ad scientiam illam mediam reuocaret. Vnde tertia pars illius obiectionis est, quòd Augustinus nunquam vsus est tali scientia ad hanc concordiam explicandam. Verumtamen quod ad Augustinum attinet in Prolegom. 2. ostendimus, illum, & scientiam mediam agnouisse in Deo, & ad nonnulla mysteria explicanda illa vsum fuisse: quomodo verò illam semper cum prædestinatione, & congrua vocatione coniunxerit, infrà in speciali capite declarabimus. De Pelagianis verò siue illam scientiam ignoraverint, siue illam cognouerint, parum nostra refert, nam in hoc valde errabant, quòd necessitatem auxilij gratiæ etiam adiuuantis, simultanei seu generalis concursus putabant repugnare libertati. Vnde in obiecto scientiæ mediæ (sic eam agnouerunt) non admitterent posse includi auxilium gratiæ, vt ex hypothesi præsciretur, quid esset voluntas cum illo subsidio liberè operatura, quia credebant illâ hypothesim destruere libertatem. Et ideo cogitare non potuerunt per scientiam hanc posse efficaciam gratiæ cum libertate conciliari. De Semipelagianis certius est, illam scientiâ tribuisse Deo, male tamen illa vsi sunt, non ad conciliandam libertatẽ cum vera gratia, sed ad defendẽdum bonum vsum solius libertatis sine adiutorio gratiæ, & consequenter ad distribuendâ veram rationem gratiæ, ponendo meritum gratiæ in merito solius liberi arbitrij, & tribuendo rationem meriti, vel demeriti operibus nunquam futuris. Et hoc putarunt necessarium esse ad concordandam libertatem cum gratia, & ad saluandam in Deo genetalem voluntatem saluandi omnes homines, vt constat ex Epistola Prosperi. Et quia D. Augustinus talem concordiam non admittebat, imo validissimè impugnabat, dicebant illum introducere fatum, & similia.

Item tertia pars.

ex præcedenti propositione, quia nostrum arbitrium est, quod suo bono vsu dat efficaciam auxilio; ergo est ratio ob quam est efficax. Falsitas autem consequentis probatur, quia sic homo fidelis discerneret se à non fideli per suum arbitrium contra Paulum 1. Cor. 4. Tertium est posse hominem resistere auxilio efficaci, quia potest facere, vt non sit efficax, quando quidem hoc pendet ex sua libertate. Consequens autem est falsum, quia auxilium efficax procedit ex proposito Dei absoluto, cui nemo potest resistere, & est medium efficax ad illius propositi executionẽ sed voluntati Dei efficaci nemo potest resistere, vt dicitur Esther. 13. Ergo neque efficaci auxilio. Vnde argumentor in hunc modum, quia vocationi congruæ resisti potest, vel non potest. Si potest illi resisti, non est auxilium efficax, si non potest ei resisti, non minus repugnat libertati, quam prædeterminatio physica, & difficultates omnes de illa propositæ hic locum habent. Quartum inconueniens est, quia sequitur auxilium efficax non addere supra auxilium sufficiens aliquod auxilium præuenientis gratiæ; sed solam cooperationem voluntatis cum auxilio simultaneo. Ex quo vlterius fit, auxilium efficax non distingui à sufficiente, nisi in actuali effectione, & in auxilio simultaneo, ac proinde non esse efficax, quia facit hominem consentire, sed quia illo cooperante facit cum illo consensum, quæ omnia sunt à nobis in cap. 1. præcedentis libri reprobata. Quintum est, quia sequitur conuersionem hominis non resolui vltimatè in solam diuinam voluntatem, sed etiam in humanam, ac subinde ex duobus vocatis ad fidem, quod vnus credat, & alter non credat, non esse tribuendum soli diuinæ voluntati, sed maximè humanæ. nam iste non credit, quia non vult, ille autem credit, quia vult. Et licet sit differentia, quod ille solo suo arbitrio nõ vult, iste autem non solo arbitrio, sed adiuuante simul gratia vult, nihilominus propria, & innata libertas est in suo genere non solum proxima, sed etiam vltima ratio, in quam discretio illa resoluitur. Quod si verum esset, cessaret admiratio Augustini, cur hunc trahat, & illum non trahat, &c. non facilis est ratio scilicet, quia hic vult, & ille non vult, quod neque Augustino, neque modo loquendi scripturę consentaneum est. Et similia multa possunt obiici, & inferri, quę videntur contraria vel scripturis, vel Conciliis, vel Augustino, & ideo de his testimoniis tractando in sequentibus capitibus alias obiectiones commodius proponemus.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

2. Respõdetur ad obiectiones.

Ad propositas verò obiectiones respondemus, nihil posse ex nostra sententia sequi, quod errorem Pelagij, & Massilienſium redoleat, cum ab vtroq; errore longissimè discrepet, imò vtiq; directè opponatur. Quod facilè intelliget, qui attente considerauerit, quæ de illis erroribus in Prolegom. 4. fideliter, ac diligenter tradidimus, & quæ in his quinque libris de necessitate auxiliorum gratiæ, tam excitantis quã adiuuantis, ad inchoanda, perficienda, & consummanda pietatis opera docuimus. Ad primum ergo inconueniens negatur sequela. Vocatio enim congrua, sicut non habet suum esse, vel suam perfectionem à libero arbitrio, ita neque ab illo potest efficaciam suam habere, sed vel efficienter habet illam à Deo, vel formaliter à sua perfectione quæ intrinsecè est talis virtus agendi. Neq; obstat quod tale auxilium non sit effecturum, nisi cum illo sit concursura simul voluntas humana se liberè determinans: nam hinc solum fit tale auxiliũ non exercere actu suam efficaciam sine libero arbitrio concansante cum illo, inde vero non fit, quod auxilium ab altera concausa habeat suam efficaciam, sed solum quod eam non exerceat sine illa. Sicut habitus charitatis non elicit actum sine voluntate se determinante, & tamen non recipit efficaciã

Ad primum incommodum.

CAPVT XXIX.

Aliis obiectionibus contrà superiorem concordiam ab incommodis desumptis satisfit.

1. Obiectiones contra superiorem concordiã, ab incommodis desumptæ. Primum incommodũ.

VLtra superius dicta præcipuè nobis obiicitur, quod iuxta illam rationem concordiæ, multa videntur consequenter concedenda, quæ in Semipelagianis, vel etiam Pelagianis sunt damnata aut certè ad illa nimiũ videntur accedere. Primum est quia sequitur, auxilium efficax recipere efficaciam à libero arbitrio, & consequenter id, quod est potissimum in tali auxilio esse à nobis, & non ex Deo, quod dici non potest. Sequela patet quia iuxta nostram sententiam auxilium in re non est efficax, nisi per liberam determinationem voluntatis humanæ & ipsa vocatio nõ denominatur efficax, nisi per habitudinem ad illam determinationem, & quasi per determinationẽ ab illa. Secundum est, quia sequitur, rationem ob quam auxilium nobis datũ est efficax, esse voluntatem nostram bene vtentem suâ libertate. Consequens est falsum ergo. Sequela patet

Secundum.

à voluntate, sed solum non exercet illam sine voluntate. Et hoc euidentius fiat, distinguamus vocem illam *efficacem*, potest enim significare vel vim & potestatem agendi, vel actualem causalitatem, aut effectionē. Si ergo priori modo sumatur, eudēs est, vocationem congruam non recipere efficaciam sūā à libera concordantē determinationē habet vocatio illā efficaciam, effectiuè quidem à Deo, vt dixi formaliter vero per seipsam, quia habet innatā, & intrinsecam illā vim agendi, vel causandi, quæ nomine *efficaciæ* in prædicta acceptione significatur. Si vero sit sermo de efficacia posteriori modo sumpta, subdistingui potest, nam duplex causalitas potest in ipla vocatione considerari, vna antecedens ordine naturę liberum consensum voluntatis, & determinationem eius, & hæc in genere causæ efficientis nondum est efficacia in actu secundo, sed in actu primo, tamē in genere causæ formalis est vera causalitas physica, quam vocatio habet, vel intellectu illuminando illum, vel in voluntate afficiendo, & vitaliter inclinando illam, & hæc tota causalitas, siue physica, & formalis, siue in suo genere effectrix bonæ voluntatis, est eodem modo effectiuè à Deo, & intrinsecè ac formaliter ab ipsamet vocatione, & nullo modo esse potest à libero arbitrio, vt constat. Alia ergo est efficacia actualis, seu in actu 2. causæ efficiētis, siue physicæ, siue moralis. Et hæc efficacia nihil est aliud, quam ipsa actio voluntatis quatenus à tali auxilio procedit, de qua actione verissimè dicitur vocationem non efficere illam sine consortio, & determinatione libera voluntatis. Propter quod rectè monuit Augustinus lib. de grat. & lib. c. arb. 2. in fine, *vt qui aliquid secundum Deum operatur non alienet hoc à propria voluntate.* Non tamen propterea dici potest habere auxilium à voluntate illam efficaciam, seu actionem, sed solum non habere illam sine cooperatione voluntatis, quod verissimum, est, & ab arguentibus necessario confitendum in sua sententia. Quia licet daretur voluntati auxilium prævium prædeterminans, nihilominus non potest actu efficere consensum sine cooperatione libera voluntatis se liberè determinantis, vt etiam ipsi vel inuiti confitentur, ne vsum libertatis in consensu negent, & nihilominus non dicent voluntatem dare auxilio illam efficaciam, sed tantum auxilium non habere illam sine voluntate liberè concausante.

3. Nomine *efficaciæ* quid intelligatur

Sed dicent fortasse nomine *efficaciæ* nihil ex dictis intelligi, sed ipsam actualem determinationem ad operandum: hinc enim auxilium, vel vocatio vocatur efficax, quod includit quandam infallibilem determinationem ad agendum. tota autem ratio huius determinationis in nostra sententia videtur esse liberum arbitriū, quia vocatio illa quantumuis congrua non facit illam determinationem efficaciter, sed ad illam semper quasi spectat liberū arbitrium, & ideo dicimus esse necessariam præscientiam liberæ determinationis, vt actio auxilij sit infallibiliter futura; ergo quod ad hoc tota efficacia est à libero arbitrio, non solum respectu vocationis, sed etiam respectu Dei, quia etiam Deus non prædeterminat liberum arbitrium, sed quasi expectat determinationem eius. Declaratur exemplo de voluntate, & habitu charitatis, quando enim voluntas tali habitu affecta exercet actum amoris, licet habitus non recipiat à voluntate efficaciam quoad vim agendi, nec quoad inclinationem ad actum, nec quoad ipsam actionem, seu efficientiam eius, nihilominus à voluntate habet determinationem, & quasi applicationem quoad exercitium actus. Ita ergo erit in præsenti de vocatione, nam licet sit congrua in suo vsu, vt ita dicam, & exercitio suæ actionis, subiicitur voluntati, & dominio eius non minus quam habitus, hoc enim nos necessarium putamus ad concordiam eius cum libertate.

Ad replicam respondeo, in his, & similibus obiectionibus tacitè supponi determinationem esse quid distinctum ab actione voluntatis, & prius illa quod nos omnino negamus. Quia non admittimus in voluntate liberè operante determinationē simpliciter prævium in actu primo, credimus enim actionem procedentē à tali principio, non posse esse liberam, vt hactenus latè ostensum est. Secluſa autē determinatione in actu primo ex voluntate quocunque Dei auxilio pręuenta, vt maneat in actu primo indeterminata (vt saluetur libertas eius in operando) immediatè sequitur determinatio in actu secundo, quæ nihil est aliud realiter, ac formaliter, nisi actio ipsa consentiendi, quia voluntas non se determinat, nisi efficiendo suum consensum. Quantum ergo ad rem spectat, parum refert loqui de illa actuali efficacia sub nomine determinationis, vel sub nomine actionis consensus, cum in re nulla sit distinctio, sed tantum in nominibus. Igitur sicut ostensum est vocationem non habere efficaciam suæ actionis à libero arbitrio, sed à Deo effectiuè, & ab innata virtute formaliter, ita dicendum est de determinatione. Nam vocatio de se determinata est ad talem actionem, & exercitium eius, non totaliter, vt sic dicam) sed quantum est ex parte sua, & cum hac determinatione à Deo datur sub eadem conditione, si voluntas cooperari voluerit, & ideo licet verum sit, posita illa vocatione, & oblato auxilio simultaneo solum expectare determinationem, quatenus à libera voluntate pendet, nihilominus nullam efficaciam vel determinationem inde recipit auxilium, sed tantum illi coniungitur concausatio (vt sic dicam) voluntatis.

Et hoc ipsum confirmat exemplum de voluntate, & de habitu charitatis, nam habitus charitatis de se satis est determinatus ad suam actionem, non est enim formaliter liber, & ideo quantum est ex se determinatus ad exercitium, & speciem *sui actus*, illum tamen non semper elicit, etiam proposito obiecto, quia non est integrum principium sui indiget cooperatione voluntatis, & quia voluntas libera est, & per habitum non cogitur suam cooperationem illi præstare, ideo dicitur habitus quasi applicari à voluntate ad operandum, non quia talis applicatio, vel determinatio sit aliquid prævium in ipso habitu, sed quasi per denominationem extrinsecam, vel concomitantiam, quia eo ipso quod voluntas se applicat, determinat, seu efficit, habitus etiam elicit actionem, ad quam de se satis erat natura sua determinatus. Ita ergo censemus de vocatione etiam congrua, si secundum se, & secundum suam entitatem tantum consideretur nam si spectetur, vt datur ex proposito Dei, sic habet quandam determinationem non intrinsecam, sed extrinsecam ita ordinatam ad effectum secundum præscientiam conditionatam, vt infallibiliter illum consequatur. Et secundum hanc rationem à Deo, & non ab arbitrio habet efficaciam suam etiam quoad determinationem ad talem effectum, quia ex libera voluntate Dei datur homini vocatio talis, ac tantæ actiuitatis, cum tali congruitate, & habitudine ad effectum infallibiliter consequendum. In qua obseruatione, & attemperatione vocationis maximè misericordia Dei relucet, teste Augustino lib. de spirit. & litter. cap. 34. & alijs locis infra citandis. Vnde licet talis vocatio in executione illum effectum consecutura non sit sine influxu libero voluntatis humanæ, quem respicit vt infallibiliter futurum, nihilomius non habet suam efficacitatem ab illo, sicut præscientia visionis non est in Deo sine habitudine ad effectum futurum, & tamen non est ab illo, neque suam veritatem habet

tamen

à illo, & Pater æternus talis est est per habitudinem ad filium, & tamen non habet paternitatem ab illo. hæc enim duo longe diuersa sunt, vt est per se notum.

6. Respondetur ad secundum inconueniens modum.

Ad secundum inconueniens negatur sequela. Et quia illatio probationis solum probatur ex primo inconueniente, cum illud negatum sit, & ostensum non sequi, euanescit illa probatio. Vt autem res ipsa euidentior sit, & inde nostra sententia magis confirmetur aduerto ex Augustino lib. de dono perseuer. capite decimo cooperationem nostram liberam cum vocatione congrua, vt transit in gratiam adiuuantem, & cooperantem comparari posse, vel ad voluntatem Dei, seu propositum æternum, quod Deus habuit dandi talem vocationem, vel ad actualem efficientiam ipsius vocationis cum actuali influxu liberi arbitrij cooperantis. Et iuxta hanc secundam considerationem potest esse duplex sensus illius consequentis. *quod nostra libera cooperatio sit ratio ob quam nobis detur vocatio congrua* scilicet, vt sit ratio, ob quam voluit Deus nobis illam dare, vel vt sit ratio ob quam vocatio in se sit, & constituitur efficax & congrua. Et in priori sensu oportet sumere illam cooperationem, vt ab æterno præuisam; quia vt facta in tempore non potest esse ratio æternæ voluntatis Dei. In posteriori autem sensu sermo esse debet de libera cooperatione arbitrij, vt in tempore exercetur.

7. Dico ergo si illatio fiat in priori sensu malam esse & consequens esse falsum. Nam si operatio illa liberi arbitrij spectetur, vt præcognita per scientiam absolutam qua futura præuidentur, talis præscientia supponit in Deo voluntatem, & propositum dandi homini talem vocationem; ergo non potest esse ratio illius voluntatis: si autem sit sermo de præscientia conditionata, sic licet secundum rationem antecedat propositum Dei, non tamen potest esse ratio talis propositi, quia illa cooperatio in illo signo nondum cognoscitur, vt simpliciter futura. Nam conditionalis nihil ponit in esse, nec homo est dignus præmio, vel pœna propter actionē tantum sub conditione futuram, vt Augustinus lib. 2. de Dono perseuer. c. 9. & 10. & alibi frequenter docet contra Semipelagianos. Et colligitur ex illo Sapient. 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius*, & ratio est, quia totum illud opus quamdiu solum est sub conditione futurum, continetur sub latitudine entis, & non actualis, & ideo non potest in eo, vt sic præuiso fundari actuale meritum, nec impetratio, aut aliud simile genus causæ, vel rationis, sed solū potest fundari ratio finis. Et hoc modo verum est liberam cooperationē futuram, & sub conditione præuisum fuisse finem, propter quem voluit Deus dare vocationem congruam, vt homo consentire: inde tamen non sequitur illam cooperationem esse rationem diuini propositi, sed potius sequitur esse effectum eius, & ad summū dici posse rationem finalem ipsius vocationis Hoc autem non est contra rationem gratiæ efficacis: nam quomodocunq; explicetur auxilium efficax, in omni sententia dicēdū est dari homini, vt illi infallibiliter cooperetur, licet non detur illi, quia cooperaturus est. Hę namq; duæ habitudines per illas duas particulas *vt* & *quia* importatæ sunt inter se repugnantes, nam in posteriori indicatur prę existens causa, seu ratio, aut motiuū dandi auxilium, in priori vero denotatur potius effectus, qui etiam est finis auxilij, seu vocationis Dei. Sicut Paulus dixit ad Ephes. 1. *Elegit nos vt essemus sancti, non quia futuri eramus sancti*, vt ibi notat Hieronymus, & eodem modo addit ibidem Paulus. *Sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, vt simus in laudem gloriæ eius*, &c. Et Augustino lib. de prædestinatione sanctor. cap. 17. *Intelligamus* (ait) *vocationem qua fiunt electi, non qui eligunturi, qui crediderunt, sed qui eliguntur, vt credant* & cap. 19. *Non quia credidimus, sed vt credamus vocamur atque illa vocatione quæ sine pœnitentia est, id prorsus agitur, & peragitur vt credamus.* Et Concilium Arausican. Can. 25. cum Augustino ponderat illud 1. Corinth. 7. *Misericordiam consequutus sum vt sim fidelis*, addens, *non quia eram fidelis.* Quamuis ergo scientia conditionata futuræ liberæ cooperationis præcedat voluntatem dandi talem vocationem, eaque sufficiat, & necessaria sit, vt vocatio propter talem cooperationem tanquam propter suum proximum finem detur, non tamen sufficit, vt propter illā tanquam propter rationem, seu causam meritoriam, impetratoriam vel aliam similem detur. Quia (vt dixi) illæ habitudines sunt repugnantes, & habitudo finis optimè cadit in rem nondū præcognitam, vt absolute futuram, sed vt posibilem, vel futurā sub conditione, habitudo vero alterius rationis, vel causæ postulat existentiam causæ saltem, vt absolutè futuram, seu præsentem in præscientia.

8. Et à posteriori hoc confirmatur, quia in multis Deus præuidit sub conditione fuisse consensuros, si vocarentur tali modo, vt de Tyriis, & Sydoniis dicit Christus Matth. 11. & tamē non propterea vocati sunt illo modo, vt ponderat Augustinus dicto cap. 10. de Don. perseuer. & in Enchirid. cap. 95. Et in omnibus reprobis cognouit Deus sub conditione, quod consentirent, si hoc, vel illo modo vocarentur, & tamen illis non dantur vocationes congruæ, vt de Esau dixit Augustinus q. 2. ad Simplician. Igitur ex tali modo congruitatis, aut efficaciæ vocationis nullo modo sequitur dari ex parte hominis rationem aliquam decentiæ, vel congruitatis propter quam à Deo talem vocationem recipiat. Quod necesse fateantur etiam fautores physicæ prædeterminationis, negare enim non possunt, quin Deus priusquam velit talem prædeterminationem dare, sub conditione præuideat, hominem consensurum si illi tale auxilium detur: & nihilominus qui rectè ex illis sentiunt, non admittent consensum liberi arbitrij esse rationem, vel causam ob quam Deus vult dare tale auxilium, sed potius esse effectum, vel ad summum finem auxilij. Et ideo merito supra diximus, errare, qui in illa sententia dicunt consensum liberum voluntatis, licet sit à prædeterminatione, esse dispositionem ad illam, tum quia illæ duæ habitudines sunt inter se repugnantes, vt dixi, tum etiam, quia ratio facta vrget contra illam sententiam, quod ex parte hominis daretur ratio, & causa auxilij efficacis, negari enim non potest quin dispositio præparans hominem ad gratiam sit ratio, vel alqua causa illius.

9. Dicendum superest de altera parte, si sensus argumenti sit, ex nostra sententia sequi, quod in executione ipsa determinatio liberi arbitrij, sit ratio ob quam, seu per quam determinatio fiat efficax, & congruam. Et sic etiam nullius momenti, vel considerationis est illatio. Quia vt in præcedenti puncto dictum est, licet auxilium efficax ad suam actualem efficientiam requirat coefficientiam liberam voluntatis, nihilominus auxilium non fit efficax per efficientiam liberi arbitrij, sed per propriā virtutem, & actionem, & ita determinatio liberi arbitrij non est ratio efficacitatis auxilij, etiā in executione, sed potius sub vna ratione est effectus ei⁹, sub altera vero est coefficientia cum eodem. Nam eadem vocatio efficax cōsiderari potest, vel vt est auxilium præueniens, & inducens voluptatem ad cōsensum, vel vt transit in statū gratiæ cooperantis, & adiuuantis. Et priori quidem ratione est causa sal-

tem moralis ipsius liberæ determinationis voluntatis, prius verò quam hunc effectum, in re ipsa obtineat non dicitur efficax, nisi quia & illum potest obtinere, & de facto infallibiliter illud obtinebit. Inde tamen non fit vt determinatio libera sit ratio efficacis vocationis, sed solum sequitur, quod in illa consummetur efficacia auxilij tanquam in termino, & effectu per illud interno. Nec etiam sequitur quod illud auxilium solum sit efficax, vt concomitans, seu per solam denominationem ab effectu, sed solum sequitur non esse efficax sine habitudine ad effectum infallibiliter consequendum, quam habitudinem habet prius quam effectus in re sequatur, & consequenter prius etiam, quam tale auxilium transeat in adiuuans, seu concomitans, & à sua virtute effectrice, vt est sub illa habitudine denominatur efficax, & ita includit determinationem liberi arbitrij, non vt rationem suæ efficaciæ, sed vt terminum seu effectum eius.

10. Quatenus autem vocatio consideratur vt actualiter operans consensum simul cum voluntate siue moraliter, siue etiã physicè, vel per se ipsam, vel per aliquod aliud supernaturale principium quod habet coniunctum sub hac ratione, sua efficacia est ipsamet actio qua fit consensus, non tamen vt est à libero arbitrio, sed vt est ab ipsa vocatione, seu principio aliquo supernaturali. Et ideo ratio efficaciæ auxilij non est determinatio libera voluntatis quamuis non sit sine illa, quia nomine determinationis liberæ significatur illa actio, vt est à libera voluntate à qua esse non potest, nisi etiam sit ab auxilio efficaci, neque etiam potest esse ab auxilio efficaci, neque etiam potest esse ab auxilio, quin fit à voluntate. Magis autem recipit nomen determinationis liberæ per habitudinem ad voluntatem hominis quam per habitudinem ad auxilium efficax, vel ad voluntatem Dei, quia cum ibi concurrant simul Deus, habitus infusus, aut aliquid supplens vicem eius, quando ille deest, & voluntas hominis; & ex his tribus quasi conflatur vnum principium concretum, quod prius natura intelligitur esse in actu primo, in illo priori sola voluntas humana intelligitur indifferens ad influxum suum præstandum: nam habitus de se determinatus est modo iam declarato, & licet Deus liberè influat, iam supponitur sua voluntate determinatus ad influendum quantum est ex se, vt supra etiam declarauimus; voluntas autem hominis adhuc manet indeterminata in illo priori, vt actio possit esse libera. Ideoque quando in posteriori natura actio illa simul procedit ab illis principiis quasi partialibus, formaliter denominatur determinatio in ordine ad voluntatem hominis, quamuis simul fiat à Deo, & à gratia adiuuante tam moraliter, quam physicè. Atque ita illa determinatio non est ratio aliis principiis vt agant, vel efficacia sint, sed est quædam concausalitas, sine qua actualis efficientia aliorum principiorum subsistere non possit.

An possit voluntas resistere vocationi congruæ.

11. Obiectio prima. In tertia obiectione ponitur quid sit dicendum de potestate resistendi vocationi congruæ. Aliqui enim absolutè concedunt sequelam, nimirum voluntatem posse resistere voluntati congruæ, quia vt auxilium efficax non tollat libertatem, videtur in voluntate potestas illi resistendi, vt videntur probare argumenta facta contra physicam prædeterminationem, & videtur etiam sumi ex Concilio Tridentino, & Senonen. vt infra videbimus, & est expressa sententia Aug. l. 3. de lib. arbitr. cap. 18., vbi sic ait. *Quacumque causa est voluntatis, si ei resisti non potest, sine vllo dubio ei cedit*, vtique quia sine libertate, vnde etiam dicere posset, sine merito ei consentitur, etiamsi actus sit bonus. Contra hoc autem videtur vrgere argumentum factum, quia verbum *resistendi* includit compositionem, quia nisi supponatur agressor, non habet locum resistentia, resistere autem vocationi congruæ illa supposita videtur impossibile, quia alias non esset infallibiliter efficax; ergo illa supposita non manet in voluntate potestas resistendi. Propter quod alij simpliciter negant esse in nostra voluntate potestatem resistendi auxilio efficaci, seu vocationi congruæ, nec putant illam potestatem esse necessariam ad libertatem, quia auxilij efficax non est necessarium ad posse, sed ad agere; seu velle, & libertas consistit in posse. Sed hoc à nobis impugnatum est in physica prædeterminatione, & eadem ratio videtur habere locum in omni auxilio præueniente efficaci, quia omne tale auxilium dat posse, quia vt præueniens est non dat agere, hoc enim pertinet ad auxilium simultaneum, de quo solo potest in rigore dici, quod det tantum agere, & non posse. Vnde Augustinus sæpissimè docet vocationem qua præparatur voluntas à Domino dari homini potestatem vt filius Dei fiat. Mihi ergo dicendum videtur vocationem congruam dupliciter spectari posse, primo vt vocatio est secundum omnem entitatem, quam includit: secundo vt denominatur congrua per habitudinem ad effectum infallibiliter futurum. Priori modo spectatę dico semper resisti posse, quia non determinat voluntatem, vt supra probaui, & quia simpliciter loquendo nulla est repugnantia, quod cum tali vocatione simul stet, & componatur negatio consensus, imo & voluntas consentiendi in obiectũ vocationis, sed potius in contrarium, quia illa vocatio relinquit voluntatem indifferentem ad hæc omnia. Et hoc etiam probat ratio in priori opinione adducta, & aliæ factæ contra physicam prædeterminationem. At verò sumpta vocatione congrua posteriori modo, & sub illa reduplicatione, vt congrua est, sic dico non posse illi resisti propter rationẽ factam, quod illa vt congrua includit propositum Dei efficax à quo procedit. Et ratio à posteriori est, quia vocatio vt congrua inuoluit vsum liberum, & supponit illum in diuina præscientia, homo autem non habet potestatem resistendi suomet consensui in eodem, & pro eodem instanti, in quo habere illum supponitur, quia non potest velle non consentire dum consentit facta vtiq; suppositione, sed vocatio vt cõgrua inuoluit actualem consensum modo explicato; ergo illi vt sic non potest eadem voluntas resistere. Et ob eandem causam talis potentia resistendi non est necessaria ad libertatẽ nec impotentia resistendi vocationi congruæ, vt talis est, repugnat libertati, tum quia ad libertatem non est necessaria potestas ad opposita vnum cum alio cõponendo, tum etiam quia impotentia illa solum est ex suppositione consequente, & supponente iam vsum libertatis, & ideo non repugnat libertati, sicut, etiam necessitas consequens illi repugnat.

Ex quo tandem constat differentia inter auxiliũ efficax positum in prædeterminatione physica, vel in vocatione congrua. Nam priori modo est suppositio omnino antecedens, siue spectetur secundum suam nudam entitatem, siue sub ratione auxilij efficacis, hæc enim duo in illa entitate non distinguũntur, quia ex vi suæ entitatis, ac per se dicitur habere vim determinandi voluntatem, cui ipsa voluntas non potest resistere; & ideo talis impotentia resistendi inducit necessitatem absolutam, & simpliciter non tantum consequentiæ, sed rei, & consequentis. At vero vocatio congrua, vt est congrua, & auxilium efficax, non est suppositio omnino antecedens: nam licet illa vocatio absolutè spectata sit auxilium præueniens, tamen vt congrua est inuoluit habi-

habitudinem ad vsum liberum infallibiliter futurũ non ex absoluta efficacia prædeterminãte talis vocationis, sed ex spontanea cooperatione voluntatis futura, & præuisa sub conditione à Deo, qui talem vocationem vt congruam, & efficacem dare voluit. Et ideo impotentia resistendi illi vocationi vt congrua est, non supponit necessitatem absolutam, sed tantum ex suppositione consequente, vt declaratum est. Libertas autem saluatur per hoc, quod liberum arbitrium de se potens est ad resistendum illi vocationi secundum se spectatæ.

Quid addit auxilium efficax sufficienti.

13. Auxilium efficax quid addat sufficienti. Ad quartum inconueniens concedimus, auxilium præueniens, quod sit motio, vel qualitas distincta à toto auxilio sufficiente, & ab influxu simultaneo, & prior natura illo. Imo hoc existimamus necessarium, tum vt auxilium sufficiens sit verè sufficiens, tum vt potestas proximè libera ad efficiendum, & non efficiendum actum inueniatur in homine non tantum sufficienter, sed etiam efficaciter vocato. Vnde etiam supra diximus, vocationem congruam non addere sufficienti aliquam proprietatem absolutam, quia illa esset necessaria ad posse, & non esset in hominis potestate cum sit præueniens, & illa data non esset in hominis potestate non habere actum ad quem sic vocatur. Et sic incideremus in omnia incommoda, quæ vitare studemus. Hæ autem rationes probant de quocumque alio auxilio distincto à sufficiente, & vltra illud necessario. Nihilominus vero negamus, hinc sequi contra superius dicta, auxilium efficax non esse præueniens, quia sub ratione datur antequam homo operetur, & non constituitur in illa ratione per cooperationem, vel per auxilium simultaneum, sed per efficaciam virtualem sibi intrinsecam, vt est sub habitudine ad cooperationem liberi arbitrij de facto infallibiliter futuram cum auxilio gratiæ simultaneo.

14. Vocatio congrua est auxilium efficax præueniens quo modo à sufficiente distinguatur. Atq; eodem modo vocatio congrua vt est auxilium efficax præueniens à sufficiente distinguitur, per quod constituitur. Vocatio autem efficax vt antecedens est congrua, non constituitur per auxilium simultaneum, vel per actualem cooperationem liberi arbitrij, sed per attemperationem ad illam; ergo eodem modo distinguitur à vocatione sufficiente, quæ non ita attemperatè tribuitur. Dixi autem, *vt antecedenter est congrua, seu efficax*, quia si spectetur vt transit in rationem gratiæ cooperantis, & adiuuantis, sic verum est non distingui à vocatione sufficiente, nisi in actuali actione cum auxilio simultaneo, & cooperatione liberi arbitrij. Et simili modo licet sub hac posteriori ratione non faciat voluntatem velle, aut facere, sed cum illa faciat ipsu velle, nihilominus sub priori ratione facit vt voluntas velit: & operetur, quia illã excitat, mouet, & inducit, vt velit, & operetur. Et quia tali modo, & opportunitate datur, vt infallibiliter talem effectum obtineat, ideo non solum dicitur, & est efficax, provt actu cooperatur, sed etiam provt præmouet, & inducit ad volendum. Non est enim de ratione gratiæ efficacis, quæ facit facere, vt se sola prædeterminationem aliquam, vel ipsam determinationem voluntatis faciat, hoc enim esset contra libertatem talis determinationis, sed satis est, quod ita præmoueat vt infallibiliter obtineat determinationem liberam ab ipsa voluntate, quamuis in executione neque sola, neq; prius simul cum ipsa voluntate talem determinationem efficiat.

Sit ne auxilium efficax per se tale.

15. An gratia efficax sit per se efficax. Sed dicit aliquis. Ergo gratia efficax non est per se efficax, sed quia illi adiungit voluntas, & sic efficacia gratiæ quodammodo subiicitur libero arbitrio, contra Concilium Arausic. Can. 6. imò etiam erit per accidens, & contingenter efficax, quod videtur contra vim, & dignitatem efficacis gratiæ.

Respondeo in priori consequente particulam illam *per se* posse excludere consortium alterius causæ, & significare quod sola sufficiat ad suã causalitatem, vel posse significare modum causandi, & denotare quod non habeat modum causandi per se, sed tantum per accidens, vel deniq, potest significare intrinsecam connexionem inter talem vocationem, & illam efficacitatem, à qua dicitur efficax, ita vt dicatur non conuenire illi per se, quia non habet illam intrinsecè innatam ex natura sua, & ex vi suæ absolutæ entitatis.

16. Primum sensum indicat probatio in contrarium inducta, in illo vero respõdemus ad illationẽ priorem, duplicem causalitatem inueniri in tali vocatione. Quædam est antecedens, & quasi intentionalis, & moralis, quæ illi conuenit, vt est gratia præueniens, & inducens voluntatem ad consensum, & sic negatur illa prior consequentia. Quia reuera sola vocatio est, quę attrahit, & allicit voluntatem prius natura, quam ipsa consentiat: nam ad hoc non cooperatur liberum arbitrium, nec alio modo est causa ipsius vocationis. Et similiter vocatio quando vt efficax datur, sola est, quæ habet illam causalitatem cum congruitate, ad capacitatem, & conditionem recipientis, hanc ergo congruam causalitatem per se sola habet quasi formaliter, eamque à solo Deo recipit, vt dixi, sine cooperatione, dispositione, aut merito liberi arbitrij. Alia causalitas illius vocationis est in actuali executione, & actione ipsius consensus, & determinationis ad illum, & sic concedenda est illatio, nam vocatio congrua non est ita efficax determinationis voluntatis, vt se sola illam efficiat, sed concomitanter cum ipsa voluntate, nec aliud esse potest de ratione auxilij efficacis, vt dixi sæpè. Nec inde fit, vt in aliquo genere causandi, & efficiendi comitetur illud, quod verisimum est, vt infra circa Conc. Arausl. latius dicemus.

17. In secundo sensu negatur simpliciter consequentia, quia gratia excitans, vt excitans est, non est causa per accidens actus supernaturalis. Vnde à fortiori vocatio congrua non est causa per accidens, etiãsi vltimum effectum per illam intentum non ex necessaria determinatione obtineat, neq; ex sola sua causalitate, sed cooperante simul voluntate libera, potest enim esse causa per se, etiamsi quoad executionem causa non sit totalis in omni genere sed requirat consortium alterius causæ liberè agentis. Est autẽ vocatio causa per se, quia non ab extrinseco, sed natura sua ad talem effectum ordinatur, vnde quando effectum obtinet, illum per se causat, vel in genere causæ finalis ratione obiecti, quod ponit, vel in genere causæ moralis quatenus voluntatem attrahit per actualem internã cogitationem, affectionem, inclinationem, & suauitatem quæ inclinationem auget: quæ moralis causalitas in suo genere, & respectu effectus moralis est causalitas per se, & fundatur in physica causalitate formali, quam talis gratia habet in voluntate quam afficit, & intellectu, quem illuminat, vt supra declaraui. Ac denique quando talis vocatio transit in gratiam adiuuantem, etiam physicè causat per se consensum voluntatis, vel per ipsummet actum, quo voluntatem excitat, vt est probabile vel per principium

pium aliquod supernaturale', quod vel supponit vel secum adducit, vt supra etiam declarauimus.

In tertio autem sensu fatemur vocationem illam esse non per se, & ex vi suæ entitatis efficacem, quia licet congruitas illa ad effectum infallibiliter futurum sit valdè consentanea naturæ, & inclinationi talis vocationis, pendet nihilominus à futura liberi arbitrij determinatione tanquam à termino quem illa congruitas respicit, & ideo vocatio illa non potest habere illam congruitatem ex necessitate absoluta, & simpliciter, non potest ergo ab intrinseco, & per se illi conuenire, nisi ex suppositione talis termini, & quia suppositio illa est simpliciter libera, & contingès; ideo congruitas etiam conuenit contingener illi vocationi secundum se spectatæ. Supposita autem congruitate per se, ac necessario est efficax, quia est per se causa effectus, vt declarauimus, & ex hypothesi infallibiliter habebit effectum. Et hoc satis est ad omnem perfectionem, & vtilitatem gratiæ efficacis, non enim consistit eius perfectio, vel vtilitas in hoc, quod libertatem tollat, sed potius, vt sit vtilis', oportet, vt libertatem conseruet, & iuuet, & perfectio eius in hoc consistit, quod vt subest sapientissimæ ac omnipotentissimæ prouidentiæ, ita attemperatur voluntati liberæ, vt eam liberè, & infallibiliter in consensum inducat. Atque hoc modo per huiusmodi concordiam, & gratiæ dignitas, & arbitrij libertas in suo gradu, & ordine optimè saluantur.

In quem fiat vltima resolutio humanæ conuersionis.

18. Respondetur ad quintum inconueniens de vltima resolutione humanæ conuersionis.

Ad quintum inconueniens de vltima resolutione humanæ conuersionis, & salutis, quod fieret vltimatè in liberum arbitrium, & non in solam diuinam voluntatem, respondemus in aliquo genere posse resolutionem vltimam, & debere fieri in liberum arbitrium, non tamen in omni genere, & modo, præsertim in bonis operibus, & pietatis. Est ergo considerandum fautores prædeterminationis physicę contendere, omnem actum, omnemq; consensum voluntatis nostræ reducendum esse in solam Dei voluntatem, adeo vt interdum dicant, hanc causalem propositionem falsam esse. *Quia homo vult consentire, & cooperari Deo excitanti, vel conuerti, ideo consentit, cooperatur, vel conuertitur.* Quia ipsummet cooperari voluntatis humanæ reducitur in voluntatem Dei tanquam in causam per se efficientē. Vnde inferunt, cū quæritur cur homo vocatus à Deo velit conuerti, non esse respondendū, quia vult, nec esse sistendum in facultate liberi arbitrij, sed esse respondendum quia Deus vult, & quia facit illū consentire, efficaciter determinando illum vt liberè consentiat. Solus autem Deus ideo vult determinare voluntatem hominis, quia vult, quia sola voluntas diuina est, quæ non habet aliam priorem se, & ipsa est prior cæteris, quia est prima causa omnium rerum, & omnium determinationum. Vnde inferunt vlterius voluntatem creatā non habere in sua potestate, & dominio primam (vt ita dicam) deliberationem sui actus, sed hanc esse in Deo qui est primum deliberans, & primus Dominus, & ideo necesse est vt prius ipse deliberet, & decernat efficaciter, quid volūtas humana deliberatura sit, & volitura, & tunc poterit voluntas humana illud ipsum quod Deus decreuit velle, & deliberare, & nō aliud. Ad hoc autem persuadendum non alia argumenta adducunt, nisi quibus prædeterminationem physicam probare nitantur, quæ partim iam soluimus, & alia in sequentibus capitibus tractanda sunt. Et quamuis interdum videantur illam doctrinam limitare, ad actus gratię, vel ad actus bonos, si tamen fundamentum bonum est, eodem modo procedit de omni humana deliberatione, & determinatione in omni materia. Nam etiam Iudas non habuit primo potestatem, & dominium deliberandi de Christi venditione, & in eam liberè consentiendi, sed Deus primo hoc deliberauit & decreuit, ac efficaciter voluit vt Iudas idem deliberaret, ac vellet, & ideo Iudas id secum statuit, quia Deus ita deliberauerat secundum consilium voluntatis suæ. Quod absit vt credamus, aut de Deo cogitemus.

Nos ergo respondemus distinguendum in primis esse ordinem executionis ab ordine diuinæ prædestinationis. Incipiendo ergo ab ordine executionis, quia ab illo debet fieri resolutio ad ordinē prædestinationis, dicimus in primis, etiam in actibus pietatis faciendam esse resolutionem liberi consensus in facultatem liberi arbitrij, non quidem solam sed diuinam per gratiam illique cooperantem. Hoc videtur certum, quia talis consensus liber est ipsi homini consentienti, sed illam denominationem, & rationem liberi non accipit nisi ab innata facultate libera ipsius voluntatis, non est enim hic consensus mihi liber, quia Deus de illo deliberat, sed quia ego de illo delibero, & facultatem habeo illum faciendi ex sola innata libertate. Ergo necessaria est aliqua resolutio facienda in facultatem liberi arbitrij. Vnde non potest illa causalis propositio negari. *Quia homo vult coęsentire, cooperari, vel conuerti, suppositā excitante gratia, ideo cōsentit, cooperatur, vel conuertitur.* Nam profecto si homo non conuertitur, quia vult, nō potest volūtati eius tribui conuersio: nam id tribuitur voluntati, quod facit, quia vult; si autem conuersio non potest tribui voluntati, multominus poterit libertati, cum id solum sit liberum quod est in voluntatis potestate. Est ergo illa causalis omnino vera, & Catholica, *quia homo vult gratia vocanti consentit*, quam ex Scripturis, Conciliis & Patribus in sequent. capitibus comprobabimus.

Nunc sufficiunt verba August. lib. 83. Quæstionum q. 68. *Si quis sibi tribuat vt veniat vocatus non potest sibi tribuere, quod vocatus sit.* quibus apertè concedit, recte tribui homini venire post vocationem, hoc est consentire, non autem alia ratione tribuitur, nisi quia sua libertate, ac voluntate venit, quia vult. Vnde lib. de spirit. & liter. cap. 34. cum dixisset, virtutes eorum suasionibus agere Deum, vt velimus, &c. concludit. *Sed consentire, vel dissentire propriæ voluntatis est.* Si ergo est propriæ voluntatis, certè consentit quia vult. *Quæres* (subiungit) *non solum non infirmat quod dictum est. Quod enim habes, quod non accepisti? Verum etiam confirmat. Accipere enim, & habere animam non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo, ac per hoc quid habeat, & quid accipiat, Dei est, accipere autem, & habere vtique accipientis est.* Quibus consonat quod ait epistola 54. ad Macedon. parum ante medium. *Homo cum bonus est, ab illo bonus est*, scilicet Deo, *illius enim spiritu boni fiunt quicunque boni sunt, cuius capax creata est nostra natura per propriam voluntatem. Pertinet ergo ad nos, vt boni simus, accipere, & habere quod dat, qui de suo bonus est, quo quisque neglecto, de suo malus est.* Dicitur autem accipere ad nos pertinere, quia in nostra situm est voluntate, ergo conuertimur, consentimus, & cooperamur, quia volumus, hoc enim modo Dei dona accipimus. Vnde merito dicit Prosper. lib. 1. de vocat. gent. cap. trigesimo quinto. *Frustra dicitur quod vatio operandi non sit in electis cum etiam ad hoc operentur, vt electi sint.* Deinde asserо, hanc resolutionem ita fieri in voluntatem, vt non excludatur vera, propria, ac præcipua causalitas efficiens Dei præparantis, & adiuuantis non tamen prędeterminantis voluntatem. Prior pars certissima est, & à nobis sæpè repetita. Ostendimus enim sine gratia vocante, & adiuuante physicè nihil boni operari nos posse; maximum autem bonum est

est consentire gratiæ vocanti; ergo neque id potest, nisi in virtute ipsius vocationis & gratiæ. Vnde hęc causalis propositio simpliciter vera est. *Homo consentit, & conuertitur, quia à Deo accepit, vt consentiat, & conuertatur.* nam vt hæc sint dona Dei non oportet, vt solus Deus illa faciat, sed satis est, quod gratis illa solus inchoet, & principaliter consummet. Et sic etiam verè dicitur, homo operatur, seu consentit, quia Deus vocatione illum attraxit, & illi persuasit. Quomodo dixit Augustinus dicta quæst. 68. eos, qui vocati venerunt, non debere sibi tribuere quod venerint, vtique solitariè, vel primario, *quia nec venire possent nisi vocarentur.* Ac similiter verissimè dicitur homo consentire liberè, quia Deus efficienter, & liberè adiuuat illam vt consentiat, tam vt causa prima ordinis gratiæ, quam per modum causæ proximæ, dando illi virtutem supernaturalem agendi, vel per habitum, vel per seipsum, cum illo principaliter cooperando. Igitur hoc genus adiutorij, & causalitatis optimè per illam causalem explicatur homo consentit, aut vult piè, quia Deus illum adiuuat, & vult illum bene operari. Nam voluntas Dei est prima causa illius operis, etiamsi non antecedat in illa absolutum decretum, sed voluntas concurrendi quantum est ex parte sua, tum quia illa etiam est vera causa coefficiens cum voluntate humana, si illa cooperetur, tum quia in eodem opere & actione, licet illæ duæ voluntates quoad influxum ad extra simul natura concurrant, voluntas creata semper concurrit vt pendens ab increata, & non è contra, tum denique quia voluntas Dei præcedit offerens suum concursum, & auxilium, per quod potestas voluntatis humanæ suo modo completur. Ita ergo illa resolutio consensus voluntatis humanæ in diuinam, vt cooperantem, & iuuantem.

21. Altera verò pars negatiua de voluntate prædeterminante in superioribus satis probata est; nam propter subordinationem, & dependentiam essentialem causæ secundæ à prima non est necessaria illa resolutio, vt in actibus malis satis ostenditur. Neque propter bonitatem, vel supernaturalitatē consensus, est necessarium, quia in hoc genere dependentiæ reseruant eādem proportionem, & ad illos possunt dari physica principia proportionata, & offerri concursus sine tali prædeterminatione. Et alioqui illa prædeterminatio non stat cum libertate. Quamobrem addimus in hoc genere resolutionis vltimæ, si per particulam *vltimæ* solum excludatur prior causa determinans, sic resolutionem liberæ determinationis voluntatis humanæ etiam in consensu supernaturali & operibus pietatis fieri in facultatem liberam voluntatis creatæ, sistendo in illa suppositā supernaturali præparatione eius cum omnibus principiis supernaturalibus, moralibus, & physicis præuiis necessariis ad operandum. Quia vt paulo anteà explicaui adæquatum principium illius determinationis liberè coalescit ex vocatione habitu infuso, Deo vt iam libera sua determinatione expositō ad concurrendum, vel iuuandum, & voluntate libera hominis. Quo principio sic constituto, & præintellecto in quodam signo naturæ actualis determinatio peculiari modo pendet liberè à sola voluntate creata, nam alia principia iam de se sunt determinata, vt declaraui, & ideo in executione, & ortu talis actionis ab illo adæquato principio verissimè dicitur ideo nunc fieri talem actionem, quia voluntas hominis liberè vult, & anteà non fuisse factam, quia nolebat. Item est verum quod voluntas hominis ideo nunc vult, quia libera est, & quia ipsa se determinat, non prædeterminata ab alia priori voluntate, quamuis non se determinet nisi dependenter à priori voluntate, & ideo non sit primum deliberans, nec primum se determinans. Quæ omnia in superioribus satis explicata, & probata sunt. Neque contra hoc video rationem alicuius momenti, quæ non possit in actibus liberis circa obiecta praua inficiari, & ex principiis positis facile solui. Nam hinc non sequitur vel voluntatem hominis facere aliquid sine Deo, vel facere aliquid prius quam Deus illi cooperetur, vel quam illam excitet, & adiuuet, si opus sit pium, nec sequitur, voluntatem conferre aliquid gratiæ in actuali operatione, sed solum sequitur gratiam nihil in illo consensu, vel determinatione efficere sine voluntate se determinante. Nec denique sequitur hanc determinationem hominis fieri sine præcedente deliberatione, & decreto Dei, nam præcessit deliberatio Dei, qua statuit vocare, & iuuare hominem, & cum illo concurrere si ipse velit. quod per se sufficit ad exhibitionem consensus liberi, quantum ad ordinem executionis spectat.

Possumus autem vlteriùs progredi, resoluendo 22.
hanc totam executionem in diuinam prædestinationem. Et sic in operibus pietatis, & in libero consensu, at determinatione eiusdem ordinis, de quibus nunc loquimur, facile admittimus, & verissimum credimus, hominem congruenter vocatum, ideo velle credere v. g. quia vult, & ideo velle, quia congruenter vocatus est, & ideo vocatum esse congruenter, quia Deus voluit ita eum vocare, & ideo illum etiam vocasse, quia absoluto, & efficaci decreto voluit, præfiniuit seu prædestinauit illum, vt crederet. Imo credimus iuxta Augustinum subordinationem, seu emanationem vocationis ab hoc proposito Dei esse de ratione talis vocationis congruæ, vt videre licet in eodem Augustino lib. de Correp. & grat. cap. 7. & 14. & lib. 5. contra Iulian. cap. 4. & aliis locis infra in proprio capite citandis. Et hoc decretum necessarium est, & sufficit, vt salus hominis, & discretio inter iustos, & iniustos in solam Dei voluntatem vltimo resoluatur, iuxta illud ad Roman. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*, & alia quæ capite sequenti insinuabimus.

Neque hinc sequitur prædeterminatio, quæ ad 23.
extra in humana voluntate fiat. nam aliud propositum Dei non transcendit ordinem intentionis, nec per se exequitur quod vult, nec immutat voluntatem humanam plusquam necessariam sit, vt tale propositum infallibiliter impleatur, vt autem illud infallibiliter impleatur, sufficit vocatio congrua, vt iam explicatum est, ideoque prædeterminatio physica necessaria non est. Imò repugnaret tali decreto: nam per illud vult Deus vt homo liberè consentiat, quod non potest per physicam prædeterminationem executioni mandari, quia illa non faceret liberè consentire, sed necessariò, vt in superioribus visum est. Quocirca secundum executionem loquendo dicendum est, ex duobus sufficienter vocatis, hunc consentire, quia vult, & vterque operatur pro sua innata libertate, quamuis non operetur sua vterque potestate. Nam prior non solis viribus naturalibus id facit, sed cooperando gratiæ, alter sola innata potestate dissentit. Ascendendo autem ad inscrutabilia iudicia diuinæ prædestinationis, vnus credit, quia Deus prædestinauit illum, vt crederet, & quia Deus voluntate absoluta prædefiniuit vt crederet. De altero autem non possumus dicere, non conuerti, quia Deus noluit, vel quia prædefiniuit, vt non crederet, quia Deus id non intendit, neque voluit, sed tantum permisit, & ideo quoad partem in voluntate ipsius homini sistendum est, non credidit enim, quia noluit vocationis assentire, noluit autem, non quia ex parte vocationis aut Dei aliquid illi necessarium deesset, sed quia noluit, &

ibi

ibi tanquam in vltima ratione sistendum est. De qua re dixi plura Tractat. de prædestination. & reprobat.

CAPVT XXX.

Doctrina data de auxilio efficaci, & concordia eius cum libero arbitrio, verbis Christi Matth. 11. comprobatur.

1. In Scripturis nil expressè traditum de auxilio prædeterminante, vel de vocatione cõgrua, &c. sub his expressis vocibus.

SVppono in scriptura sacra non inueniri aliquid expressè traditum de auxilio prædeterminante, vel de vocatione congrua, imò nec de auxilio efficaci, sub his expressis vocibus, sed ad summum inueniri verba prædestinandi, præfiniendi, aut defendendi, Deo ex æternitate attributa etiam quoad effectus à libero arbitrio dependentes. Sed de his iam in superioribus diximus esse longè diuersa à verbo prædeterminandi provt significat motionem quam Deus voluntati hominis in tempore infert, vt modo illo vtimur, an vero liceat ab vno ad aliud argumentari, licet dictum etiam sit, aliquid fortasse attingemus. Vocationis autem, & auxilij nomina sæpè inueniuntur in Scriptura, cum addito vero *congruæ vocationis* non inuenitur. Solum ad Hebr. 4. loquens de Christo Paulus exhortatur nos, *vt adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Quæ vox magnam affinitatem habet cum auxilio congruo, & ita D. Thomas exponit; id est, *congruo tempore*, & ita cæteri verbum illud maximè exponunt de temporis opportunitate, scilicet, vel in quo maximè illo indigemus, vt est tempus tribulationis, persecutionis, ac tentationis, vel etiam mortis, aut certè de tempore in quo nobis prodesse possit, vt est tempus huius vitæ, vt cum Chrysostomo exponit Theophyl. At vero nihil obstat, quin ibi etiam significetur auxilium omni ex parte ita opportunum, vt de facto prosit, tale enim maximè petendum est, nihilominus tamen qualis esse possit vel requiratur opportunitas, ibi non declaratur, nec in alio Scripturę loco, vt dixi. Ideoque non sunt petenda expressa testimonia, quibus vera doctrina de auxilio efficaci comprobetur, sed per illationes, ac deductiones vel necessarias, vel maximè probabiles, veritas hæc ex scriptura eruenda est. Tribus autem modis doctrinam datam ex Scriptura colligimus. Primo ex locis in quibus docemur, eandem vocationem quæ in vno homine est inefficax, in alio esse efficacem. Secundo ex alijs quæ in proxima potestate voluntatis humanæ, suppositâ vocatione Dei, ponunt tam resistere illi, quam facere, ve effectum habeat, ac subinde efficax sit. Nam ex vtroque principio concluditur, prædeterminationem physicam non esse necessariam ad efficaciam gratiæ, ac subinde in vocatione congrua ponendam esse. In tertio vero loco addi possunt testimonia quæ ita commendant vsum, & modum libertatis, vt consequenter prædeterminationem excludant.

2. Primum argumentum sumitur ex Matth. c. 11.

Primum ergo argumentum sumimus ex illo loco Matth. 11. *Væ tibi Corozain, Væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in te, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Vt autem ex hoc loco argumentum validum sumi possit, oportet

Supponendum.

supponere verba Christi non per exaggerationem, aut per coniecturam fuisse dicta, sed certissimam prophetiam ex infallibili præscientia profectam continere. Hoc probatum suppono ex Prolegom. 2. & alijs locis ibi citatis, nunc sufficit nobis authoritas Augustini libro de dono perseuer. capite 10. & 14. & in Enchirid. cap. 95. quibus locis illis verbis Christi vtitur tanquam certissimis, & apertissimam continentibus prophetiam. Quo supposito sic ex hoc loco argumentamur. Si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ coram Iudæis factæ sunt, cum solo interiori auxilio quod Iudæis datum, & oblatum est, illi credidissent, sed Iudæis habitatoribus Corozain, & Bethsaidæ tantum fuit data vocatio sufficiẽs, qua possent velle credere, & nõ fuit data prædeterminatio physica, vt constat, quia nõ luerunt credere, ergo Tyrij, & Sidonij cum eadem vocatione crederent absque alia prædeterminatione; ergo illamet vocatio, quæ in quibusdam non fuit efficax, in alijs foret efficax, & non propter prædeterminationem, ergo quia illi attemperarent voluntatem suam vocationi, & quia vocatio esset illis attemperata, & congrua, licet alijs non fuerit.

Ad hoc argumentum respondent, negando Tyrios & Sidonios fuisse credituros per eandem vocationem externam, & internam solam præuenientem, sed fuisse credituros, quia eorum voluntates à Deo prædeterminarentur. Quia illa præscientia Christi supponebat decretum Dei conditionatum, quo statuerat dare Tyriis & Sidoniis prædeterminationem si apud illos factæ essent omnes virtutes, quæ in aliis ciuitatibus factæ sunt. Nam Christus Dominus non dixit, quod si illæ virtutes factæ essent, apud Tyrios cum illis solis, vel sine prædeterminatione credidissent. Sed hoc ex parte refutatum est in prolegom. 2. vbi ostendimus frustra in Deo confingi talia conditionata decreta. Hic verò ex propriis impugnatur tripliciter. Primo apertissimo testimonio Augustini dicto lib. de dono perseuer. cap. 14. vbi ex verbis illis Christi ita colligit. *Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturale munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congruasuis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Hæc enim illatio Augustini nullius momenti esset, si verum est Tyrios & Sidonios fuisse credituros, quia danda illis fuisset prædeterminatio, quæ non fuit data Iudæis, quia licet in Tyrus non fuisset aliud intelligentię lumen, nec alia ratio congruitatis, sed in omnibus antecedentibus conditionibus essent pares Iudæis; imò licèt essent inferiores, & virtutes factæ apud illos essent minores, si danda esset illis prædeterminatio, infallibiliter essent credituri. Ergo vel Augustinus, si alias sentiebat illud discrimen fuisse futurum inter Tyrios, & Bethsamitas ex diuina prædeterminatione illis danda quæ illis fuit negata, ineptissimè intulit aliud discrimen in congruitate; vel si hoc de Augustino sentire ineptissimum, & insolentissimum est, fatendum est illum non cognouisse talem prædeterminationem, nec conditionatum decretum de illa danda Tyriis, sed in sola congruitate à Deo præcognita diuersitatem illam quoad efficaciam posuisse.

Secundò impugnatur illa responsio, quia ex illa redditur omnino inefficax, imo iniusta Christi Domini exprobratur. Probatur sequela, quia iuxta illam responsionem hunc fuisse oportet sensum cõparationis Christi. Si in Tyro, & Sidone essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, illis data etiam fuisset diuina prędeterminatio quę vobis data non est, & sic in cinere & cilicio pœnitentiam egissent. Ad hæc quæ exprobratio Iudæorum est? Profectò potius esset excusatio. Nam si hoc Iudæis innotescret, meritò responderent. Quid mirum quod illi crederent prædeterminationem reiicientes ad credendum? Da nobis illam & credemus. Aut quid non reprehendis, si prædeterminationem sine qua impossibile est, voluntatem nostram determinari ad credendum, non habemus, nec tu illam nobis das, aut offers, neque nos aliquid agere possumus quo illam

illam consequamur? Vt si quisquam exprobraretur quod pondus non portauerit solus, quod alter cum adiutorio tertij portasset, futilis esset reprehensio, nam iusta excusatio esset in promptu vt per se constat. Respondent verò Christum increpasse Iudæos quia maiora peccata commiserant, per quæ magis indigni talis auxilij extiterunt, vt pote propria malitia obdurati, quod non fecerunt Tyrij ac Sidonij. Quâuis enim (aiunt) non potuerunt Iudæi aut Tyrij, &c. ad prædeterminationem suis viribus se præparare, potuerunt nihilominus magis, vel minus, se impedire, & ideo meritò exprobrantur Iudæi, qui cum essent magis indigni, magis fuerunt adiuti ex parte Dei. Et statim ad hoc allegant D. Thomam 3. cont. gent. cap. 159. & 160.

3. Ad hæc responsio in primis inuoluit repugnantiam in illa sententia, nam iuxta illam ex parte hominum nulla potest reddi ratio cur potius huic homini detur prædeterminatio, quam illi, nec cur potius huic denegetur, quam illi. nam Deus ante præscientiam omnium futurorum decreuit huic dare determinationem, & non illi pro solo suo arbitrio, ergo ante præuiam in illis Gentilibus, & Iudæis maiorem vel minorem indignitatem, vtriusque voluit non dare determinationem; ergo non potest illa responsio accommodari iuxta illius sententiæ principia. Secundo magis hoc vrgetur, quia illi auctores dicunt, non solum ante præscientiam futurorũ absolutam, sed etiam ante conditionem decreuisse Deum non dare prædeterminationẽ Tyriis, etiamsi in illis fierent talia signa, ergo similiter ante omnem præscientiam absolutam, & conditionatâ voluit Deus non dare Iudæis eandem determinationẽ, etiamsi apud eos fierent talia signa, ergo non est illis negatum illud auxilium propter maiorẽ indignitatem, sed absolutè, quia Deus dare noluit. Accedit quod obduratio Iudæorum in non credẽdo visis talibus virtutibus, & signis, supponit carentiam prædeterminationis; ergo nõ potuit illa obduratio esse ratio ob quam Deus decreuit talem prædeterminationẽ eis non dare. Nisi fortè dicant, propter obdurationem sub cõditione præuisam decreuisse Deum etiã sub conditione non dare Iudæis prædeterminationem ad finẽ; etiamsi in eis fierent virtutes, quod & in illa sentẽtia repugnat, quia talis præscientia supponit in Deo decretum merè voluntariũ, in quo fundetur, & præterea puniret Deus peccatum tantum sub conditione præcognitum, quod esse valde absurdum ostendit August. contra Semipelagianos dictis locis de don. perseuer. cap. 10. & 14. & lib. de Prædestinat. Sanctor. frequenter.

4. Tertiò etiam illo modo non iustificatur Christi exprobratio, quia etiamsi Iudæis denegaretur prædeterminatio propter maiora peccata, possent reprehendi propter illa peccata; non tamen quia non conuertebantur, & pœnitentiam agebant, at verò vt ibi D. Thomas notat, Christus non exprobrabit Iudæis peccata commissa, sed eorum impœnitentiã ergo supponit illa exprobratio datũ fuisse Iudæis, vel oblatum quidquid eis necessarium erat ad agendum pœnitentiam, ac subinde prædeterminationem non esse necessariam. Probatur consequẽtia cum maiori, quia denegata prædeterminatione, in sensu compositio iam non poterant conuerti, nec erat in potestate illorum facere aliquid quo auxiliũ efficacis prædeterminationis obtinerent, ergo non peccabant in eo, quod non erat in eorum potestate, vt sæpe ex doctrina Augustini argumentati sumus. Imo possent illi Iudæi non immerito conqueri, quòd fictè vocarentur ad fidem, & ad occasionem captandam, vel colorem puniendi illos, fierent in eis exteriora signa, & virtutes cum illis, nec daretur nec offerretur internum quoddam auxilium necessarium omnino ad credendum.

Quartò multo magis excusari possent quod, non solùm non dabatur, nec offerebatur eis determinatio ad credendum, sed potius ipsorum voluntas à Deo prædeterminabatur ad voluntatem non credendi, & prius fuisset determinata ad illos actus, quibus vel obdurati, vel magis inepti ad credendũ facti sunt. Et sic etiam iustè ad comparationem exprobratoriam respondendo se possent excusare dicentes, quid nobis imputas, quod indigniores facti sumus, cum Deus ipse nostram prædeterminauit voluntatem ad omnia, quæ fecimus, vel voluimus, quod in Tyriis & Sidoniis non tam frequenter, vel non circa obiecta habentia tam grauem deformitatem fecit. Sed obiicitur nobis, idem argumentum posse fieri contra nos, quia etiam vocatio congrua est necessaria ad agendam pœnitentiam, & hæc non fuit data Iudæis, data vero fuisset illis gentibus. Vnde etiam possent Iudæi excusari, quia non fierunt congruenter vocati, sicut alij fuissent. At vero nihil iuuat euasio, nec excusatio Iudæorum esset legitima, nam auxilium ex parte Dei oblatum reuera erat idem, seu æquale, & per malitiam Iudæorum non fuit eis congruum, aliis vero futurum erat congruum non sine libera cooperatione ipsorum, seu non sine ordine ad illam. Et ita merito Iudæi exprobrantur comparatione gentilium. Prædeterminatio autem data fuisset, ex sola voluntate Dei, & ex eadem fuisset negata Iudæis, quæ est euidens inæqualitas, non ex ipsis nata, sed tantum ex Deo. 7.

Sed contra hoc instatur, quia etiam nunc fuit similis differentia. Nam Iudæi videntes signa posse- 8. Instantia.
runt impedimentum, ne à Deo prædeterminarentur, quod impedimentum non ponerent Tyrij & Sidonij. Sed hoc eisdem modis redarguitur, & conuincitur, in illorum auctorũ principiis. Tum quia etiam hoc modo supponitur, Deum in præscientia denegasse illud auxilium Iudæis propter eorũ peccata, & non ex se, quod ipsorum dictis est contrarium. Tum etiam, quia ex parte Tyriorum illa scientia est conditionata, & ita Deus decreuisset dare prædeterminationem Tyriis, si virtutes in eis fuissent factæ, quia iam sub conditione præuiderat eos non fuisse opposituros impedimentum prædeterminationi; quod & repugnat doctrinæ illorũ, quia Deus non habet illam præscientiam, ante decretum liberum suum, & coincidit in sententiam Semipelagianorum, quatenus dicebant, Deum punire, vel præmiare opera sub conditione tantum præuisa, & nunquam futura. Tum præterea quia suppositâ necessitate prædeterminationis nulla est dispositio ex parte hominis libera, quæ posset impedire prædeterminationem, neque hoc potest in culpam hominis refundi, vt supra efficaciter probatum est, quia nemo impedit secundum vel nouum auxilium præueniens, nisi quia non bene vtitur primo, nemo autem bene vti potest primo nisi ad illummet vsum detur auxilium efficax; ergo deueniendum est ad primum auxilium efficax necessarium ad primum vsum; si ergo illud detur, infallibiliter sequetur bonus vsus prioris auxilij, & non ponetur impedimentum ex parte hominis, sed quia Deus non vult dare. Præterquam quod quicunque vsus, vel non vsus priorum auxiliorum, reuocandus est in illa sententia, ad prædeterminationem datam, vel negatam ad hunc vel illum vsum. Redarguitur & conuincitur.

Denique tota hæc responsio manifestè repugnat August. in citatis locis. Nam ex hoc ipso Christi testimonio colligit vocationem congruam pro solo Dei arbitrio negari quibus vult, sine vlla ratione sumpta ex operibus vel absolutè, vel sub cõditione præuisis. Quapropter nullo modo posset iusta, vel rationabilis inueniri Christi exprobratio, si conditionalis illa propositio, Si Tyriis prædicatum fuis- 9.

set euangelium cum talibus signis, in illa suppositione fundata esset, quod illis daretur prædeterminatio efficax; ergo sensus verborum Christi necessarius est, credituros fuisse Tyrios & Sidonios cũ illis auxiliis quibus vocabantur Iudæi, vtique non solum externis, sed etiam internis sufficientibus. Hi enim nunquam excluduntur quia semper supponitur Deum illa dare proportionata vocationi, & signis externis, vt in lib. 3. declaratum est. Meritoque sub signis, & virtutibus intelligere debemus non tantum quę sensibus obiiciebantur, sed etiam quæ in animis audientium virtute Spiritus sancti fiebant; ita vt planus, & simplex sensus verborum Christi. Si Tyriis, & Sidoniis, data fuissent subsidia, quæ vobis data sunt, pœnitentiam egissent, ergo illa erant satis ad efficacem conuersionem, si voluntas libera suam cooperationem adhiberet.

Vnde possumus tertio argumentari, nam verba Christi in communi, & vsitato, ac proprio verborum sensu accipienda sunt, nisi vel grauissima auctoritas, vel euidens ratio aliter interpretari compellat, sed iuxta communem, & vsitatum sensum, similia verba faciunt sensum præcisum, & exclusiuum, & ita sine dubio ab his qui Christum audiebant intelligebantur; ergo ita sunt à nobis interpretanda. Maior constat ex generali regula interpretandi. Minor declaratur exemplo, nam si me rogante alium, vt mihi beneficium conferret, & illo nolente dicerem: Si Petrus petiisset à te, illi dares, nemo diceret, sensum esse: Si Petrus à te petiisset dando pecunias tibi beneficium illi dares, aut satis esse ad veritatem meæ locutionis, quod Petrus non sola petitione, sed adiunctis pecuniis obineret: hoc enim non esset beneficium impetrare petendo, sed obtinere emendo. Si ergo in præsenti, si conditionalis locutio Christi non ita intelligatur vt Tyrij, & Sidonij credituri essent, cum eisdem subsidiis præcisè sumptis, quæ data fuerant Iudæis, in rigore, & proprietate falsa esset locutio Christi, etiamsi credituri essent cum illis subsidiis adiuncta prædeterminatione, quæ Iudæis data non fuerat, neque oblata. Eo vel maximè quod tunc conuersio Tyriorum magis fuisset coacta, vel necessaria, quàm libera, & voluntaria, de qua Christus loquebatur, & ob cuius defectum Iudæis exprobrabat.

10. Vnde præter Augustinum locis citatis hunc sensum tradunt, vel tanquam certum supponunt expositores in Matthæum, Gloss. ordin. D. Thomas. Ianssen. Maldonat. expressius vero Anselmus sic ait. *Quamuis præuidebat Deus illos* (scilicet Tyrios & Sidonios) *habiles esse ad conuersionem, tamen non fuit iniustitia, sed eos, qui peccatores erant, & ideo indigni noluit vocare, quia cum vult miseretur, & quem vult indurat.* Certè non vocat habiles, quia essent capaces prædeterminationis, hoc enim modo omnes quantumuis obdurati sunt habiles, sed quia erant ita affecti, vt eis futura fuisset congrua vocatio. Vnde subdit inferius. *Sed quare Deus negat gratiam libenter suscepturis, & gratiæ consensuris, non est nostrum scire*, & Idem satis innuat Ambrosius lib. 7. in cap. 10. Lucæ dicens. *Si Tyrus & Sidon tanta operationum cœlestium vidissent miracula non despexissent remedium pœnitentiæ.* Vbi non prædeterminationi; sed eorum arbitrio id tribuit.

11. Eadē vocatio, quæ in vno est inefficax, n vno potest esse, imò & futura est efficax si illi detur, &c.

Ex hoc ergo loco concludimus, eandem vocationem, quæ in vno est inefficax in alio posse esse; imo, & futuram esse efficacem si illi detur, sine additione alicuius auxilij præuenientis, solum propter congruitatem ad eum, qui benè vsurus esset illa vocatione, si ei daretur. Et ad idem confirmandum valet illud Ezechiel. 3. *Non ad populum profundi sermonis, & difficilis linguæ tu mitteris, neque ad multos profundi sermonis*, &c. *Etsi ad illos mitteretis audirent te.* Hæc enim conditionalis eodem modo inducit posset, & debet, quo præcedens. Vnde Hieronymus ibi. *Facilius illi audirent, qui profundi sunt, altique sermonis, & nihil habent de leuitate Iudaica, sed graui, & solido ingrediuntur pede, & cum ignotæ sint linguæ, mutidei sunt*, &c. quibus verbis circunstantias ad congruitatem vocationis conferentes videtur describere. Et concludit. *Vnde sequitur etsi ad illos mitterem te, ipsi audirent te.* Et alia similia supra in Prolegomen. 2. tractata possunt huic argumento accommodari. Vbi etiam ostendi varietatem harum conditionalium propositionũm non posse in prædeterminatione fundari, sed tantum in libera determinatione arbitrij futura. Et inde consequenter infertur efficaciam vocationis in actu secundo pendere à libera cooperatione arbitrij, ex quo vlterius concluditur, efficaciam in actu primo includere habitudinem ad futuram liberi arbitrij determinationem, ac proinde in congruitate vocationis sitam esse.

Caput XXXI.

Eadem doctrina aliis scripturæ locis ad bonum vsum gratiæ exhortantibus suadetur.

Secundò principaliter ad hoc inducimus illa scripturæ testimonia, in quibus homines exhortantur, vt suam vocationem quantùm est ex parte sua illa reddant efficacem vtiq; in actu secundo, vel quod idem perinde est admonentur ne irritam reddant vocationem Dei, nam hæ duæ negationes illi affirmationi æquiualent, ne cpotest aliter vocatio non frustrari irrita, nisi consentiendo seu cooperando illi. Hæ namque exhortationes supponunt in potestate hominis actiua, & morali positum esse sufficientis vocationis effectum. Nemo enim prudens alium monet; vt agat, quod non potest, neque excitat illum ad recipiendum, quod ab alterius sola voluntate prouenire potest, nisi etiam ex sua pendeat, ergo testimonia quæ ad effectum vocationis homines exhortantur, supponunt efficaciam non pendere ex prædeterminatione, sed dari homini in actu primo, & in eius morali potestate constitui, quoad actum secundum, quod esse non potest nisi per vocationem congruam. Nam si intercederè debet prædeterminatio, exhortandi prius essent homines, vt haberent prædeterminationem, quod tamen superuacaneum esset, cum ab illis fieri non possit, neque ab eorum arbitrio pendeat.

Primo igitur isto modo inducimus verba Petri, 2. epist. c. 1. *Satagite vt per bona opera, certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Quæ verba quoad particulam *certam* duplicem habent sensum. Vnus enim vt significent certitudinem cognitionis, ita vt sensus sit, satagite per bona opera, vel vosipsos, vel alios certos reddere, quantum in hac vita fieri potest, quod vestra electio, vel vocatio à Deo sit, vel quod sitis verè iusti, aut etiam electi, & prædestinati, quem sensum Beda Oecumen. & Glossa sequuntur. Alter sensus est vt Petrus non de certitudine subiecti, seu cognitionis, sed de certitudine obiecti, & vocationis loquatur, ita vt idem sit facere vocationẽ, & electionem certam, quod facere firmã per eius executionem. Quam expositionem indicat D. Thom. 1. p. q. 23. art. 8. ait enim prædestinationẽ fieri certam per bona opera, *quia per meliorum executionem certitudinaliter impletur.* & ideo dixisse Petrum *Satagite*, &c. Igitur facere vocationem certam, idem est, quod

quod illam in re ipsa ratam, ac firmam reddere. Quod expressius tradit noster Bellarminus lib. 3. de Iustificat. cap. 9. ad vltim. & in versione quæ apud Oecumenium est, sic legitur. *Vt vocationem & electionem vestram firmam faciatis.* Et eodem modo legit Caietanus, estque hæc expositio textui consentanea. Imo si quis rectè consideret, prior etiam expositio hanc inuoluit, ac supponit, quia ideo bona opera sunt signa, quæ possunt cognitionem aliquo modo certam gratiæ, ac prædestinationis, vel in ipso operante, vel in aliis generare, quia vocationem firmam, & ratam reddunt. In hoc autem sensu idem est facere vocationem certam, quod facere efficacem, & fructuosam; est ergo hoc in potestate hominis, & ab illo pendet, aliàs frustra diceretur illi vt suam vocationem certam faceret.

3. 2 Cor. 6. Deinde hoc confirmatur ex verbis Pauli 2. Corinth. 6. *Adiuuantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Quæ quidem verba licet ad omnem gratiam huius vitæ accommodari possint, nam illa exhortatio, & in gratiis gratis datis, & in ipsamet habituali saltem pro futuro tempore locum habet, tamen Paulus de gratia communi omnibus fidelibus loquitur, cum omnes exhortetur, illaque de gratia actuali potissimum intelligat, quia habitualis non fructificat, nisi media actuali, & in tantum manet otiosa, in quantum actualis gratia in vacuum recipitur. Eo vel maximè quod habitualis gratia non est communis omnibus, cum tamen ad omnes dirigatur exhortatio, vnde etiam fit vt ibi maximè intelligenda sit gratia vocationis, quia illa est prima inter actuales, ac proinde communis qui gratiæ Dei participes aliquo modo effecti sunt ad quos Pauli exhortatio generaliter dirigitur. Euidenter enim ad eos loquitur Paulus qui gratiam aliquam acceperunt, cum expressè dicat. *Exhortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Vnde Augustinus lib. de grat. & liber. arbitr. cap. 5. sic ait. *Vt quid enim vos rogat si gratiam sic susceperunt, vt amitterent liberum arbitrium.* Intelligit ergo Paulum ad eos loqui, qui gratiam aliquam susceperunt. Quod etiam est per se euidens. nam si nullam recipiunt, quo modo possunt illam in vacuum recipere? Vnde testimonium quod inducit Paulus. *Tempore accepto exaudiuite, & in die salutis adiuui te*, & gratiam præuenientem datam supponit, & adiuuantem ostendit *tempore placito*, id est, legis gratiæ, oblatum esse, & ita D. Thomas ibi de gratia præueniente, & cooperante locum illum interpretatur. Cùm autem inter has prima gratia, quæ in homine recipitur, sit vocatio, de illa maximè monet Paulus, ne in vacuum illam recipiamus. Et ita intellexit locum illum Augustinus lib. de Grat. & lib. arb. cap. 5. vbi hæc verba coniungit cum illis 1. Cor. 1. 15. *Gratia Dei sum id, quod sum, sed gratia eius in me vacua non fuit.* quam gratiam ad vocationem reducit dicens. *Vt autem de cœlo vocaretur, & tam magna, & efficacissima a vocatione conuerteretur, gratia Dei erat sola.* Quibus locis vtitur etiam Concilium Senonen. in præfatione ad ostendendam concordiam gratiæ cum libero arbitrio, quæ quidem concordia non habet difficultatem, nec habuit vnquam respectu gratiæ habitualis, seu respectu actualis, & præcipuè operantis, præuenientis, seu vocantis.

4. Hoc ergo supposito, tale ex hoc loco conficitur argumentum, Nam vel Paulus loquitur de vocatione sufficiente in genere vt abstrahit à congrua, & incongrua, seu ab efficaci, & tantum sufficienti, vel loquitur de purè sufficienti, vel de sola efficaci: quidquid horum dicatur concluditur intentum. Nam si dicatur primum (vt planè dicendum est cum Paulus generatim, & indefinitè loquatur) supponit admonitio Pauli esse in proxima hominis potestate, postquam sufficienter vocatus est, fructum talis vocationis ferre, si velit, & consequenter illam efficacem facere, vel illi resistere, & sic illam vacuam reddere. Dicent fortasse, esse quidem hoc in potestate hominis vocari, sed non eodem modo, nam potest fructum talis gratiæ ferre, si aliam recipiat, qua prædeterminetur, potest item illam vacuam reddere, si non prædeterminetur: Sed contra, nam potestas dandi illam prædeterminationem est solius Dei, nec ad alterum illorum potest homo aliquid ex se præstare, vt supra probatum est, ergo frustra monetur vel à Petro vt firmam suam vocationem faciat, vel à Paulo, vt non in vacuum gratiam recipiat: nam prius oportuisset illum monere, vt prædeterminationem recipiat, vel vt caueat carentiam prædeterminationis, hæc autem admonitio esset ridicula, & frustranea, quia recipere, vel non recipere prædeterminationem non est in hominis potestate, vt sæpe dictum, & probatum est. Supponit ergo Paulus, talem esse illam gratiam, vt in homine susceptam, vt ab homine ipso adhibita sua cooperatione possit fieri non vacua quam nos congruentem vocamus, & quo possit etiam vacua fieri, si homo cooperari nolit.

5. Et declaratur amplius expendendo alia membra; nam si loquatur Paulus de gratia sufficienti, eo ipso exhortatur hominem, vt sufficientem gratiam efficacem faciat; ergo supponit hoc esse in proxima potestate hominis vocati ex vi gratiæ sufficientis, ita vt recepta illa gratia immediatè habeat in manu sua effectum gratiæ, sine alia gratia præuia, quæ nō sit in hominis potestate. Probatur consequentia, quia vt ibi Ambrosius & D. Thomas dicunt, *tunc gratia in vacuum recipitur, quando nullus ex ea fructus percipitur.* Iuxta illud Isai. 55. *Sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui.* Ergo non reuerti vacuum est reuerti cum effectu. Si ergo in alio loco gratiam Dei, non in vacuum recipere, idem est, quod non sine fructu & effectu illam recipere, ergo idem est quod bene illa vti, ita vt fructum ferat nam duæ negationes affirmant. Idem ergo est non in vacuum, quod cum fructu, si autem est cum fructu, iam est efficax; ergo monet Paulus, vt ita in nobis recipiamus gratiam sufficientem, vt efficax etiam sit; ergo est in potestate nostra facere aliquid, quo posito gratia erit efficax. Quod verissimè dicitur, si efficacia præuenientis gratiæ consistit in congruitate vocationis dicentis respectum ad nostram liberam cooperationem, cum efficacia autem prædeterminationis physicæ stare non potest, cum illa nullo modo sit in potestate hominis nisi merè passiua, nec ex nostra libertate pendeat, sed illam omnino antecedat.

6. Denique non minus idem conuincitur, si de gratia efficaci locum illum interpretemur, nam si eos etiam qui gratiam efficacem receperunt monet Apostolus ne in vacuum gratiam Dei recipiant, supponit profecto esse in potestate hominis vacuam reddere etiam illam gratiam quæ cooperante auxilio futura est efficax. Nam si talis gratia supponeretur in homine recepta, cum qua impossibile esset, homini non ferre fructum, superuacanea, & illusoria esset admonitio, vt cauerent, ne gratiam illam in vacuum reciperent, quam receptam non possent ipsi reddere vacuam. Vnde rectè dixit Augustinus supra. *Vt quid eos rogat, si gratiam sic susceperunt vt propriam perderent voluntatem.* Vbi propriam voluntatem appellat, non ipsam potentiam, nemo enim cogitauit vnquam per gratiam perdi potentiam ipsam, sed intelligit proximam potestatem liberè vtendi, vel non vtendi gratia, seu ipsum liberum vsum, quo vacua reddatur. Si autem gratia efficax præueniens prædeterminaret voluntatē, profectò secum non admitteret veram facultatem reddendi illam

Propriam voluntatē hic appellat Augustinus non ipsam potentiam, sed proximam potestatem liberè vtendi vel non vtendi gratia.

illam vacuam; ergo si Paulus loquitur de gratia efficaci, & monet ne vacua fiat, supponit consistere in tali modo gratiæ, quæ in sua efficacia à libera cooperatione liberi arbitrij aliquo modo pendeat.

7. Et hoc confirmant alia verba Pauli 1. Corint. 15. *Gratia Dei in me vacua non fuit.* Vbi sine dubio loquitur de gratia efficaci, talis enim erat gratia illi data, & tamen quodammodo gloriatur, quod in ipso vacua non fuerit, *sed abundantius* (ait) *illis omnibus laboraui.* Supponens profectò potuisse ab ipso vacuum fieri; aliàs quæ esset gloriatio? Vt autem non in se, sed in Domino gloriari cognosceretur, se statim corrigit dicens. *Non ego sed gratia Dei mecum.* Id est, (vt Augustinus exponit) *non solus sed gratia Dei mecum, ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo.* Ergo id, per quod in re ipsa fit, vt vocatio sit non vacua, quod est esse efficax, non est aliqua alia gratia sola, sed est gratia simul cum cooperatione liberi arbitrij, & consequenter præueniens gratia non est efficax sine habitudine ad hanc liberam cooperationem.

8. Respondeti potest, Paulum quidem loqui de gratia efficaci in qua recipienda voluntas iam consentit, (hoc enim expressè testatur Concilium Senonen. supra, & ex textu colligitur, quia loquitur ad fideles, qui efficacem gratiam ad credendum receperant) & nihilominus hortari eosdem fideles, ne in vacuum gratiam Dei accipiant, non quidem quoad illum effectum, quem iam in eis habuerat, sed quoad alios fructus bonorum operum, respectu quorum prior illa gratia potest esse sufficiens, & non efficax. Respondeo in primis, licet hic sensus ex parte verus sit, & intentus a Paulo vt Chrysostomus, Theophylact. & alij exponunt, nihilominus non posse ad illum Pauli verba limitari, nam generalia sunt, vt supra dicere incepi. Itaque non solum monet Paulus peccatores, sed etiam iustos, ne in vacuum gratiam Dei recipiant. Nam vt ibi ait Theophylactus. *Quid prodest à peccatis liberari diuina gratia, deinde rursus eis per propriam socordiam impleri?* Deinde non monet tantum iustos, sed etiam fideles peccatores, ne in vacuum gratiam fidei recipiant. *Nam* (vt idem Theophylactus subdit) *ad reconciliationem non sufficit fides, sed vita etiam est necessaria.* Deinde non monet tantum fideles iam credentes sed etiam quoslibet iam vocatos ne gratiam vocationis in vocuum reciperent, quia ad omnes loquitur, ergo si de gratia efficaci loquitur, etiam vocationem congruam quoad primam efficaciam eius comprehendit, illamque efficacem supponit, talem esse, vt posit per libertatem hominis vacua fieri. Deinde addo idem probari, etiamsi de priori gratia propria voluntate recepta sit sermo, quia illa non potest fieri fructuosa nisi cum noua gratia excitante, & efficaci; ergo cum Paulus exhortatur ne gratiam illam reddamus inefficacem, de illa loquitur non secundum se tantum spectata, sed vt habet adiuncta, & oblata necessaria auxilia actualia ad fructificandum, in quibus gratia efficax actualis includitur; ergo semper idem argumentum redit.

9. Et ita Augustinus, & cum illo Concilium Senonense citatis locis maximè vtuntur illo testimonio ad probandum gratiam non tollere liberum arbitrium. Et vt probatio sit efficax, necesse est intelligant, Paulum ibi loqui de quacunque gratia viæ, nam hæretici non dicunt omnem gratiam tollere libertatem, sed aliquam. Vnde si verba Pauli ad aliquam gratiam limitentur, non probabunt contra hæreticos, respondebunt enim illam quidem gratiã de qua Paulus loquitur non tollere libertatẽ, quandam verò gratiam specialem illam tollere. Igitur de quacunque gratia huius vitæ verum est, posse ab homine vacuam fieri, & præcipuè de præuia, & actuali, nam in hoc maximè ab hæreticis erratum est; ergo de hac etiam loquitur Paulus, vel saltem etiam illam comprehendit. Nam (vt dixi) verius est generaliter loqui de auxilio gratiæ, cui nec repugnat euacuari fructum liberi consensus, vel operationis, nec repugnat non esse vacuum, sed in re ipsa reddi efficax ita vt habeat effectum. Ex his testimoniis adiungi possunt frequentes exhortationes similes, quæ in Scriptura inueniuntur, vt est illa 2. Tim. 1. *Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Vbi licet nomine *gratiæ Dei* posit gratia gratis data intelligi, maximè tamen loquitur Paulus de gratia Spir. S. quæ in ordinatione seu consecratione datur ad Episcopatus, & Sacerdotij munera sanctè exercenda, vt Chrysostomus, Theophylactus, D. Thomas, & alij intelligunt. Cum autem Paulus dicat *gratiam, quæ sit in te*, clarum est per verbum resuscitandi non monere Timotheum, vt amissam gratiam recuperare studeret, iustus enim erat, & gratiã in se habebat; monet ergo, vt non sinat esse otiosam, sed actuosam, & operatoriã illã reddat, quod est ex parte sua illã reddere efficacẽ. Obiici autẽ potest quia hoc modo magis esset resuscitare hanc gratiam, quã illi cooperari quia illo verbo magis officium excitantis, quã cooperãtis significari videtur. Vnde apud Chrys. Hom. 1. ita legitur, *vt excites gratiã Dei quæ est in te.* Veruntamẽ excitatio illa quã Paulus dicto loco poscebat, supponebat excitationem quam Spir. sanct. facturus erat in eodem Timotheo, mediantibus illis eisdem verbis, quibus Paulus ipsum Timotheum monebat. Supposita autem illa excitatione generaliter facta, vel à Spir. S. per eam, rectè monetur Timotheus, vt gratiam in se existentem excitet, & applicet ad particularia opera suo muneri consentanea. Et ita in illis verbis docemur, posita sufficienti gratia excitante esse in proxima potestate nostra cum gratia cooperante efficacem reddere illã excitationem solum quoad consensum immediatum illi præstandum, sed etiam ad vlterius progrediendum ad excitandum in nobis alios effectus, & hoc modo torpentem, vel etiam dormitantem gratiam excitare, & vigilantem reddere. Vnde Chrysostomus ibi sic exponit. *Inest quidem gratia mirate, aucturn vehementiorem illam efficere studet.* Et iterum ficat. *Excita gratiam Spiritus, quam accepisti ad Ecclesiæ institutionem, ad perpetranda miracula ad omne religionis obsequium quippe hanc vel extinguere vel excitare in nobis est.* Vtique supposita prima excitatione Dei, quæ temporibus opportunis nunquam deest.

Confirmat hoc Chrysostomus ibidem alio testimonio Pauli dicens. *Idcirco, & alibi ait: Spiritum nolite extinguere, is enim angore* (vel fortè langore) *animi, & negligentia extinguitur, vigilantia vero, & intentum suscitatur.* Vnde Macar. Homil. 17. cum dixisset. *Deus à perfectu requirit voluntatem animæ in obsequium tam Spiritus, nempe, vt assentiantur*, id confirmat dictis verbis Apostoli. *Spiritum nolite extinguere.* Et homil. 27. *At* (inquit) *quo pacto scriptum est, Spiritum nolite extinguere si ipse inextinguibilis est, & lucidus? Tu vero voluntate tua negligens ac non consentiens extinguere ab Spiritu.* Et idem confirmans addit. *Eodem modo dicit nolite extinguere Spiritum sanctum Dei. Vides in tua voluntate positum esse, ac libero tuo arbitrio, vt honore afficias Spiritum sanctum, & non anges.* Ac denique D. Thomas 1. Thessalon. 5. circa illa verba varios modos declarans quibus à nobis potest extingui Spiritus sanctus non in se, sed in nobis, vnus, inquit, *est, cum aliquis bonus motus surgit, & homo impedit, extinguit Spiritum. Actor. 7. Vos semper Spiritui sancto resistitis.* Ex his ergo testimoniis rectè colligimus, semper esse positum in hominis potestate, vel Spiritum, id est, motionem, & vocationem Spiritus extinguere, vel accendere, quod est ex parte sua efficacem reddere,

illi

parte sua efficacem reddere, illi cooperando. Et qui ab hac generali regula Scripturarum motionem prædeterminantem exceperint, ostendere debent Scripturas, & authentica testimonia, quibus talis exceptio nitatur, vel si illa non censetur exceptio, necessarium erit, vt exponant, quomodo respectu talis motionis locum habeat illud. *Spiritum nolite extinguere*, vel illud. *Vos semper Spiritui sancto restitistis.*

11. Quinam dicantur Spiritui sancto resistere.

Quæ verba vltima paulò amplius vrgere libet, illi enim dicuntur Spiritui sancto resistere, qui vocationi eius, illuminationi, & inspirationi non consentiunt, neque cooperantur. Interrogo ergo, an illi ita moti essent à Spiritu sancto, vt statim, seu immediatè possent, nulla alia præmotione Spiritus S. expectata bene vti illa vocatione, eique assentire, vel adhuc indigerent alia motione, sine qua inclinare, aut determinare voluntatem suam non possent. Si primum dicatur, merito quidem arguuntur illi, quod Spiritui sancto restiterint, consequenter vero inde conuincitur, nō esse necessariam motionem prædeterminantem ad consentiendum vocationi sufficienti, neq; ad reddendam illam ex parte nostra efficacem, seu ad cooperandum illi, vt efficax fit. Si autem dicatur secundum, immerito illi de resistentia culpantur, quia falsum est, eos restitisse, præsertim moraliter, & liberè, quod necessariū est, vt eis dissensus ad culpam imputetur. Probatur, quia illa resistentia est tantum negatiua, scilicet, quia homo non statim inclinat voluntatem suam ad consensum, & flectit illam, submittendo eam tali vocationi. Et hæc non potest dici resistentia, nec impntari ad culpam, quia nondum datū est, nec oblatum, aut aliquo modo positū in manu hominis, id sine quo inchoare non potest talem inclinationem seu determinationem voluntatis, non est ergo illa resistentia, sed impotentia amplectendi talem vocationē. Vel resistentia illa est positiua, quia homo proprio actu vult dissentire, & tunc non solum procedit ratio facta, sed etiam alia, quia ad illummet actū positiuum prædeterminatur voluntas humana à motione Dei, & illa motio est prima radix talis resistentiæ homini ineuitabilis; ergo homo non resistit Spiritui sancto, sed ipse Deus est, qui suo spiritui, ac proinde sibi resistit. Et similem vim habent verba illa. *Vocauí & renuistis* Prouerb. 1. & illa *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Psalm. 94. Et illud. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti.* Matth. 23. Nam his omnibus, & similibus, discursus factus potest applicari.

12. Quid sit expectare vuas.

Peculiariter autem hunc argumentandi locum optimè confirmat reprehensio illa Domini ad populum Iudaicum per Isaiam c. 5. *Expectaui vt faceret vuas, fecit autem labruscas.* Quid est enim *exspectare vuas*, nisi exspectare fructum, & effectum culturæ spiritualis vineæ, quæ procul dubio fit per vocationem, & auxilia prævenientia, non externa tantum, sed etiam interna sufficientia, & necessaria ad ferendum fructum, vt supra lib. 4. c. 2. probaui, & conuincunt illa priora verba. *Quid amplius debui facere vineæ meæ, & non feci.* In illis autem non comprehenditur auxilium prædeterminans, vt est per se euidens, quia si illud datum esset vineæ, infallibiliter fructum attulisset; ergo sine illa sunt alia auxilia de se efficacia, si homo eis vti velit ad ferendum fructum, & è conuerso voluntas illis præparata immediatè potest facere vt sint efficacia cooperando illis, cum auxilio simultaneo sine alio præuio. Alioqui frustra Deus exspectaret fructum à vinea, quæ ad ferendum fructum indiget tribus beneficiis, v.g. putandi, fodiendi, & rigandi, si duobus adhibitis tertium omitteret. Quod euidentissimè vrget in auxilio prædeterminante, si necessariū est, quia illud quando non datur, nullo modo est in hominis potestate, quia Deus pro solo suo arbitrio dat, vel non dat illud; si ergo Deus non dederat, imo ex se decreuerat non dare prædeterminationem suæ vineæ, quid de illa conqueritur quod non dederit fructū? aut quomodo potuit ab illa expectare fructum cum non posset vel ab illa, vel in illa prædeterminationem expectare. Illa ergo reprehensio efficaciter conuincit, post sufficientē culturā mysticæ vineæ, quæ omnia auxilia prævenientia actu data, & concomitantia oblata includit, efficaciam sumendā esse in ordine ad cooperationem liberi arbitrij, ac subinde in congruitate consistere. Et hoc amplius confirmabimus cap.... declarando quomodo Deus expectat fructum liberæ voluntatis, nam illa expectatio certissima est, & profecto si determinatio physica necessaria esse, locum non haberet, vt ibi ostendemus.

13. Concluditur illis testimoniis, quibus post sufficientē vocationē postulatur, & c. consensus hominis

Denique concludimus hunc locum illis testimoniis quibus post sufficientem vocationem postulatur, speratur, vel alio simili modo vocationi immediate coniungitur consensus, tanquam in proxima hominis potestate existens. Nam vt hæc omnia vera sint, & non fictitia, necessarium est, præter eam vocationem nihil necessarium esse ad defectum, & efficaciam eius, præter usum liberū cum simultaneo Dei auxilio, nam si quid prius, & quasi medium inter illa intercedere necessariū est, illud prius esset præstandum, vel procurandum, quam consensus postularetur. Nam aliàs consensus non esset in proxima hominis potestate, sed in remota, vel non esset in potestate actiua completa, sed in receptiua, quod talibus testimoniis repugnat. Huiusmodi est illud Apocalyps. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit intrabo ad illum* Vt enim in his verbis: *Si quis aperuerit*, non postuletur ab homine conditio impossibilis, necesse est, vt supposita pulsatione Dei sit in potestate hominis aperire, vt per se notum est. Ergo necesse est, vt in actu aperiēdi (qui est consensus) iam non pendeat voluntas ab aliquo auxilio, quod non sit in eius potestate, nisi tantum passiua. Nam quod huiusmodi est, non est in morali hominis potestate, neq; est conditio homini possibilis moraliter, nisi quatenus homo aliquid liberè agere potest ad illud consequendum, quod de auxilio prædeterminante dici non potest, vt supra ostendi, vbi probatū est, neq; positiue, neq; negatiuè posse hominem se disponere ad prædeterminationē, aut illam impedire, vel non impedire. Ergo conditionalis illa promissio ostendit, recepta occasione preueniēte, & oblato auxilio simultaneo, esse in proxima hominis potestate ita se gerere, vt efficacem reddat vocationem sine alio auxilio prædeterminante.

Respondent aliqui, in illo loco, & similibus sermonē esse de vocatione non quacunq;, sed efficaci, 14.
quæ includit auxilium prædeterminans, vt ipsi dicunt. Sed præterquam quod prædeterminatio non pertinet ad vocationem, vt infra circa testimonia August. ostendam, gratis, & contra vim verborum illa euasio huic testimonio applicatur. Primo quia verba Script. generalia sunt. *Ego sto ad ostium & pulso*, quæ non possunt vniuersaliter de vocatione efficaci verificari, quia Spir. S. non est semper ad ostium, vt efficaciter pulset. Vnde Concil. Sen. decret. fidei 13. expresè illa verba intelligit de præueniente auxilio indifferente, cui resisti non potest, & sæpè resistitur, & idem indicat Trident. sess. 6. c. 5. Secundo quia si prædeterminatio data cum tali vocatione supponitur, impertinens est ilia conditio quia ex suppositione talis vocattonis esset conditio necessaria, & ineuitabilis, conditio autē non apponitur, nisi quia non obstante pulsatione Dei fieri potest vt homo non aperiat, tali potestate, quæ sepe in actū reducitur. Tertiò quia certū est similem conditionalē esse verisimam de omnibus sufficienter vocatis, quod si aperuerint Deus intrabit ad illos. Hac e-

nim ratione de omnibus adultis peccatoribus verum est, quod si pœnitentiam egerint, iustificabuntur, ergo promissio illa conditionalis non fit tantũ efficaciter vocatis, sed etiã sufficienter vocatis; ergo de illis omnibus verum est habere in potestate sua efficaciam suæ vocationis, cum tamen non habeant in potestate sua prædeterminationem, ergo efficacia non pẽdet ex prædeterminatione, sed ex cooperatione liberi arbitrij, seu habitudine ad illum. Et eodem modo induci possunt similia testimonia Conuertimini ad me, &c. Zachar. 4. Ioel. 2. *Proicite iniquitates vestras, facite vobis cor nouum.* Ezechiel. 28. & 33. vbi similes habentur promissiones.

CAPVT XXXII.

Alia Scripturæ testimonia contra physicam prædeterminationem expenduntur.

1. Afferuntur testimonia Scripturæ quæ directè physicæ prædeterminationi repugnant.

TErtiò principaliter afferre possumus testimonia quæ directè physicæ prædeterminationi repugnant, nam illa consequenter probant auxilium efficax in congrua vocatione consistere. Quia exclusa prædeterminatione non potest aliter explicari efficax. Hæc autem testimonia quædam ostendunt auxilium efficax, quod simpliciter necessarium est ad singula opera pietatis non esse ponendum in prædeterminatione efficaci, seu (quod perinde est) prædeterminationem physicam, non esse per se necessariam ad singula opera pietatis, sed ad liberam determinationem eius. Et hanc partem probant satis efficaciter multa ex testimoniis in duobus punctis præcedentibus adductis. Quia dum probant per vocationem sufficientem ita poni consensum in potestate voluntatis, vt immediatè valeat in effectum prodire, & per illam stare, vt non sit efficax vocatio, vel vt habeat effectum cum simultaneo auxilio oblato ex parte Dei, consequenter conuincunt non esse simpliciter necessariam huiusmodi prædeterminationem ad talem consensum.

2. Et ad hoc ipsum probandum valent omnia testimonia, quibus lib. præcedenti cap. 2. & sequentibus probauimus dari huiusmodi auxilium sufficiens, quod licet interdum sit remotum respectu alicuius actus, reducendum semper sit ad aliquid cuius comparatione sit proximum, ita vt per illud, & cum illo posit voluntas in aliquem bonum actum prodire, vel prauum vitare. Hæc enim proxima sufficientia auxilij nunquam esse potest respectu alicuius actus, si prædeterminatio est necessaria, quia si prædeterminatio data est, iam non est sola sufficientia, sed efficacia, si vero non est data, eo ipso quod data est, auxilium non est proximè sufficiens, quia deest aliquid necessarium, quod prius obtinendum est, non comitanter tantum sed præuiè, & antecedenter. Vnde etiam fit vt non sit in proxima potestate actiua hominis, sed tantum in receptiua. Semper ergo potentia illa in statu sufficientiæ concepta est tantum remota. Et consequenter vlterius fit, quod sit sufficientia libera, & moralis, quia receptio talis prædeterminationis, nullo modo est in actiua potestate hominis, quia neque ad illam prædeterminationem efficiendam potest effectiuè, vel liberè concurrere, neque etiam potest aliquid liberè agere, quo illum obtineat, vel non impediat. Sic ergo testimonia Scripturæ, quæ probant dari auxilium verè, ac proximè sufficiens, probant auxilium necessarium ad piè operandum non consistere in physica prædeterminatione.

Quibus addi potest illud Deuter. 30. *Mandatum quod ego præcipio tibi hodiè, non supra te est, neque procul positum, vel in cœlo situm, vt possis dicere, Quis nostrum valet ad cœlum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, & opere impleamus?* Vbi considerandum est verba illa dirigi ad populum à Deo vocatum, & supernaturaliter illuminatum, aliisque auxiliis gratiæ sufficienter instructum. Quamuis enim illa lex vetus populo illi gratiam non conferret, tamen Deus qui legem illam dabat, necessaria etiam gratiæ auxilia ad illam implendam propter Christum offerrebat, & ideo dicit. *Mandatum non supra te est*, non quia non esset supra naturæ vires, vel quia sine gratia posset impleri, cum statim ibi proponatur summum præceptum diligendi Deum super omnia, sed quia non erat supra vires illius populi sub tali prouidentia gratiæ constituti. At si inter vires necessarias ad mandatum implendum est illa determinatio, quam Deus solus facere potest, & tribuit illam cui vult, negat, profectò mandatum Dei est supra hominem quantumuis gratia instructum, si determinationẽ illam non habet, quia talis determinatio supra hominem est, & in cœlo est (vt sic dicam) nec habet modũ, aut viã qua illuc ascendat ad illam obtinendam. Declaratur exẽplis: nam si Deus præcipiat mihi prophetare, aut miracula facere, & non det donũ prophetiæ, aut gratiam miraculorum, nec modum obtinendi illã, profectò merito diceretur tale mandatum esse supra hominẽ, & esse procul, & in cœlo situm, &c. At non magis potest voluntas hominis determinari ad diligendum Deum sine prædeterminatione Dei, quã prophetare sine dono; ergo si Deus nec dat talem determinationem, nec modum obtinendi illam, dat præceptum supra hominem, quia in præcepto diligendi Deum continetur, vt voluntas determinetur ad diligendum illum. Atq; itare liqua omnia, quę in illo capite subsequũtur de propositione boni, & mali, vitæ, & mortis, & præcepto eligendi vitam, eandem veritatem confirmant.

Alia denique sunt testimonia, quæ *non solùm* probant auxilium prædeterminans non esse necessarium ad opera pia, sed etiam repugnare illis, quatenus esse debent opera humana, & qua, in laudem, & meritum ipsius hominis operantis eedant. Hæc autem testimonia eadem sunt cum illis quibus in Proleg. 1. & in c. 4. huius libri contra Caluinum probauimus, auxilium efficax non consistere in motione necessitante voluntatem. Præcipuum verò est illud. Ecclesiast. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui. Adiecit mandata, & præcepta sua. Si volueris mandata seruare, conseruabunt te. Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum & malum, quod voluerit dabitur illi*, quem locum in dicto cap. 4. latè tractaui. Et in primis ostendi non esse limitandum ad statum innocentiæ, sed absolutè de omni statu esse intelligendum. Quia licet ea omnia dicantur de homine ab initio creato, continent tamen intrinsecam hominis proprietatem, quæ per peccatum non amittitur. Deinde certum est, illa omnia non solum dici de actibus ordinis naturalis, siue ciuilibus, siue moralibus, sed etiam de supernaturalibus, quia homo est relictus in manu consilij, in ordine ad consequendum, vel admittendum finem vltimum propter quem creatus est, qui finis supernaturalis est, & per actus supernaturales comparatur. Vnde cum dicitur. *Si volueris mandata seruare, conseruabunt te*, non solum de naturalibus, sed maximè de supernaturalibus intelligitur, quia horum obseruantia in primis necessaria est ad vitam animæ (de qua ibi etiam maximè sermo est) obtinendam, & conseruandam. Vnde tandem fit, vt illa intelligantur de homine non solum naturalibus viribus instructo, sed etiam supernatura-

turaliter vocato, & in eo statu constituto in quo posſit de ſupernaturaliter agendis conſiliari, & de obſeruatione præceptorum etiam ſupernaturalium deliberare, & quæ ad vitam, vel meritum dicunt eligere. Hinc ergo argumentamur ſicut ex his verbis colligitur libertas arbitrij in ſupernaturalibus, ita etiam probari vſum libertatis conſiſtere in determinatione voluntatis præueniente ab ipſa adhuc indifferente, & nondum ab illo determinata, ac proinde prædeterminationem repugnare modo operandi voluntatis, quem ex dono Creatoris habet voluntas, & quo in operibus gratiæ non priuatur. Probatur hæc illatio ex ponderatione ſingulorum verborum. Nam illud *in manu conſilij ſui* ſignificat proximam poteſtatem cum indifferentia, quam magis explicat conditio illa *ſi volueris*; & augetur cum dicitur, *ad quod volueris porrige*. Nam verbum hoc apertiſsimè ſignificat determinationem voluntatis ab ipſa habente ſimul proximam poteſtatem porrigendi manum ad aliud. quod etiam ſatis confirmat verbum *quod placuerit*.

3. Reſpondent vera eſſe hæc omnia, & his verbis ſignificari, nihilominus tamen per illa non excludi prædeterminationem Dei, nam licèt voluntas humana prædeterminetur à diuina prius natura, nihilominus ipſa in poſteriori ſigno naturæ, ſe etiam determinat, & porrigit manum ad id, quod vult, quia licet ſe liberè determinet, non eſt tamen primum liberum à ſe primo determinans, ſed ſub primo libero à quo prædeterminatur. Et ad hoc inducunt D. Thomam 1. p. q. 22. art 2. ad 4. dicentem per illa verba diſtingui hominem ab agentibus naturalibus, quæ non ducuntur conſilio, quia habent virtutem operatiuam determinatam ad vnum, non tamen excludi quin liberum arbitrium, & tota prouidentia humana ſubdatur diuinæ. Vnde alij dicunt per illa verba excludi quidem à voluntate dererminationem ad vnum innatam, & intrinſecam naturæ ſuæ, non tamen excludi prædeterminationem ab auctore naturæ, vel gratiæ extrinſecus immiſſam modo accommodato ſuæ naturæ, ita vt nec vim conſiliandi, aut eligendi auferat.

6. Expenduntur illa verba *conſtituit hominem, & reliquit eum*. Sed hæc in ſuperioribus variis modis impugnata ſunt, & certè dictis verbis ſapientis non bene accommodantur. Et in primis conſidero duo illa verba, *conſtituit hominem, & reliquit eum*, nam verbum *conſtituit* ad creationem hominis pertinet, per quam conſtitutus eſt talis naturæ, & libertatis: verbum autem *reliquit* ad prouidentiam pertinet, per quam ita Deus gubernat hominem, vt illi offerens obiecta, proponenſque mandata, & virtutem ad conſiliandum, & operandum tribuens, illum ita relinquit in manu conſilij ſui, vt ei integrum ſit, cum generali concurſu ſimultaneo, & proportionato ad hoc, vel illud manum porrigere pro ſua voluntate. Ergo in verbo illo *relinquendi* includitur quod illum non prædeterminet, nam ſi iam prædeterminatus porrigit manum, id eſt, efficit volitionem ad quam eſt prædeterminatus ab alio, profecto iam non ipſe ſe determinat, ſed efficit id, ad quod iam determinatus eſt. Confirmatur, ac declaratur, nam cum ſapiens dicit, *ſi volueris*, vel *ad quod volueris porige*, vel loquitur ad hominem conſtitutum in ſolo ſtatu ſufficientiæ, vel ad hominem iam prædeterminatum. Si primum dicatur, immerito illi dicitur *porrige manum*, quia non poteſt illam extendere, niſi prius ab alio applicetur, & prædeterminetur, quod non eſt in eius poteſtate. Si vero dicatur ſecundum, fruſtra illi, dicitur *ſi volueris*, &c. quia ſic prædeterminatus non poteſt niſi vnum velle, nec poteſt non velle.

7. Declaratur. Declaratur ad hominem, nam illi auctores dicunt, auxilium, quo Deus præmouet voluntatem vt operetur, ſi velit, non ſatis eſſe vt velit, niſi vltra illud accipiat auxilium, quo prædeterminetur, vt velit, vel vt alij etiam aiunt, quo infallibiliter, & ineuitabiliter velit. Ergo in priori ſtatu ſufficientiæ fruſtra dicitur homini *porrige manum* ad id, quod volueris, quia nondum habet id, ſine quo velle non poteſt, nec illud habet in ſua morali poteſtate. In altero vero ſtatu fruſtra, & irriſorè ei, *ſi volueris*. cum iam omnino ex neceſsitate ſit volitus. Non minus ergo probant dicta verba, conſtitutum, ac relictum eſſe hominem in poteſtate vera & quæ poſsit reduci in actum volendi ſine præuia determinatione, quàm in poteſtate volendi ſine præuia neceſsitate. Neque ad hoc refert quod homo non ſit primum liberum, quia ad hoc ſatis eſt, quod in ſua determinatione pendeat ab alia priori; & prima voluntate libera, vt iam ſæpe explicatum eſt. Nec locus D. Thomæ facit ad cauſam: clarum eſt enim, voluntatem creatam ſemper conſtitui ſub prouidentia Dei, & à diuina voluntate, & conſilio principaliter regi, ita tamen, vt eius indifferentia, & electio non lædatur, nam hoc ipſum pertinet ad prouidentiam Dei, quæ ſine cauſa ad illum modum prouidendi per prædeterminationem coarctatur. Denique iam ſupra oſtenſum eſt, determinationem ad vnum ab extrinſeco prouenientem, & neceſsitatem antecedentem etiamſi ſit ab extrinſeca cauſa, non minus repugnare libertati, quàm determinationem ab intrinſeco. Imo magis quodammodo, in quantum aliqualem violentiam includit. Et ad hunc modum induci poſſunt alia teſtimonia, quibus libertas arbitrij, & vſus eius comprobari ſolet.

CAPVT XXXIII.

An ex locis Scripturæ, quæ dependentiam liberi arbitrij à voluntate, & omnipotentia diuina teſtantur: phyſicam prædeterminationem oſtendant.

AD noſtræ ſententiæ confirmationem, non ſatis eſt oſtendiſſe, quàm ſit Scripturis diuinis conformis, ſed etiam explicare oportet nihil in diuinis ſcripturis reperiri, quod vel probabiliter illi officiat, vel auxilium phyſicæ prædeterminationis ſuadeat: Hoc autem præſtare melius non poſſumus, quàm reſpondendo teſtimoniis ſcripturæ, quæ defenſores phyſicæ prædeterminationis in ſuæ ſententiæ confirmationem inducunt. De quibus in primis generatim dicimus in nullo illorum verbum *prædeterminandi*, vel aliud æquiualens reperiri. Et primum quidem ex formalibus verbis ipſorum teſtimoniorum conſtat, ideoque neque ab ipſis arguentibus in illo ſenſu teſtimonia proferuntur: ſecundum partim in ſuperioribus à nobis indicatum eſt, quia ſæpe ſumuntur argumenta à verbo generali ad ſpeciale, ac ſi eſſent æquipollentia, vt à verbo *præmouendi* ad verbum *prædeterminandi*, & ſimilibus. Et hoc eſt præ oculis habendum, nam omnia teſtimonia per ſimiles illationes inducuntur.

1. Reſpondetur teſtimoniis Scripturæ quæ, defenſores phyſicæ prædeterminationis in ſuæ ſententiæ confirmatione adducunt.

Deinde aduertimus Caluinum eiſdem vti teſtimoniis ad probandum Deum voluntate ſua, & motione præuia neceſsitatem inferre voluntatibꝰ hominũ in omnibus earũ actionibus, quibus catholici reſpondẽt, male inferre, quia omnia, quæ illis locis docentur poteſt facere Deus abſque neceſsitate, & ſalua libertate, quam in aliis locis eadem Script. prædicat. Si ergo nos oſtendimus, omnia illa, quę in eiſdem teſtimoniis dicuntur optime conſiſtere ſine

prædeterminatione, & cum integra indifferentia in operando, & cum omni sufficientia, & efficacia, ac necessitate gratiæ, quam in eadem Scriptura inuenimus, profecto conuincemus talia testimonia non magis ad probandam dictam prædeterminationem, quam ad suadendum Caluini necessitatem valere. Quod maiorē vim habebit, si consideretur vix posse mente concipi, ne dum verbis declarari, quid in reipsa inter hanc necessitatem, & illam prædeterminationem interfit. Sed iam ad singula testimonia veniamus, quia vero quam plura multiplicantur, ad pauciora capita, & ad certam argumentorum seriem illa reducere conabimur.

2. Primò inducunt illa testimonia, quæ docent dependentiam essentialem in operando liberi arbitrij creati à diuina voluntate, & maximè in operibus gratiæ. Huinsmodi sunt illa Isai. 26. *Domine dabis pacem nobis, omnia enim opera nostra operatus es in nobis.* 1. & Corinth. 12. *Operatur omnia in omnibus*, & similia multa quæ in libro 3. adduximus. Et de operibus gratiæ maxime ponderari solent verba ad Philip. 1. *Qui cœpit in vobis bonum opus, ipse perficiet*, & cap. 2. *Deus est, qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Hinc ergo ita in virtute colligunt. Voluntas nostra ita pendet essentialiter à Deo in suis liberis actibus, vt eos Deus ipse in nostra voluntate operetur; ergo efficacissima potentia sua prædeterminat Deus voluntatem ad talia opera. Item peculiariter tribuitur Deo in operibus gratiæ, quod ipsum velle in nobis faciat, & inchoet pro sua bona voluntate; ergo id facit per efficacem voluntatem suam nostram prædeterminando. In his testimoniis, (quod de sequentibus etiam intelligatur,) vt prolixitatem non necessariam euitem non expendam accuratè, an testimonia in sensu litterali asserantur, necne, sed eum in quo allegantur facile admittam, vt ad punctum argumenti quod vt dixi, in illatione consistit, statim respondeam. *Quod dico, quia illa verba Isaiæ omnia opera nostra operatus es in nobis*, ad literam fortasse intelliguntur de flagellis diuinis, vt exponit Hieronymus, vel de beneficiis mirabilibus, vt Cyrillus, & D. Thomas ibi volunt, nunc verò admittimus illa verba de omnibus operibus nostris, quia de omnibus vera sunt, & ab Scholasticis passim in eo sensu afferuntur, vt patet ex D. Thoma 3. contr. gent. cap. 67. & ad Rom. 9. lectione 3. & aliis frequenter. Respondetur ergo negando consequentiam, nullum enim habet solidum principium in quo fundetur. Nam in primis in lib. 3. ostensum est, Deum non dici operari opera nostra propter præuium concursum sed propter concomitantem. Deinde certum est Deum non dici facere opera liberi arbitrij, quia solus illa facit in nobis, sed quia illa nobiscum operatur, nam quod Deus operando facit, verè ipse operatur, & simpliciter illi tribuitur, quia principaliter operatur, & sua virtute à nemine pendente, & omnibus dat operandi virtutem. Igitur ex illa locutione generali, & similibus non potest inferri, prædeterminatio in operibus liberi arbitrij, neque in operibus bonis, magis quam in malis. Et eodem modo de generali concursu exponit D. Thomas priora verba Pauli in epistola ad Corinth. Imo etiam ita interdum exponit posteriora verba ad Philip. vt videre licet in Commentar. ad cap. 26. Isaiæ. Concedamus autem vltima verba Pauli de operibus gratiæ intelligenda esse, sed non propterea in illis probabiliter illatio. Quia Deus operatur velle gratuitum in nostra voluntate sine prædeterminatione, *quia voluntatem nostram præparat adiuuandam & adiuuat præparatam.*

Primò inducunt loca quæ docent dependentiam lib. arbitrij à diuina voluntate. *Isai.* 26. 2. *Cor.* 12. *Philipp.* 1. & 2.

3. Vnde D. Thom. ibi ait illis verbis reprobari non tantum errorem Pelagianorum, sed etiam eorum qui dixerunt voluntatem nostram necessitari à gratia. *Quia hoc excludit* (inquit) *Apostolus cum dicit: Operatur in nobis.* Quia interius *per instinctum mouet voluntatem ad bene operandum*: Quod perfectissimè fieri potest sine prædeterminatione. Imo ita fieri satis indicat Apostolus in eodem loco cum præmittit. *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini*, & proximè subdit. *Deus est enim qui operatur in vobis*, ac si diceret non vestris viribus, sed diuino auxilio potestis vestram salutem operari, & ideo eam cum timore operamini, ne Deus auxilium suum subtrahat ad perficiendum bonum opus, quod per idem auxilium in vobis inchoauerat bonam voluntatem, vt propositum inspirando. Sicut cap. 1. dixerat, & exposuit Augustin. lib. de grat. & lib. arb. c. 9. & lib. de don. perseuer. cap. 13. & serm. 94. de tempore cap. 3. Quibus in locis, & in multis aliis docet illa verba exhortationis, & tacitæ comminationis ostendere quidem hominem debere suam salutem operari, sed principaliter illam operari Deum, & è conuerso ita Deum operari hominis salutem, vt oporteat ipsum hominem illam liberè operari, habentem in potestate sua non perficere, quod Deus incipit, vel impedire auxilia quib⁹ velle, & perficere operatur in nobis. Hæc autē omnia vix, aut ne vix quidem possunt in auxilium prędeterminans conuenire. Quia illud non subest vllo modo potestati nostræ, vel vt detur, vel vt auferatur. Vnde non est quod timeamus, ne aut propter opera nostra detur, aut si detur quod effectu eius careamus.

Secundo loco adducuntur loca in quibus dicitur Deus habere liberum arbitrium hominis in manu sua, vt quocunque voluerit vertat illud, sicut dicitur de corde Regis Prouerb. 21. Vbi fit mirabilis comparatio, quod *sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini quocunque voluerit inclinabit illud.* Vbi non solum est sermo de potestate Dei in voluntatem Regis quoad executionem eius, quam Deus facile potest impedire, & mutare, sed etiam de potestate in internam ipsam volitionem, seu electionē, vt verba ipsa conuincunt. Nam potestas supra executionem, non est potestas in cor, sed in manū, vel aliam similem facultatem, nec impediendo executionem mutatur interna voluntas per se loquendo; est ergo cor hominis in manu Dei quoad ipsam internam volitionem, ergo & quoad prædeterminationem. Hanc ergo verbo inclinandi significauit Sapiens, quia loquitur de inclinatione efficaci seu in actu secundo, & deliberato, per illam enim cor mutatur. Et licet de Rege loquatur, idem à fortiori de quocunque homine intelligit. Nam quia Reges magis videtur esse sui iuris, & potestatis, ideo quasi per exaggerationem in eis ponit exemplum: De toto autem populo similiter dicitur 2. Paralip. 30. *In Iuda vero facta est manus Domini, vt daret eis cor vnum, vt facerent iuxta præceptum Regis.* De quo etiam scriptum est Esther. 15. *Conuertit Deus Spiritus Regis in mansuetudinem.* Et similis est locus Ecclesiastes 9. *Sunt iusti atque sapientes & opera eorum in manu Dei.* Vbi Chaldaica paraphrasis addit, *Et ab eo decretum est omne, quod erit in diebus eorum.* Quasi dicat, quidquid homines deliberent esse in manu Dei, vt ex decreto eius omnia succedant.

Respondetur nullum catholicum posse dubitare, quin omnium hominum, nō solum potestates, sed etiam voluntates sint in manu Dei, & nihilominus de modo est inter eos magna contentio. Vnde ex eo quod Scriptura dicet cor Regis esse in manu Dei, non rectè infertur, hoc esse intelligendum ratione prædeterminationis, sicut non sequitur esse intelligendum ratione necessitatis. Dico ergo, quoad actus bonos cor hominis esse in manu Dei, quia per cogitationes sanctas, & congruas, & per inspirationes, & affectiones illis cogitationib⁹ proportionatas ita potest voluntatem hominis mouere, vt quo-

cunque

cunque voluerit, vetat illam. Vnde Beda in Prouerb. de solis iustis locum illum intelligens, ait. *Cor Regis in manu Dei, quia sicut diuisiones gratiam iuxta suam voluntatem, & Angelis, & hominibus tribuit. ita etiam corda Sanctorum quibuscunq; voluerit, digna donationibus reddit. Neque vllum habet Pelagianista locum quo absque Dei gratia quis salus fieri possit.* Et sequitur ibi Gloss. ordin. Et Hieronymus solet de solis bonis Regibus, vel iustis hominibus verba illa exponere, vt videre licet Ierem. 4. Ezechiel 28. & Daniel 5. nunquam tamen id putat esse dictum propter prædeterminationem, sed in summum propter Dei perfectam gubernationem.

At vero D. Augustinus lib. de grat. & liber. arbit. cap. 21. etiam de corde peccatoris, & de inclinatione eius etiam ad opera mala verba illa interpretatur. Quod est consentaneum generalitati verborum, & nostram sententiam non infirmat, sed potius confirmat. Nam certum est non inclinare Deū directè & positiuè voluntates hominum ad mala opera, multoque minus prædeterminare, aut prædestinare illa vt in lib. 3. ostensum est. Ergo si verba sapientis comprehendunt etiam prauos Reges, & praua consilia, & decreta illorum, non intellexit Deum inclinare corda prædeterminando, sed aliquid aliud operando, vel operari sinendo, iuxta materiæ capacitatem. Et ita August. ex illo, & aliis testimoniis quæ congesserat ita concludit. *His, & talibus testimoniis diuinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum est satis quantum existimo manifestatur, operari. Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorum.* Quod vltimum verbum non potest intelligi prædeterminatione, tum propter absurditatem sententiæ, tum quia si determinaret voluntatem ad malum, non semper id faceret propter demeritum, sed sua tantum voluntate, vt in libro etiam tertio ostensum est. Tum deniq; quia in fine capitis ait Deum id facere *per Angelos bonos, vel malos, siue quocunque alio modo operando in cordibus malorum pro meritis eorum.* Si autem Deus prædeterminat voluntatem hominis, certè id non facit variis modis, sed vno, & determinato modo, neq; facit per Angelum bonum, vel malum, sed per seipsum. Angeli enim operantur in cordibus immittendo cogitationes, & per illas excitando affectiones; ergo si Deus per Angelos inclinat voluntatem non inclinat prædeterminando, ergo etiam quando per seipsum inclinat, non oportet, vt id faciat prædeterminando, sed in bonis, vt dixi congruas cogitationes immittendo, quæ per se & cum effectu in bonum à Deo intentum inducant; in malis autem vel operando ea, quæ per se bona sunt cum præscientia, quod ipse male sint eis vsuri, vel præmittendo, vt mali Angeli eos ad malum inducant.

Et per hæc responsum ad alia loca, quæ per se spectata nullam habent difficultatem. Nam facile potuit Deus tribui Iudæ dare cor vnum congruè totum illum populum excitando, & mouendo, vt infallibiter Regi consentiret, & tamen liberè, & sine prædeterminatione, licet non sine adiutorio diuino consentiret. Et ita Augustinus lib. 1. contra duas epistolas Pelagianor. cap. 2. ex his & similibus locis nihil aliud quam efficacis gratiæ auxilium colligit. Et similiter exponit locum Esther, nam eodem modo potuit Deus sine prædeterminatione conuertere in mansuetudinem cor Assueri per cogniciones menti, & phantasiæ obiectas, & excitando bonum, & magnum affectum in cor eius erga Esther. Vnde cum ipsa Esther cap. 14. petiisset. *Conuerte consilium eorum super eos,* statim subiicit. *Tribue sermonē in ore meo in conspectu leonis, & transfer cor illius.* Nam quia illa mutatio non per coactionem, vel necessitatem, nec certè per physicam prædeterminationem, sed morali modo facienda erat, petit sermonem compositum, id est aptum, & accommodatum ad mouendum cum effectu cor Regis adiuuante Deo interius, rationes congruas proponendo & affectiones aptas ad persuasionem excitando. Alter vero locus ex Ecclesiaste, eandem habet responsionem, etiamsi intelligamus opera iustorum dici esse in manu Dei, eo quod ex eius liberali gratia & prædestinatione pendent, quia nihilominus non pendet ex prædeterminatione, sed ex præmotione, & vocatione congrua, vel generaliter ex Dei speciali prouidentia, & ordinatione, vt Hieronymus ibi insinuat, qui non solum de operibus bonis, sed etiam de malis pœnæ quæ iusti patiuntur, verba illa interpretatur, quia omnia iustis eueniunt iuxta diuinæ prouidentiæ dispositionem. Potest etiam ille locus aliis modis exponi de operibus iustorum, quia licet magna circunspectione ab eis fiant, in manu Dei sunt, id est, in eius potestate, & iudicio, & trutina, & ipsos iustos latet, qualia sint, & ideo nesciunt, an amore, vel odio digno sint. Et aliis modis hic locus exponitur, sed prior expositio nobis sufficit, estque responsio dicta præ oculis habenda, quia multa similia loca per illam exponuntur, de quibus consuli potest Augustinus dicto lib. de grat. & liber. arbitr. cap. 20. & 21.

Tertius locus argumentandi est ex efficacia, & omnipotentia diuinæ voluntatis, ita enim dicit Deus per Isaiam cap. 46. *Iudicium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet,* & in Psalm....., dicitur *Omnia quæcunq; voluit fecit,* vtique quæ absoluta voluntate voluit, de qua etiam dicitur Esther. 13. *Domine Rex omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ.* Et similia sunt in scriptura frequentia. Ex quibus tale conficitur argumentum Decretum diuinæ voluntatis semper antecedit deliberationem voluntatis humanæ, quia illud est causæ primæ, à qua pendet, & determinatur omnis effectus causæ secundæ, sed decretum Dei illud est efficacissimum, nec illi valet resistere humana voluntas; ergo semper prædeterminat voluntatē, vel per seipsum propter naturalem subordinationem, & subiectionem humana voluntas ad diuinam, vel motionem aut qualitatem aliquam, quam per suam omnipotentiam potest voluntati humanæ imprimere, vt suum decretum infallibiliter exequatur. Ergo in hac prædeterminatione ponendum est auxilium efficax, quia illa semper est efficax, & sine illa nullum auxilium potest esse efficax magis, quàm sine diuina voluntate.

7. Tertiò ex efficacia, & omnipotētia diuinæ voluntatis. *Ioan. 46. Psal. 1. Esth. 13.*

Respondetur quatuor catholica dogmata ad Deum pertinentia in illis testimoniis contineri de quibus nulla potest inter catholicos esse controuersia. Primum consilium diuinum semper stare, id est, nec deficere, nec frustrari posse, quia semper est prudens, & rectum, & in scientia certa, & infallibili fundatum. Secundū est voluntatem diuiam efficacem, & absolutam semper impleri. Tertium, quod est præcedentis fundamentum in manu omnipotētiæ diuinæ omnia esse constituta. Quia enim Deo *subest cum voluerit posse,* & quia nihil absolute vult nisi prudentissimo consilio, habensq; in thesauris scientiæ, & potentiæ suę media, quibus possit infallibiliter exequi quidquid absolute vult, ideo talis omnis voluntas eius infallibiliter fit. Quartum dogma est neminē posse resistere tali voluntati diuinæ: quod sequitur ex duobus præcedentibus, nam si posset quis resistere voluntati Dei posset efficere, vt voluntas Dei non impleretur. His addi debent alia ad hominem pertinentia, qualia sunt, primo, diuinæ voluntatis efficaciam, & omnipotentiam non auferre, neque impedire humanarum operationum, seu electionum libertatē. Secundò sæpè executionem 8.

nem diuini consilij, ac decreti pendere à libertate hominis. Tertium est ea quæ à Deo decreta sunt, vt per liberum arbitrium fiant, non fieri ab eo ineuitabiliter, simpliciter, & absolutè loquendo. Quia quod est ineuitabile non est liberum, vt ex terminis per se notum videtur. Quia quod euitari non potest sub humanam potestatem non cadit, ac subinde nec sub libertatem. Quartum est, voluntatem Dei decernentem de actibus à libero arbitrio præstandis, non auferre veram, & proximam potentiam eius ad agendum, & non agendum quia hæc est necessaria ad actus libertatis, vt in Prolegomeno primo probatum est.

9. Cum ergo hæc nobis omnibus communia esse debeant, etiam difficultas dictorum testimoniorũ omnibus communis est. Vnde quidam illis oppressi negant, posse Deum prædefinire absolutè, & efficaciter actus voluntatis humanæ in particulari. Et cum omnibus circunstantiis eius salua libertate, quod nobis nullo modo probari potest, vt alibi ostendimus, & in hoc opere sæpe diximus. Suppositis ergo decretis præmnientibus ad intra, qui nobis illa testimonia obiiciunt putant, non posse mandari executioni efficaciter, nisi per prædeterminationem ad extra, quæ talis sit, vt illa suppositа non relinquat in humana voluntate potestatem aliter volendi quam à Deo decretum sit, quia hoc putant necessarium, vt non possit resistere voluntati diuinæ. Sed non possunt nobis explicare quomodo talis voluntas maneat libera ad operandum, si ad vnum prædeterminatur, & priuatur potestate aliter operandi. Vnde (quod maius est inconueniens) ipsa voluntas diuina sibi ipsi repugnaret: volendo, vt humana voluntas operetur sine libertate, id est, sine potestate aliter volendi. Nos autem dicimus decretum Dei non auferre à voluntate potestatem simpliciter aliter volendi, aut operandi etiam tali suppositione posita, quia non est, decretum ita antecedens quin supponat præscientiam conditionatam futuri consensus liberi, si tali vocatione voluntas hominis præparetur & adiuuetur. Et consequenter negamus ad efficientiam talis decreti, esse necessarium, & accommodatum mediam voluntatem prædeterminare ad vnum, sed potius illam ita dirigere, vt infallibiliter faciat quod Deus decreuit, & hoc satis esse, vt consilium Dei stet, & omnis eius voluntas fiat, & vt in voluntate humana non sit potestas resistendi diuinæ, quia nunquam valet ad effectum perducere oppositum eius, quod Deus decreuit. Quod totum prouenit ex diuina omnipotentia cum infinita sapientia coniuncta, & non repugnat libertati, quia supponit illius vsum præuisum, & ad illum dicit formalem, vel virtualem habitudinem, vt explicatum est, & iterum in capite penultimo huius libri dicetur.

CAPVT XXXIV.

An Scriptura dicat Deum dare nobis velle propter physicam prædeterminationem.

1. Quartus locus ex his, quibus dicitur Deus non solùm dare posse, sed etiam velle, vel agere. Rom. 4.

QVartus locus argumentandi sumitur ex his scripturæ testimoniis, in quibus dicitur Deus in operibus pietatis, non solum dare posse, sed etiam velle, vel agere. In quo puncto præcipuè ponderantur verba Pauli Rom. 4. vbi de promissione facta Abrahæ, *sic erit semen tuum* ait. *Ideo ex fide vt secundum gratiam firma sit promissio*, & infra subiungit. *Confortatus est fide dans gloriam Deo plenissimè sciens, quia quod promisit potens est, & facere*, Quæ verba ponderans Augustinus libro de prædestinatione sanctorum capite decimo ait. *Quando promisit Abrahæ in semine eius fidem gentium, non de nostræ voluntatis potestate, sed de suâ prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus erat, non quod homines*, &c. Quæ latè prosequitur D. Thomas etiam super Paulum imitatus Augustinum ait. *Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio non quidem per operationes hominum quæ possunt efficere, sed secundum gratiam, quæ infallibilis est.* Est ergo argumentum Pauli & Augustini. Dei promissio est certa ex his, quæ ipse facturus est, non quæ homines, sed Deus promisit fidem gentibus in Abrahamo, ergo ipse est qui facit illam, non ergo dat tantum posse credere, sed etiam credere.

Atque ita videmus impletum in illa Lydia Purpuraria de qua dicitur Actor. 16. *Deum aperuisse cor eius intendere his, quæ dicebantur à Paulo.* Nam *aperuisse cor* nihil aliud significat quam illi dedisse credendi voluntatem. Et similiter Actor. 13. vbi de gentibus dicitur. *Crediderunt quotquot præordinati erant in vitam æternam.* Quod perinde est ac si diceretur. *Crediderunt qui erant prædestinati*, vt secundum gratiam firma sit promissio. His consonant verba Christi Ioan. 5. *Qui ex Deo est verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Vbi audire idem est quod obedienter audire, & suscipiendo fidem. Et hoc tribuitur determinationi prouenienti ex diuina prædestinatione, nam ob fidem non potest quis dici esse ex Deo, nisi secundum prædestinationem. Præterea hoc confirmatur exillo Ioan. 15. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite, ita nec vos nisi in me maseritis*, iuncto illo Roman. 11. *Non tu radicem portas sed radix te.* Quibus verbis significatur, sicut fructus palmitis totus est ex virtute vitis, ita omnem pietatis fructum, seu actum esse ex gratia efficaci determinante tempus, modum, & qualitatem, ac quantitatem fructus. Eeodem modo solent hic induci testimonia omnia, quæ sunt de necessitate gratiæ, vt Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere* 2. Corinth. 3. *Non sumus sufficientes cogitare*, &c. & ad Hebr. 13. *Deus pacis aptet vos omni bono, faciens in vobis quod placitum est coram se.*

Ad hæc omnia vno verbo respondeti potest, illis recte probari necessitatem auxilij efficacis ad credendum, vel piè operandum, non tamen probari modum efficaciæ per prædeterminationem, quia possit alio modo suauiori, & magis consentaneo diuinæ prouidentiæ, & satis efficaci, & infallibili fieri, & impleri possunt. Vt autem hoc euidentius fiat, aduerto, duo tangi in his testimoniis. Vnum est Deũ non solum dare posse efficere opera pietatis, sed etiam dare ipsum facere, seu ipsa opera. Aliud est, non solum dare ipsa opera eo tempore, quo fiunt, sed etiam in priori tempore illa promisse, & in æternitate prædestinasse. Et vtrumque horum verissimum, & certissimum est, ex neutro autem rectè, vel apparenter colligitur prædeterminatio. Nam si illud primum præcisè spectetur, ex eo sufficienter verum inuenitur, quod ad opera gratiæ Deus non solum dat dona supernaturalia, quibus homo fit potens ad talia opera efficienda, sed etiam cum illa fiunt per eadem dona, influit actu in eadẽ opera, ac deinde per seipsum, & per generalem concursum ordinis gratiæ physicè, ac immediatè efficit in nobis, & nobiscum eadem opera, quæ omnia subsistere possunt sine prædeterminatione, vt per se patet, & satis superque sunt, vt Deus dicatur dare nobis talia opera, vel alia efficere in nobis. Vt enim hoc verissimum sit, non est necesse, vt solus Deus illa opera faciat in nobis, vt ex fide confiat; quo faciendo illa nobiscum, verè facit illa. Quin potius licet Deus faceret in voluntate hominis prævium determinationẽ in actu primo, ex vi illius non diceretur per se, & propriè facere ipsum velle, nisi

nisi alio modo immediatè influeret in ipsummet actum; ergo è contrario etiamsi non det talem determinationem; si dat supernaturalem virtutem, & cum illa per se, & immediatè facit ipsum opus influxu quodam gratuito, & supernaturali, vera facit in nobis talia opera. Quocirca ex vi huius prioris locutionis, quod Deus facit in nobis ipsum velle, non infertur, nec probatur aliud auxilium efficax nisi simultaneum, nam hoc est per se ac simpliciter necessarium, quia efficacia actus pij in ipso, & per ipsum consummatur, & ideo ea tali sufficientia præcisè spectata, non solum prædeterminationis, verumetiã nec alicuius præuenientis auxilij efficacis, necessitas colligitur, nisi aliunde ostẽdatur.

4. Aliud vero principium in illis testimoniis contentum, optimè ostendit esse necessarium auxiliũ efficax præueniens, quo Deus impleat fidei, aut priorum operum promissionem, & prædestinationem, non tamen probat hoc auxilium debere esse physicè prædeterminans, quia vt diuina promissio & prædestinatio infallibiliter impleatur, vocatio efficax, seu congrua provt à nobis explicata est sufficit, & vt per actus liberè factos sicut ordinata est, fiat, necessarium est, vt non per physicam prędeterminationem, sed per auxilium, cui secundum se spectato, voluntas hominis possit resistere, impleatur, sicut per vocationem congruam fit. Neque ex posteriori testimonio aliquid amplius colligunt S. Patres: nec verbum *prædeterminandi*, aut æquipolens in eis inuenitur, sed solum docent Deum non promittere ea, quæ homo ex se, suisque viribus facturus est & industria, sed ea quæ ex peculiari Dei auxilio, præparatione, & indeclinabili directione recipiet, ac faciet, & hoc modo dat Deus per vocationem congruam fidem, & pia opera quæ promisit. Non enim ita illa promisit, vt non sint homines ea facturi, nam hoc ipsum in promissione includitur, (vt Augustinus citato loco dixit) *quia etsi faciant homines bona, quæ ad colendum Deum pertinent, ipse facit, vt illi faciant*; hoc autem facit Deus per vocationem congruam, vt sæpè est dictum, & mox amplius explicabimus.

3. Verba illa *esse ex Deo* quomodo intelligenda. Ex testimoniis autem secundo loco adductis, primum in quo Christi verba afferuntur, *Qui ex Deo est, verba Dei audit*, non oportet ita intelligi, *vt esse ex Deo* sit esse prædestinatũ, quia fortasse multi tunc non credentes erunt prædestinati; tum etiam quia causa non credendi non potest in Deum non prædestinantem refundi, ideoque altera causalis. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis* vel in rigore falsa, vel impropriissima esset. Igitur, *esse ex Deo* est adhærere Deo, & regi spiritu eius, iuxta illud Roman. 8. *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei*. Vnde è contrario illi dicuntur ex Deo non esse, qui Deo non adhærent nec motiones eius sequuntur. Sicut ibidem isti, qui non sunt ex Deo, dicuntur esse *ex Diabolo* non prædestinatione, sed praua ipsorum voluntate. Ita ergo dicuntur non esse ex Deo, quia sua voluntate ei resistunt, & diabolo adhærent; ergo è contrario dicuntur esse ex Deo, qui diuinam inspirationem sequuntur. & ideo Ammonius Leontius, & Theodorus apud Maldonatum, ibi dixerunt hominem esse, vel non esse ex Deo, *non natura sed electione*. Ex quo vero sensu tantum abest, vt physica prædeterminatio colligatur, vt potius libertas in obtemperando vel resistendo gratiæ præuenienti stabiliatur.

1. Quia ergo Augustinus tract. 42. secundum prædestinationem locum illum interpretatur, respondemus etiã hunc sensum non obstare nostræ sentẽtiæ (quidquid sit an literæ quadret) quia licet donum fidei ex prædestinatione procedat, illa prædestinatio per vocationem congruam impletur non per prædeterminationem physicam. Potest autem illa prædestinatio, aut esse simpliciter ad æternam salutem, si fides viua sit vsq; ad finem vitæ permansura, vel tantum secundum quid per quandam prædestinationem ad fidem solam, vel ad credendum aliquando si fides sit temporalis. Si autem altera pars. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis* si ad carentiam electionis ex parte Dei referatur, non potest sumi in sensu causali, quia Deus nullo modo est causa incredulitatis, dicit ergo solam consecutionem secundum præscientiam, vt etiam idem Augustinus exponit.

7. Respondetur ad loca ex actibus desumpta. Ad loca ex actibus desumpta fatemur in priori de Lydia indicari efficaciam præuenientis gratiæ, illam verò dicimus fuisse per diuinas illuminationes, & inspirationes illi fœminæ congruentes. Et ita Prosper, lib. de vocat. gent. c. 23. alias 8. nihil aliud ex illo loco colligit, *nisi fidem esse ex inspiratione diuina*. Alter vero locus de præordinatis ad vitam æternam variè exponitur, sed nunc damus, sermonem esse de prædestinatis, vt sensit Prosper. in epist. ad Ruffinum. Intelligendum vero est vel simpliciter ad vitam æternam, sine secundum quid ad credendum, vt sentit Chrysostomus Homil. 30. exponens *præordinati, id est, præfiniti a Deo*, non enim oportebat omnes, qui tũc crediderunt, fuisse prædestinatos ad gloriam, neque etiam omnes prædestinatos, qui ibi aderant, tunc credidisse; crediderunt ergo, qui pro tunc prędestinati erãt ad credendum. Illa autẽ prędefinitio potest exponi, vt solũ denotet æternã antecessionem, etiamsi non fuerit ante præscientiam absolutam futuræ determinationis voluntatis; vel potest intelligi de prædefinitione ante præscientiam absolutam futurorum, quem sensum etiam concedimus, & nihilominus nihil inde colligitur, quia illa prædefinitio non excludit conditionatam præscientiam futurorum, & ita per vocationem congruam executioni mandatur. Cætera vero testimonia sine causa allegantur, probant enim humanam voluntatem sine auxiliis gratiæ nihil valere ad opera pietatis, nec posse illam inchoare, nisi gratia præcedat, & incipiat, inde tamen nulla probabilitate inferri potest, voluntatis libertatem obtundi, seu prædeterminari gratiam, aut hoc esse necessariumad opera pietatis, vel simul esse posse cum eorum libertate. Neque Augustinus, vel alij Patres in illo sensu his testimoniis vtuntur, sed tantum vt necessitatem gratiæ ante omne meritum persuadeat. Et specialiter verba vltima Pauli ad Hebræos indicant modum, quo Deus in nobis facit, quæ illi sunt placita, *aptando nos in omni bono*, per vocationem vtique congruam, vt supra explicatum est.

CAPVT XXXV.

An soli Deo tribuantur in Scriptura opera pietatis propter physicam prædeterminationem.

1. Quintus argumentandi locus ex illis testimoniis sumitur, in quibus hominis salus, & omnia opera quæ ad illã conferunt, soli Deo tribuuntur, vel in solam eius voluntatem reuocantur. Præcipium ex locis quibus hominis salus, & omnia opera quæ ad illam conferunt soli Dei tribuũtur. testimonium est illud Roman. 9. *Non est volentis neq; currentis, sed Dei miserentis*, & ibidem, *Cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat*. Vbi totum tribuitur voluntati Dei, quod non potest alia ratione fieri, nisi quia voluntas eius sola est, quæ voluntates humanas determinat. Aliud testimonium vulgatissimũ est illud 1. ad Corinth. 4. *Quis enim discernit?* Vbi significat Paulus Deum solum esse qui iustum à peccatore

tore discernit, determinando vtiq; illius voluntatem ad bonum; propter quod ei etiam dicitur. *Quid habes, quod non accepisti?* Ex his enim locis sæpè probat August. hanc discretionem esse ex sola misericordia, non ex hominum libertate. Præsertim q. 2. ad Simplician. & lib. de prædestinat. Sanct. c. 4. & 5. Tert. testimonium huic loco accommodatum esse potest illud Ierem. 10. *Scio Domine quia non est in homine, via eius, nec viri est, vt ambulet & dirigat gressus suos.* Ex quibus testimoniis ita solent argumentari propugnatores prædeterminationis physicæ. In operibus gratiæ totum est tribuendum Deo; sed non potest tribui totum Deo, nisi ratione physicæ prædeterminationis; ergo. Maior patet ex dictis testimoniis, præsertim ex illis. *Non est volentis* ideo enim negatur homini, vt totum Deo tribuatur. Quia vt dicitur 1. Corinth. 12. *Omnia operatur vnus, atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult*; Et idē probant multa ex superius tractatis, & ita etiam loquuntur Patres præsertim August. & Anselmus, quorum testimonia postea tractabimus. Minor autem probatur, quia cum sit certum hominem per liberum arbitrium concurrere ad opus pietatis, nihilominus dicitur totum esse Deo tribuendum; ergo id esse nō potest, nisi quia ipse concursus voluntatis humanæ reducitur in diuinā prędeterminantem illam. Item quia licet voluntas humana proximè operetur, tamen vltima resolutio fieri debet in diuinam voluntem, vult enim homo, quia Deus vult, vt velit, ergo quia prædeterminatur. Deniq; hoc sensu ait Paulus *Non est volentis, neq; currentis*, nō quia ipse nō velit, sed quia quod velit non est imputandum illi, sed gratię prædeterminanti. Alioqui si quod velit homo ipsi in suo genere vltimatè attribuatur, sicut dicitur, non est volentis, sed Dei miserentis, quia in vno genere Deus incipit, & ita dici poterit non esse Dei miserētis, sed hominis volentis, quia in alio genere lib. arbitr. est vltima ratio se determinandi. Quo argumento vtitur ferè Augustinus in Enchirid. cap. 32.

2. Sed hæc testimoniaad summum probant necessitatē diuinæ præmotionis, & congruæ vocationis gratuito, & ex voluntaria electione, & prędeterminatione collatæ. Vnde in memoriam reuocanda est distinctio supra data de duplici ordine sub quo possunt hæc opera pietatis & gratiæ cōsiderari, scilicet, sub ordine executionis, & prædestinationis. Priori modo certū est talia opera nō esse à sola gratia, nec à solo libero arbitrio, sed ab vtraq; iuxta illud Aug. ser. 15. de verb. Apost. c. 11. *Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opera indiuiduo peragunt.* Posteriori autem modo omnia in solum Deū eiusq; voluntatem reducuntur. Qua doctrina suppositā facilè dicta testimonia intelliguntur, & argumento ex illis formato satisfit.

3. Hæc verba *Non est volentis, &c.* de executione ipsa intellexisse videtur Nazianzenus.

Quod ergo attinet ad verba Pauli. Non est volētis, &c. Nazianz. orat. 31. de executione ipsa intellexisse videtur, & ideo exposuit, *id est*, non solū volentis, *nec currentis solum, sed etiam Dei miserentis.* Et subdit. *Ita quoniam velle quoque ipsum à Deo est, optimo iure totum Deo assignauit.* Contra hanc vero expositionem obiicit August. in Enchirid. c. 32. quia eadem ratione dicere possumus, *non est Dei miserentis, sed hominis volentis* sub intelligendo *solius & etiam* quia non est solius miserentis Dei, sed etiam volentis hominis: id autem admittendum non est, aliquid enim singulare voluit Paulus misericordię Dei tribuere, vt ex contextu manifestū est. Addit ergo, & rectè August. *Restat vt propterea rectè dictum intelligatur non volentis hominis sed miserentis est Dei, vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adiuuandā, & adiuuat præparatam.* Eandem doctrinam habet q. ad Simplic. & concludit. *Non igitur ideo dictum putandū est, non volentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei, quia sine eius adiutorio non possumus adipisci, quod volumus, sed potius, quia sine eius vocatione non volumus.* Et sic etiam dixit in lib. Propositionum epist. ad Roman c. 61. *Quia neq; velle possumus, nisi vocemur, ideo verissimum est miserentis Dei esse, quod bene velimus, & operemur.* Quod approbat lib. 1. Retract. c. 23. *Sed parum* inquit *de ipsa vocatione disserui, quæ fit secundum propositum Dei.* ac si diceret, ideo soli Deo miserenti tribui bonum velle, quia ex sola eius misericordia vocatio congrua præcedit. De qua intelligitur etiam ab eodem Aug. dictum lib. 83. Quæstion. q. 69. *Licèt quis possit sibi attribuere, quod veniat, non talis tamen potest sibi tribuere, quod vocatus sit.* Igitur quia necesse est vt vocatio congrua præcedat, & hæc datur ex sola misericordia Dei, ideo soli Deo, & misericordiæ eius nostrum bonum velle attribuitur. Falsum ergo est non posse hoc soli Deo tribui, nisi quia prædeterminat hominis voluntatem, cum August. doceat illi tribui, quia congruenter vocat, id est, quia excitat voluntatem hominis sicut oportet, vt illa consentiat. Et hanc expositionem declarat, & confirmat optimè D. Anselm. lib. de Concord. p. 3. cuius verba infra in proprio capite latius tractabimus.

Addo præterea, quod verba Pauli etiam secundùm ordinem executionis intellecta, non excludit quin libertati voluntatis tribuenda sit conuersio in suo genere, vt proximæ causæ, sed docent non ita tribuendam esse voluntati, sicut gratiæ, quod neq; Nazianz. negauit, vt infra ostendam, & Anselmus verbis declarauit. *licet iustitia seruetur* (vel recipiatur) *per liberum arbitrium, non tamen tantum est imputandum libero arbitrio, quantum gratiæ quoniam illam, liberum arbitrium non nisi per gratiam præuenientem, & subsequentem habet, & seruat.* Non est ergo propter gratiam prædeterminantem, sed *propter præuenientem*, id est, propter vocationem, vt Aug. dixit, & propter subsequentem principalius cooperantem. Quamuis loquendo secundum ordinem prędeterminationis & electionis gratiæ multo magis tribuitur voluntatis consensus soli Deo, faciendo vltimam resolutionem in ipsum. Consentit enim voluntas cum adiutorio gratiæ, quia prius vocata est congruenter per solam gratiam; ideo autem sit vocata est, quia illam Deus elegit, vel ad salutem, vel ad fidem, aut pœnitentiam; ideo vero illam elegit quia voluit iuxta illud. *Miserebor cuius miserebor, & misericordiam præstabo cuius miserebor.* Et ita sicut supra ostensum est, ob prædestinationem non esse necessariam prædeterminationem, quia per vocationem congruam sufficientissimè, & accommodatissimè impletur, ita vt vltima resolutio in diuinam voluntatem eligentem fiat, & ea ratione dicatur, non esse volentis, neque currentis, sed Dei miserentis in sua æterna dilectione. Non est ergo necesse, vt per physicam prædeterminationem tollatur à voluntate humana indifferentia, quam habere debet prius natura, quam se determinet, sed oporteret solum, vt voluntas sic indifferens congruenter vocetur, & excitetur, vt cum adiutorio gratiæ comitante infallibiliter se determinet.

Et hęc responsio applicanda est ad secundum testimonium de discretione inter eum, qui gratię cōsentit, & eum, qui resistit: nam si resolutio fiat ad ordinem diuinę intentionis, sic fuit ex sola misericordia Dei, huic potius quā illi vocationem ex proposito, seu cōgruā præparare, in vsu autem, & executione cōiungi necessario debet libertas arbitrij, iste enim consentit, quia non vult pro sola sua voluntate. Et similiter inter iustos iste est sanctior, quam ille, quia pro sua libertate magis conatur cum adiuuante gratia, licet hic maior conatus ex diuina electione media congrua vocatione descendat. Et ita vtrumq; coniunxit Conc. Trid. sess. 6. c. 7. dicens, *Vnumquenq; accipere iustitiam secundum mensuram Spiritus sancti partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque*

cui ipsique dispositionem ac cooperationem. Et sic etiam verissimum est quod Paulus in citato loco 1. Cor. 4. intendit, Neminem, scilicet, discerni ab alio, nisi per ea, quæ accepit, quia licet ex adductis vnus non discernatur ab alio, nisi per liberam suæ indifferentis voluntatis operationem, tamen ratio diuersitatis, in ipso vsu manat ex gratia, non media prædeterminatione quę indifferentiã in operãdo auferat, sed media vocatione congrua, quæ gratis datur & ex diuina electione omnino voluntaria manat.

6. Notanda Damaleni doctrina.

Circa tertium testimonium notanda est Damasc. doctrina l. 2. de fide cap. 26. discrimen esse inter electionẽ, & actionem liberã, quod electio semper est in nostra potestate, & ideo semper est libera, actio vero non semper est in nostra potestate, sed interdum deficit, vel ex impotentia nostra, vel ex ordine diuinæ prouidentiæ. Et ratio esse videtur, quia electio est per se, ac proximè ac formaliter libera, & ideo non priuatur suo intrinseco, & connaturali modo, quo fieri postulat, actio vero est libera per denominationẽ ab electionis imperio, quod est illi intrinsecũ, & ideo extrinsecus etiã potest impediri. Et ideo ad conseruandã libertatẽ necessariũ est, & sufficit quod in electione, seu volitione vsus libertatis seruetur, etiam si executio impediatur, vel nõ sit in hominis potestate, tunc enim voluntas pro facto reputabitur, & defectus executionis homini non imputabitur. Hoc supposito dico verba Ierem. intelligi posse de executione, & actione, & sic in eis compiendatur gratia subsequens, ad nostrã electionẽ, seu propositũ. Quamuis enim homo cum priori gratia optimè eligat, & proponat, indiget diuina gubernatione, & directione, vt illam exequatur, vel quia longè maior in executione inuenitur difficultas, vel quia non est in potestate hominis omnia impedimenta præcauere, &c.

7. Hac ergo ratione merito dicitur. *Non est in homine via eius*, quia licet illam ingredi, & ambulare proponat, oportet, vt Deus det vires ad ambulandum, *& dirigat gressus eius.* Cui consonat illud Prou. 2. *A Domino diriguntur gressus viri, quis autem hominum potest intelligere viam suam.* Et ideo dixit Paulus, Deum non solum *dare velle* sed etiam *perficere* pro bona voluntate, vel hominis proponentis cum gratia, vel Dei ad vtrumque gratiam conferentis. Vnde etiam dixit Hieronym. Dialog. 3. contra Pelag. *In Domini potestate est, vt id quod cupimus, quodque laborare admnimur, illius ope, & auxilio adimplere valeamus.* Et sic etiam multi exponunt illud Prou. 16. *Hominis est præparare animam, & Domini gubernare linguam*, nam licet se præparet, & proponat homo loqui, si in ipso vsu Deus non dirigat mentem, & gubernet linguam, facile labitur Simili modo in eod. Prou. 16. dicitur. *Cor hominis disponit viam suam, sed à Domino gressus eius diriguntur*, sicut strenuus Dux optimè disponit exercitum, & nihilominus successus victoriæ ex diuina prouidentia, & adiutorio maximè pendet, quia non potest industria humana omnia prouidere, quæ possunt victoriam iuuare vel impedire, iuxta hunc ergo sensum nihil hæc testimonia pertinent ad prædicationem voluntatis in electione, vel in volitione libera, quia respectu talis gratiæ iam hæc electio, vel præparatio supponitur facta per aliam gratiã præuenientem, & adiuuantem, & hæc vlterior gratia subsequens, quatenus ad nouum actum, seu voluntatis vsum, & executionem datur, etiam confertur per gratias excitantes, aut internas, dirigendo mentem, & confortando voluntatem, influendo illi suauitatem, vel quid simile, quatenus vero ad actiones, & facultates executiuas exteriores spectat, datur, auferendo impedimenta, vel adiutoria etiam corporalia executioni accomodata tribuẽdo.

8. Aliter verò possunt verba Ieremiæ intelligi de via hominis etiam quoad ipsam electionem liberã, seu quoad ipsum interiorẽ consensum seu propositum nostræ voluntatis. Et sic dicitur non esse in hominis potestate via eius, quia non est in illius potestate habere vocationem, & excitationem, sed diuini hoc est muneris, quem sensum ibi Hieron. amplexus est. Sunt tamen duo notanda. Vnum est, quod licet prima excitatio non sit in hominis potestate, tamen habere secundam, & tertiam, & omnes alias necessarias vt ambulet, & dirigantur gressus eius, est aliquo modo in eius potestate, quia si bene vtatur prioribus, posteriores accipiet. Aliud est, quod licet præparatio cogitationis, vel congruæ vocationis ex sola Dei misericordia sit, nihilominus ex culpa hominis esse, quod vocatio illius congrua non sit. Et vtrumque significat August. lib. 2. de Peccator. merit. cap. 17. cum dixit. *Gratia Dei est quæ adiuuat hominum voluntates, qua vt non iuuentur, in ipsis itidem causa est non in Deo.* Quod ex ipso loco Ieremiæ colligitur, quia in eo statim subiicit. *Verumtamen corripe me in iudicio*, &c. Igitur iuxta Augustinum licet non sit in homine via eius quantum ad excitationem, est quantum ad determinationem, & cooperationem, & ita quando Deus actu non iuuat, & dirigit viam eius, ab hominis libertate, & culpa prouenit, & ideo necesse est, vt oret. *Corripe me in iudicio*, &c.

CAPVT XXXVI.

An Deus faciat, vt velimus, & faciamus per physicam prædeterminationem, aut efficientiam.

1. Respondetur ad illa loca in quibus dicitur Deus facere vt velimus, & faciamus

SExtus arguendi locus maximè sumi solet, ex illis testimoniis in quibus dicitur Deus facere, vt velimus, & faciamus; & ad eadem reducuntur illa, in quibus dicitur Deus trahere homines, neq; aliter posse ad eum venire. Sic inducuntur verba Ezech. 11. & 36. *Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis.* Quibus consonant illa verb. Rom. 8. *Qui spiritu Dei aguntur hi sunt filij Dei.* Item adducuntur verba Isai. 50. *Dominus meus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico*; quasi aperire autem sit, cor ad consentiendum determinare. Item illa Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Quibus consonat illud Cantic. 1. *Trahe me post te.* Ex quibus sic argumentatur. Si Deus exspectat determinationem nostram, vt nobiscum operetur, nos potius illum trahimus, vt nostram conuersionem operetur, quum ipse nos trahat vt illum sequamur. Et similiter potius nos facimus, vt ipse faciat, quam è conuerso. Alij sic vrgent, quia verba Scripturæ sunt in omni proprietate intelligenda, sed verbum *facere* significat physicam efficientiam, nam moralis metaphorica est, ergo cum Deus dicitur facere, vt faciamus, vel, vt velimus, intelligendum est physicè id facere, ergo facit prædeterminando voluntatem, nam sola prædeterminatio physica facit per propriam efficientiam, vt voluntas faciat.

2. Respondetur ex dictis testimoniis, & similibus solum probari necessitatem diuinæ gratiæ, & efficaciam eius, modum autem efficiendi per physicã prædeterminationem nullo modo posse ex illis locis colligi, quod breuiter ostendo. Primo enim non est necesse, vt promissio illa per Ezechiel. *Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum* intelligatur strictè de sola gratia efficaci, nedum de sola prædeterminante, sed in vniuersum de abundantia gratiæ, quæ in lege noua danda erat, quæ includit non solum auxilia efficacia, sed etiam sufficientia, & copiosa, quæ abun-

abundantius hoc tempore omnibus offeruntur, vel per internas inspirationes, vt indicant illa verba. *Ponam spiritum meum in medio vestri*, vel per sacramenta, vt indicant illa verba. *Effundam super vos aquã mundam*, vt egregiè expendit & interpretatur Aug. l. 3. de doct. Christian. c. 34. & l. 18. contra Faustum c. 4. Quia vero in illis verbis non solum promittitur spiritus, seu virtus gratiæ, sed etiam effectus eius, qui in obseruatione mandatorum Dei consistit, ideo verum etiam est, ibi maximè promitti gratiam efficacem, quæ homines ad Deum cum effectu conuertat, & ita corda eorum renouet.

Duplex autem distingui potest cordis renouatio, habitualis, scilicet & actualis. Prior fit per infusionem habituum gratiæ, quam solus Deus facit in nobis sine nobis proximè concurrentibus, quia illa infusio in se, ac formaliter non est nobis libera. Quia vero illa renouatio non fit in homine adulto, nisi præuia dispositione eius libera, ideo aliter intelligitur Deus dare cor nouum, per actus fidei, & dilectionis, cor hominis ad se conuertendo. Hæc autem facit ita illius mentem congruè vocando, & excitando, vt infallibiliter illum consensum inducat. Et eodem modo aufert cor lapideum, ita mouendo eius voluntatem per pias affectiones, vt propter duritiem non resistat. Quia vero hæc nouitas non fit in homine sine illius libera determinatione, ideo non obstante dicta promissione ex parte Dei, & ab ipsis hominibus per eundem Prophetam postulat. *Prouocite à vobis præuaricationes vestras, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum.* Ergo ex priori promissione non colligitur prædeterminatio quam solus Deus in voluntate hominis faciat, sed ad summum congrua excitatio, & vocatio, quæ omnino liberam relinquat hominis determinationem ratione cuius ab ipso postuletur, *vt faciat sibi cor nouum & vt auertat se ab* iniustitia sua, vt ibidem dicitur. Nam quia hoc non fit prædeterminatione, sed morali inductione, ibidem additur. *Cum auerterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit iudicium, & iustitiam, ipse animam suam viuificabit.* Et ad hunc ferè modum expendit hæc loca D. Aug. lib. de Grat. & liber. arb. c. 14. & 15. & in aliis sæpe dicit, Deũ facere vt velimus, per vocationẽ quã propterea, *effectricem bonæ voluntatis* appellat, vt videre licet in q. 2. ad Simplic. & in aliis locis statim citandis.

3. Ad verba Isaiæ dicimus, vel nihil probare, vel contrarium suadere. Nam illa verba ad literam intelliguntur de Christo, quia Propheta introducitur dicens de se. *Dominus erigit manè, manè erigit mihi aurem vt audiam quasi magistrũ, Dominus meus aperuit mihi aurem*, &c. Erigere autem, seu aperire aurem Christi fuit ostendere illi voluntatem Patris de redimendo genere humano, & ideo *manè*, quia statim in principio suæ conceptionis manifesta illi est: cui statim ipse obediuit, acceptando illam, & hoc est, quod ait, *Ego autem non contradico*, & ideo subiungit. *Corpus meum dedi percutientibus*, &c. In illo ergo loco solum docetur summa Christi obedientia, quam ex amore præstitit, non ex prædeterminatione, neque in verbis illis vllum eius indicium inuenitur.

Erigere, seu aperire aurẽ Christi fuit ostendere voluntatem Patris.

Possumus autem piè verba illa per amplificationem, vel similitudinem ad omnes Sanctos extendere, & nec isto modo quidquam probant, sed oppositum suadent. Nam dicitur Deus aperire aurem alicuius per illuminationes, & inspirationes, quas August. vocat doctrinam altam, & secretam, quam Spiri. S. interius docet in schola à sensibus remota. In omnibus ergo illis verbis prioribus, neq; vmbra prædeterminationis physicæ cogitari potest, nam per illam, si daretur, non audiretur Deus quasi magister, sed quasi motori physico cederetur; significatur ergo in illis verbis diuina vocatio. Et cum illa congrua est, illud sequitur, quod additur. *Ego autem non contradico*, in quo etiam propria determinatio hominis vocati, quę immediatè subsequitur rationem sine alia prædeterminatione, quæ à vocante fiat, significatur. Et ad eundem modum interpretandum est verbum *agitur* in testimonio Pauli Rom. 8. de quo, & de verbis Augustini in fine capitis aliquid commodius addam.

Ad verba Ioannis certum est ibi esse sermonem de tractione morali: nam hæc tractio duplex esse potest iuxta doctrinam superius datam, vna sufficiens, altera efficax, & de vtraque potest ille locus intelligi. Primo quidem de sufficiente, nam Christus dicit. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Ergò è conuerso qui potest venire iam trahitur, sed qui sufficienter vocatur potest venire, ergo trahitur, ergo illa verba de tractione etiam sufficiente verificanda sunt. Certum est autem tractionem hanc sufficientem non esse nisi moralem, non enim distinguitur à gratia excitante, seu vocatione sufficiente, per quam Deus voluntatem hominis inuitat, & allicit, ac proinde quantum est in se trahit illam. Ex his ergo verbis in hoc sensu intellectis nihil aliud concluditur, nisi gratiam præuenientem, & moraliter excitantem esse necessariam ad consensum liberum, per quem homo venit ad Christum. Et ita Aug. lib. 1. contra duas Epistolos Pelagian. cap. 3. ex his verbis probat, per gratiam nobis dari, non solum venire, sed etiam posse venire ad Christum, & in cap. 19. probat ex eisdem verbis non solum adiuuantem, sed etiam excitantem gratiam nobis dari gratis.

Secundò intelligitur ille locus de tractione efficaci quæ infallibiliter habet effectum, & hunc sensum frequentius probat Aug. tum ibi tract. 26. tum in l. de Prædestinat. Sanctor. cap. 8. & 16. & de Grat. & lib. arb. c. 5. & est satis consentaneus contextui, & verbis Christi: Protulit enim illa verba Dominus aduersus Iudæos, qui non credentes contra ipsum murmurabant, eosq; dicit non fuisse tractos à Patre, at illi sufficienter erant per Christi prædicationem vocati, & excitati; ergo iam sufficiemer trahebantur, & tamen Christus ait, non fuisse tractos à Patre, ergo loquitur de tractione efficaci. Item verbum ipsum *trahendi* non potestatem veniendi sed effectum significat. Vnde statim illo, qui trahitur subdit Christus. *Et ego resuscitabo eum in nouissimo die*, ergo qui trahitur, credit, non enim suscitabitur ad vitam, nisi qui crediderit, ergo tractio talis est, vt hominem faciat credentem; est ergo efficax. Et ferè omnia verba quæ consequenter ibi Christus dixit hunc sensum confirmant vsque ad illa. *Sunt quidam ex vobis qui non credunt. Propterea dixi vobis quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo*, vbi pro verbo *traxerit eum*, ponit illud *fuerit ei datum*. Vnde sicut de omnibus qui non credunt verum est, illis non esse datum credere, ita etiam verum est, ipsos non esse tractos à Patre etiamsi multi sint sufficienter vocati. Cum ergo Christus ait. *Nemo potest venire*, intelligitur de potestate quę effectum veniendi habeat, seu quod perinde est de impotentia composita, id est fieri non potest, vt aliquis veniat, qui non sit tractus. In hoc ergo sensu ait, neminem posse actu venire, nisi efficaciter à Patre trahatur.

Hoc ergo sensu posito, Manichæi olim, & nunc etiam Caluinistæ colligunt tractionem Patris necessitatem inferre voluntati, & auferre libertatem hominis in actu veniendi ad Christum. Isti vero Catholici Doctores, cum quibus disputamus, ex eodem verbo colligunt prædeterminationem physicam, quam negare non possunt esse necessitatem quandam, sed dicunt esse in sensu composito, &c. negant tollere libertatem, etiamsi necessitas illa ex suppositione antecedente simpliciter, & ex intrinseca efficientia ipsius tractionis oriatur, & in hoc

hoc vltimo ab hæreticitis distant. Vetuntamen Patres respondendo hæreticis planè ostendunt, tractionem illam nullam vim, aut necessitatem antecedentem inferre voluntati. Quòd maximè necessarium nobis est, cum supra ostenderimus, non posse talem necesitatem non esse libertati contrariam.

Dicimus ergo in primis cum Patribus illam tractionem, vt est à gratia præueniente esse moralem per internam illustrationem, affectionem, & similes excitantes motiones. Ita exponit expressè Aug. tract. 26. in Ioan. & variis exemplis declarat, quæ vulgaria sunt. Item Cyrillus lib. 4. in Ioannem c. 5. sic inquit. *Gratia Dei cognitionem sui haberi ostendit, cum dicat, neminem ad se venire posse, qui Patris monitionibus non trahatur*, vbi vox *monitionibus* ponderanda est, nam apertè significat moralem causalitatem, & excludit aliam physicam tractionem, seu determinationem mediam inter præuiam motionem, & actum veniendi. Et vt significet, in potestate hominis esse trahi si velit, subiungit. *Ita eis persuadet, pœnitentia, & lachrymis veniam de his quæ fecerunt, & dixerunt à Deo Patre postulari, vt per fidem in seipsum consilio Patris, atque auxilio meliore vtinere facto ad salutem reuocentur.* Item Chrysost. homil. 45. in Ioan. *Quomodo trahat* (inquit) *hoc Propheta* prædixerat, *quod erunt omnes docibiles Dei.* Latius vero quam cæteri id exposuit Prosper. contra Collator. cap. 14. vbi varios modos trahendi ponit, qui omnes ad excitantem gratiam pertinent, nulla prædeterminationis facta mentione. Trahit (inquit) contemplatio, trahit rerum gestarum cognitio, trahit timor, trahit desiderium, trahit delectatio, &c.

9. Verbū trahendi vt ex ponatur & probatur.

Deniq; Bern. in lib. de Grat. & lib. arbitr. eodem modo verbum *trahendi* exponit, vocatq; illum spiritualem tractionem, & reducit inter alia verba sponsæ in argumento citata. *Trahe me post te*, & illa exponit per verba. *In odorem vnguentorum tuorum curremus*, & deinde id exponit à simili variis modis, quibus per tentationes trahimur ad consensum peccati. Est etiam vsus illius verbi frequēs in Scriptura in illa significatione, ita enim accipitur Ierem. 31. *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans*, vtique beneficiis te alliciens, flagellis te admonens, vt omnes exponunt. Et Oseæ 11. *In funiculis Adam traham eos*, id est beneficiis & amore quibus trahi solent homines. Sic etiam Ioan. 12. dixit Christus. *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*, vt latè Leo Papa declarat, serm. 28. de Passione Domini, & Apocalyp. 12. dicitur de Dracone. *Traxit secum tertiam partem stellarum.* vtique exemplo suo, & suasione. Quod autem trahere significat physicè prædeterminare, aut quod Deus isto modo trahat, nullo modo potest ex Scriptura ostendi. Ergo omnino præferenda est dicta expositio, trahit enim Pater homines ad filium vocando illos, & illuminando, ac suauitatem infundendo, & tunc efficaciter illos trahit, quando hæc omnia confert, prout præuidet vnicuique congruere, vt Augustinus sæpissimè docet, & infra videbimus.

10. Ad primam vero instantiam, quia si post vocationem nostra determinatio expectatur, vt trahamur, potius nos trahimus Deum, respondetur negando sequelam, primo quia, vt Deus det nobis vocationem congruam, nullo modo trahimus Deum nam eius vocatio, omnia nostra opera antecedit. Nec refert quod libera nostra determinatio sub conditione præcognoscatur, quia illa præscientia talis prædeterminationis sub conditione futuræ non allicit Deum, nec mouet, vt det nobis cognitionem, sed potius dat nobis Deus vocationem, vt illam determinationem habeamus, quod facit ex sola misericordia, quam aliis non præstat, licet similem præscientiam conditionatam de illis habeat, vt in Tyriis & Sidonijs manifestum est. Deniq; neq; cooperatio nostra ad determinationem liberam propriè dici potest trahere Deum ad cooperandum auxilio simultaneo ad eandem determinationem. Quia neque in nostra cooperatione præcisè spectata aliqua ratio meriti inueniri potest maximè respectu cooperationis Dei quam essentialiter includit: neque etiam talis cooperatio potest ex parte Dei esse ratio motiua concurrendi, quasi inuitando illum, & trahendo ad auxilium, cum talis cooperatio sine ipso auxilio esse, aut intelligi non possit. Deus ergo ipse ex æternitate sola sua libera voluntate gratuita omnino præparauit illud auxilium simultaneum quasi sub ea conditione, si homo ex parte sua, suum etiā adhiberet concursū. Et ideo tēpore non influit quidem Deus illo auxilio sine libero arbitrio, & hoc influente, etiam Deus omnino simul concurrit, non tractus ab homine, sed præcisè non sine homine vt pura conditione, vel potius vt concausa necessaria. Non est ergo similis ratio, nam nos non antecedimus, & ideo non trahimus illum, Deus autem antecedit vocando nos, & ideo nos trahit.

Dices ergo per auxilium simultaneum non dicetur Deus nos trahere. Respondetur etiāsi hoc detur nullum esse inconueniens suppositā significatione dicta verbi trahendi. Ad maiorē vero claritatem, & doctrinæ cōplementum distingui potest. Nā si trahere solum significet allicere, & prēmouere, verū est id non facere Deū per auxilium simultaneum, si autem significat idem quod conuertere sic etiam per auxilium simultaneum Deus hominem trahit: nā sicut homo venit efficiēdo ex parte sua consensum, ita Deus trahit illum, eundem consensum faciendo. Et in hoc sensu Deus non trahit, non tantum moraliter, sed etiam physicè, & ad hanc tractionē non est necessaria antecessio influxus Dei, imò hæc repugnat, sed sufficit antecessio voluntatis, qua ex se nohis talem concursum præparauit. 11. Difficultas. Soluitur.

Sed instabis rursus, quia saltē potest homo per suum consensum trahere Deum ad gratiam sibi præstandam, quod videtur inconueniens. Respondeo, ad illum actum liberum efficiendum, ad quem Deus proximè nos vocando trahit, non possumus nos illum trahere, vt dictum est, tamen per vnum actum supernaturalem, ad quem iam tracti sumus bene possumus Deum ad aliud beneficium nobis præstandum trahere: nam certe per orationē trahimus, vt conuertatur ad nos, infundendo iustitiā. in virtute illius promissionis. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Zach. 4. & illius, *si quis diligit me*, &c. Et qui sanctè viuit, trahit Deum, vt se magis amet, vnde est illud. *Vulnerasti cor meum*, & illud, *Auerte oculos tuos a me, ipsi enim me auolare fecerunt.* Imo Aug. de ipsa tractione Dei dixit tract. 26. in Ioan. *Si non traheris, ora, vt trahatis*, quod debet necessario intelligi respectu diuersorum, nemo enim potest conuenienter orare, nisi trahatur saltem ad orandum, fieri tamen potest vt aliquis vocatus ad pœnitentiam nondum ita vocetur, vt illam perfectè agere valeat, vocatur autem ita vt saltem orare possit, & tunc nemo tractus ad orationem potest trahere Deum, vt se trahat ad conuersionem. Et ita etiam sponsa iam tracta ad gratiam, vtique per priorem gratiam, adhuc petebat. *Trahe me post te.* vel ad consortium gloriæ, vel ad maiorem fructum gratiæ. Ratio est quia per priorem gratiam, & actum eius possumus mereri, vel impetrare auxilium ad posteriorem actum perfectiorem, illud autem trahere non dicit aliquam imperfectionem, quia nihil est aliud quam impetrare, aut mereri, vel placere Deo, & ita illum mouere sine vlla mutatione in ipso, & omni alia secluſa imperfectione. 12. Instantia. Occurritur.

At vltimam ponderationem verbi *faciendi* vel *agendi*, in primis, dico verbum faciendi in Scriptura 13.

13. Verbum *faciendi*, vel *agendi* in Scriptura significat moralem causalitatem.

frequentissimè significare moralem causalitatem, quę per moralia consilia, vel alias similes excitationes, aut motiones fit. Est optimus locus Iacob. vlt. *Fratres mei, si quis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, scire debet quoniam qui conuerti fecerit peccatorem a via sua mala, saluabit animam eius a morte.* Homo autem non facit conuertere peccatorum prędeterminando, sed docendo, & mouendo exterius, qui est influxus valde remotus, & per accidens propter quod dixit Paulus. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat,* & nihilominus Iacobus illum explicat per verbum *faciendi, vt conuertatur.* Item Christus Matt. 5. de illo qui indebitè vxorem dimittit; dixit, *facit eam mœchari*: quia illi occasionem præbet. Et cap. 9. dixit mulieri, quæ fluxum sanguinis patiebatur. *Fides tua te saluam fecit*, quod certè non fecerat physicè. Et similiter Luc. 16. dixit. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, vtrique benefaciendo, & de Pharisæis dicit Matt. 23. *Circuitis mare, & aridam vt faciatis vnum proselytum, & cum fuerit factus, facitis illum filium gehennæ duplo, quam vos*, vtrumque autem fiebat moraliter ab eis, primum docendo, & monendo, secundum prauo exemplo. Quomodo etiam dicitur 2. Regum. 12. *Quia blasphemare fecisti nomen Domini.* Et eandem vim habet illud 3. Reg. 12. Auerterunt mulieres cor eius, & illud ibidem. *Certissimè auertent corda vestra* & 4. Reg. 14. *Peccare fecit Israel.* Deniq; dęmon propter inductionem moralem dicitur *operari in filiis diffidentiæ.* Ephes. 2. idem autem est operari quod facere.

14. Non est ergo nouum, nec alienum à communi & proprio sermone humano, nec ab vsitata Scripturæ phrasi, quod cum eadem Scriptura dicit. Deum facere, vt velimus, vel vt ad ipsum conuertamur, vel vt præcepta eius seruemus, interpretemur id facere per sanctam cogitationem, illuminationem, & inspirationem, seu (quod perinde est) per congruam vocationem. Imo etiam potest id colligi ex modo loquendi Dei per Ieremiam. cap. 22. *Dabo eis cor vnum, & viam vnam, vt timeant me vniuersis diebus*, & infrà. *Timorem meum dabo in corde eorum, vt non recedant à me.* Per timorem ergo datur homini vt non recedat à Deo quod non physicè, sed moraliter per timorem fit. Et ad hunc modum similes locutiones exponit Aug. præsertim lib. de Prædestinat. Sanct. cap 8. 15. 16. & 19. & Epist. 107. ad Vitalem *Vocatio* (inquit) *illa alta atque secreta sic mouet sensum, vt accommodet assensum*, & aliis quæ postea in proprio capite ponderabimus.

15. Deinde addo licet causalitas moralis respectu physici effectus, seu entitatis minus propria, & quasi metaphorica sit, nihilominus respectu moralium operationum, vt tales sunt, esse propriam, vt docuit Cano. lib. 2. de locis à cap. 4. vsque ad 8. & optimè Soto lib. 1. de Natur. & Grat. cap. 18. in fine dicens. *In moralibus ille prorsus est verè, iudicaturque causa, qui lege, ope, consilio, fauore, vel persuasu mouet quemque, siue ad bonum, siue ad malum.* Et similem sententiam habet Vega lib. 2. in Trident. cap. 15. circa finem. Et ratio est, quia vnusquisque effectus propriè attribuitur causæ sui ordinis. Vnde si Deus consiliis, vel inspirationibus nos instigaret ad malum, vere diceretur facere nos peccare. & è conuerso cum Concilium Tridentinum sess. 6. Can. 6. definit. *Deum non operari in nobis peccatum propriè & per se*, certè etiam definit non causare illud moraliter, nec excitare ad illud; ergo è contrario cum definit Deum operari bona, non tam physicè quam moraliter id intelligit. Nam reuera in tali modo & respectu talium effectuum vix potest moralis causalitas, vt ad genus causæ efficientis pertinet, alio verbo proprius explicari, quam verbo *faciendi.* Nec postulandum est vt semper addatur determinatio, seu limitatio *faciendi moraliter* aut *morali modo*, quia id neque communi neque vsitato sermone accommodatum est, neque est necessarium, quia sermo accommodatur rebus, & materiæ à qua sufficienter determinatur. Vnde cum de morali actu agitur, eo ipso quod dicitur vna causa facere, vt alia faciat, intelligitur non facere necessitando, seu quod idem est prædeterminando, seu inducendo. Vnde D. Thomas q. 6. de Malo. art. vnic. ad 15. generaliter ait. *Causa illa quæ facit voluntatem aliquid velle, non oportet, quod ex necessitate id faciat*, ex necessitate, scilicet, etiam suppositâ motione. Et in sensu composito, subdit enim, *quia potest per ipsam voluntatem impedimentum præstari, vel remouendo talem considerationem, vel considerando oppositum.* Vbi etiam supponit D. Thomas talem motionem esse moralem; & ita facere voluntatem velle, vt possit per eandem voluntatem impediri.

16. Denique assero per hanc moralem causalitatem diuinæ gratiæ non excludi physicam Dei efficientiam, imo non vnam tantum, sed multiplicem ibi interuenire. Nam primo Deus cum excitat, & vocat interius hominem, physicè in intellectu eius & voluntate operatur actus illos quibus formaliter hæ potentiæ excitantur. Deinde quando liber consensus voluntatis fit, Deus immediatè, physicè, ac per se illum efficit influendo saltem vt causa prima ordinis gratiæ. Et præterea per dona gratiæ data per modum actus primi, siue sint ipsi actus gratiæ excitantis siue aliquid aliud creatum, siue ipsemet Spiritus sanctus vt peculiaris adiutor, physicè influit cum voluntate in eundem actum; ergo omnibus modis necessarius, & conuenientibus Deus facit nos facere, & dando vires efficacissimas voluntati, & physicè cum illa, & in illa operando. Ergo propter physicam efficientiam non est necessarium aliud genus auxilii prædeterminationis.

17. Quod tandem ita declaro, nam in illo auxilio, quod alij auctores excogitarunt, duo distinguere oportet, vnum quod physicè efficit actum, aliud quod id facit cum determinatione sibi naturali, & intrinseca ad vnum, ratione cuius sibi subiicit potentiam voluntatis, & illi non subiicitur quoad vsum, vel exercitium. Primum horum pertinet ad proprietatem physicam verbi faciendi, quam nos verissimè, & propriissimè tribuibus vocationi congruæ, quatenus includit, vel supponit, aut secum trahit principia gratiæ physicæ adiuuantia voluntatem in sua determinatione. Secundum autem non pertinet ad physicam efficientiam, sed ad modum efficiendi intrinsecum tali auxilio quem modum communicat illud auxilium quasi formaliter voluntati, vt in superioribus explicaui. Hic autem agendi modus non pertinet ad veritatem vel proprietatem locutionum Scripturæ, cum fine illo modo omnis efficientia propria tam moralis, quam physica saluetur, vt explicaui. Imò talis modus agendi locutionibus eiusdem Scripturæ repugnat tum in aliis locis, tum in his, quæ tractamus, in quibus ita est physica efficientia admittenda, at moralis non excludatur, vt iidem auctores fatentur; posito autem illo modo efficiendi, omnis alia efficientia scilicet esse moralis, quia non potest habere effectum moralem liberæ actionis, vt à nobis ostensum est.

18. Et iuxta hęc facilè intelliguntur verba Pauli. *Quicunque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei*, quæ sine dubio non fuerunt ab ipso scripta propter physicam prædeterminationem, sed propter ductum, & regimen Spiritus sancti: nullus enim antiquorum Patrum illum locum aliter interpretatus est. Sed plures eorum simpliciter exponunt, agi spiritu Dei, nihil aliud esse, quàm *spiritualiter instituere*, vt ibi ait Theodoretus, vel *sanctè, & spiritualiter viuere*, vt ait Cyprianus lib. de Zelo, & liuore versus finem. Quia verò

vero nemo spiritualiter viuit, nisi qui motionem Spiritus sancti sequitur, ideo non solum dixit Paulus, qui sanctè vel secundum spiritum viuunt, sed qui aguntur *spiritu Dei. Hoc est* (ait Theophylact.) *gubernantur, regiuntur, seu à gubernatore quopiam.* Irenæus autem lib. 5. cap. 10. ponit verbum *ducuntur pro aguntur*. Et idem habetur in versione, quam interpretatur Chrysostomus homil. 14. & ipse similiter exponit. *Ostendit, quòd sic vult illum* (vtique spiritum) *vitæ nostræ omnium esse, & gubernatorem nauigij, & aurigam.* Et infrà. *Quamus baptisma acceperis, nisi spiritu posteà ducaris vitam perdidisti.* Nihil ergo aliud per verbum *aguntur* significatur, nisi Spiritus sancti motio, & directio per diuinas inspirationes, & motiones, quas nos sequi oportet; & quando illas sequimur, dicimur agi à Spiritu sancto, non quia ab illis prædeterminemur, sed quia ab illis vehementer inclinamur. Et eodem modo *D.* Thomas ibi verbum *agendi*; per verbum *regendi* explicauit, addit vero positum esse ad indicandum *filios Dei peculiari modo Spiritus sancti instinctu gubernari.* Et Caietanus ibidem dixit illud verbum positum esse à Paulo *ad insinuandam promptissimam obedientiam qua filij Dei Spiritus sancti inspirationibus obsequi debent.* Vnde etiam rectè Adam verbum *agendi* per verbum *trahendi* declarauit.

Per verbum *aguntur* significatur Spiritus sancti motio.

19. Hoc autem non esse extra verbi *agendi* proprietatem, & vsum manifestum est. Nam idem Paul. ad Galat. 5. ait. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege*, vbi in Græco est idem verbum. Et similiter 1. Cor. 12. vbi Paulus ad Christianos ex gentibus conuersos ait. *Scitis quia cum gentes essetis, ad simulachra muta prout ducebamini, euntes*, Græce habetur prout agebamini, & ita legit Origen l. 7. in ad Rom. in principio. Vnde colligit, quod *etiam gentes ad idola aguntur aliquo spiritu*, quem esse malum spiritum, dubium non est, à quo tamen gentes non physicè prædeterminabantur, sed inducebantur. Et quando homo aliqua passione ducitur, ab illa agi dicitur. Vnde Lactantius l. 6. 19. *Tres* inquit *sunt affectus, qui homines in omnia facinora præcipites agunt, ira, cupiditas, libido*, quæ certè ad consensum voluntatem non physicè prædeterminant, sed per quandam sympathiam mouent, & attrahunt moraliter. Et ad hominem probare possumus, non loqui Paulum de physica prædeterminatione, alioqui quoties voluntas nostra consentit iuxtà illorum Theologorum sententiam, dicenda esset spiritu diuino agi, quia ab illo prædeterminatur physicè. Quomodo ergo verum est, omnes, qui spiritu Dei aguntur esse filios Dei, nam omnes qui per voluntatem suam agunt, saltè quatenus agunt, aguntur spiritu Dei; ergo etiam qui aguntur, cum fornicari, vel furari volunt, erunt filij Dei. Si ergo hoc non potest audiri, etiam in eorum sententia dici non potest, homines dici agi à spiritu sancto, quia physicè prædeterminantur ab illo; aguntur ergo moraliter, quia mouentur, & inclinantur.

20. Neque aliud sentit Augustinus etiam in illo loco, qui ponderatur, non enim sine causa addidit particulam illam *vix*, vt in citato Prolegomeno animaduerti. Vbi alia etiam loca August. adiunxi. Quibus addi potest optimus August. locus in Enchrid. cap. 64. vbi de iustis sic inquit. *Quamus de illis sit veraciter dictum. Quotquot spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei, sic tamen spiritu Dei excitantur, & tanquam filij Dei proficiunt ad Deum, vt etiam spiritu suo quibusdam motibus humanis deficiant.* Vbi apertè verbum *aguntur* exponit per verbum *excitantur*, de quo manifestum est, prædeterminationem non includere, neque indicare. In sermone vero 43. de Verbis Domin. c. 7. de adiutorio spiritus illa verba exponit, dicens: *Agis, si ageris, & bene agis, si à bono agaris.* Et infrà. *Si spiritu Dei aguntur, pugnant, quia magnum habent adiutorem.* Itaque ex illo loco ad summum habemus

Verbum *aguntur* qua ratione exponat Augustinus.

necessitatem gratiæ excitantis, & adiuuantis, etiam ex sententia Augustini, quia vero hæc est prima causa: nostrarum piarum actionum, & quia potenter nos inclinat, & indeclinabiliter gubernat, quando vult, ideo dixit Aug. hoc regimen spiritus sancti per verbum agendi, significari, quasi nos *vix* aliquid agamus. Quia vero non ita agimur, quin moraliter agamus, ideo non prædeterminamur, nec in eo modo agimur, vt ipsum *agi* à libertate, & actione nostra non pendeat. Vnde Theophylact. ibi rectè dixit. *Agi à spiritu necessarium nobis esse per omnem vitam, id vero à nobis tanquam nostrum exigi*, quia in manu nostra est agi, & non agi quoad consentiendi effectum, etiam postquam excitati sumus.

Quod ergo ad hunc locum argumentandi ex Scrip. pertinet, solum superest, studiosum lectorem, ac veritatis diligentem indagatorem admonere, vt testimonia Scripturæ pro vtraque sententia adducta simul confidaret, & inter se conferat: nam ex dictis ad minimum colliget ex vi Scripturæ prædeterminationem physicam non esse necessariam, ac proinde hinc sumi saltem argumentum negatiuum ex Scriptura, nimirum talem physicam prædeterminationem non habere in Scriptura fundamentum. Quod argumentum est in hac materia magni momenti, vt in superioribus dixi, tum quia Patres, & Concilia in hac materia non docent, nisi quæ ex Scripturis confirmari possunt, vt in Augustino in libris omnibus contra Pelagianos maximè obseruari potest: tum etiam quia res adeo difficilis intellectu, vt vix possit mente concipi, nedum ratione suaderi, cum per traditionem non habeatur, si in scripturis non inuenitur reuelata, non habeat, vnde fide digna fieri possit. Ex priorib⁹ vero testimoniis videtur vlterius probabilissimè, imò efficaciter ostendi, ea quæ de aliis dogmatibus lib. arbit. & sufficientis auxilij Scriptura docet non posse cum illo dogmate de physica prædeterminatione conciliari. Vnde cum vtraque, sententia illationibus ex Scriptura nitatur; quæ contra nos propositæ sunt, ita soluuntur, vt non solum quiescat intellectus, verum etiam directè conuincatur non rectè tales illationes, aut inductiones fieri. At vero quæ à nobis in contrarium obiectæ sunt, non solùm non improbantur, verùm etiam necal quid ad eas respondetur, quod intellectui satisfaciat.

21. *Admonitio ad studiosũ veritatis indagatorem.*

CAPVT XXXVII.

Ex capite quinto, & Canone quarto sess. 6. Concilij Tridenti veritas confirmatur, & quædam euasio refellitur.

QVanuis ante hoc Concilium alia nonnulla doctrinam de gratia nobis tradiderint, quia ex generalibus, & approbatis, hoc solum fusè materiam hanc declarauit, ac definiuit, ac ferè in summâ redegit, quæ Pontifices, & antiquiora Concilia tradiderunt, ideo post Scripturæ testimonia huius Concilij auctoritate expendendam proponimus. De quo duo, quæ de Scriptura diximus, ostendere conabimur. *Vnum* est, Concilium Tridentinum pro nobis stare, quia multa quæ docet, non videntur cum efficacia auxilij ex se prædeterminantis componi. *Aliud* est, nihil esse in hoc Concilio, quod efficacitati vocationis congruæ aliqua ex parte repugnare videatur.

1. Sedes & partes capitis

Priorem partem præcipuè probamus ex sess. c. 5. in prioribus eius verbis, quæ talia sunt. *Declarat præterea*, scilicet sancta Synodus, *ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum præueniente gra-*

2. Probatur prior pars.

tia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem, atque aduuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur: ita vt tangente Deo cor hominis per Spir. S. illuminationem, neq; homo ipse nihil omnino agat, inspirationē illam recipiens, quippe qui illam, & abiicere potest, neq; tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit. Quibus verbis respondet Can. 4. cuius hæc sunt verba *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atq; vocanti quoad obtinendam iustificationis gratiā se disponat, ac præparet, neq; posse dissētire, si velit, sed veluti inanime quod dā nihil omnino agere, mereq; passiuè se habere, anathema sit.*

Ex his igitur verbis hoc argumentum colligimus. 3. Concilium docet. vocationem illam, quam homo recipere potest, si velit; quamq; interdū recipit, talem esse, vt possit illi resistere, si velit; ergo talis vocatio licèt efficax sit, nō prędeterminat physicè voluntatem. Vel aliter: docet Concilium potestatē illam resistendi, aut dissentiendi esse necessariam, vt homo liberè operetur; ergo docet vocationem efficacem semper debere esse talem, vt licèt habeat effectum, possit homo illi resistere, si velit; ergo docet vocationem efficacem non esse prædeterminantem; nam auxilio præderminanti physicè nemo resistere potest, quia de ratione illius est, vt determinando ad vnum, tollat potestatem agendi oppositum, vel non agendi illud stante tali motione. Atq; ita hoc testimonio conuincuntur omnes nostræ sententiæ auctores, & conuictus etiam fuit Ioannes Vinc. apud Ledesm. art. 10. in fine. Ab aliis autem, idem Concilij testim. variis modis eluditur, quos in aliis libris tetigi, & refutaui. Idemq; postea ex actissimè præstitit F. Diotaleuius in suo 1. opusculo theologico, sed non possumus illos in præsenti opere omittere, ne maximum nostræ sententiæ fundamentum, quod ex hoc Concilio sumitur, tanquam minus firmum & solidum præterire videamur.

Colligitur argumentum.

Ledesma.

Diotaleuius

Prima responsio est, falsum esse primum antecedens à nobis assumptum, quia Concilium, vt aiunt, loquitur de sola gratia excitanti per Spir. S. illuminationem, & inspirationem, quæ tantum est sufficiens, & de hac sola dicit Concilium posse hominē illi resistere, seu dissentire, non autē dicit posse hominē resistere efficaci auxilio. Assumptū probatur ex verbis Concilij: nam in c. 5. solùm dixerat præueniri hominem per Spir. S. illuminationem, & inspirationem, vt per illam se disponat liberè agendo, & subdit, *quippe qui illam & abiicere potest*, illā vtiq; inspirationem. Vnde quando in Can. 4. dicit, *liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum posse dissentire, si velit*, solùloquitur de arbitrio moto, & excitato, modo tradito in cap. 5. videlicet *per Spiritus sancti illuminationem, & inspirationem.* Vnde quidam modernus Scriptor ausus est dicere, alienum esse à mente Concilij Tridentini dicere posse hominem resistere auxilio efficaci, quia Concilium nunquam dixit, gratiæ adiuuanti, aut efficaci resisti posse, sed excitanti, & vocanti duntaxat. Alias ponderat dixisse Concilium *posse dissentire, si velit*, quia in hoc videtur supponere nondum velle. Sed hoc valde friuolum est, nam sensus est liberum arbitrium motum & excitatum posse dissentire, si velit, quia licèt interdum consentiat, ex vi motionis posset dissentire, vel prius natura, quàm consentiat, vel in posterum, si iam nunc consensit.

4 Respondetur primo.

Probatur assumptum.

Responsio aliorum.

Vt ergo ostendam hanc responsionem non satisfacere, suppono intentionem Concilij fuisse damnare errorem hæreticorum huius temporis, & præsertim Caluini. Ita docent Doctores catholici, qui post Concilium contra hæreticos scripserunt, & ipsemet Caluinus ita sensit in Antidoto apud Ruard art. 7. & ex actis eiusdem Concilij quæ Romæ habentur, mihi compertum est. Item ex fine Concilij, qui præcipuè fuit Ecclesiam defendere, & purgare à nouis hæresibus, præsertim in materia de iustificatione, quam in illa sessione tractat. Vnde cum in primo, & secundo Canone hæresim Pelagij breuissimé damnasset, & tertium Canonem contra Semipelagianos statuisset, statim in quarto damnat Caluinum, & sequaces, quod in cæteris prosequitur. Ideoque si attentè expendantur verba Canonis cum proportione respondent verbis Caluini ad damnanda illa. Nam quia ille dicebat post diuinam motionem *non habere liberum arbitrium suas partes agendo*, Concilium definit, *verè agere liberum arbitrium*, & quia ille negabat nos cooperari, Concilium definit hominem cooperari, ac denique, quia ille dicebat, *motionem Dei nobis necessitatem inferre*, Concilū definit liberum arbitrium motum, & excitatū posse dissentire, si velit. Ex quibus manifestè constat Concilium, vti omnibus his verbis in sensu contradictorio ad verba Caluini; itaque loquitur de actione morali, de libera cooperatione, & de vera potestate resistendi, alias nihil ageret, neque hæreticorum sensum damnaret.

5 Retorquentur.

Ex quibus infero non fuisse mentem Concilij tantùm definire vnum, vel aliud auxilium non inferre necessitatem voluntati ad consentiendum sed simpliciter docere, ac definire voluisse, consensum nostrum, licét cum gratia fiat, liberè fieri, ac proinde nec ab vno, vel ab alio præueniente auxilio, neque ab omnibus simul, quæ ad illum necessaria sunt, vel quoquo modo sua sola virtute præmoueat, necessitari voluntatē ad consensum. Probatur *primò*, quia absolutè definit consensum liberè fieri, vt ex dictis cap. 5. & Can. 4. atque etiam 5. est manifestum; ergo definit à nullo tali auxilio, neque à tota collectione auxiliorum necessitari voluntatem, quia hoc totum necessarium est ad libertatē tactus. *Secundò* probatur ex intentione *Concilij Tridentini* iam dicta: Nam Caluinus nō dixit, quodlibet auxilium gratiæ necessitate voluntatem, sed quoddam peculiare, quod omnibus, & solis consentientibus datur, vt suprá cap. 4. retulimus, & ex Ruardo art. 7. versùs finem, & Bellarmino, ac aliis intelligimus; ergo oportuit vt Concilium contradictoriam veritatem definiret, nimirum auxilium nullàve gratiæ auxilia ita promouere voluntatem vt tollant libertatem, aliàs Caluinus, & Concilium sub cōtraria tantùm docuissent, quæ possunt esse simul vera, & sic Concilium nihil effecisset. *Tertiò* quia ad doctrinā de libero arbitrio per se, ac maximè refert quòd libertas in ipso vsu auxiliorum gratiæ integra, & illæsa seruetur; nam si per aliquod auxilium gratiæ integra, & illæsa seruetur; nam si per aliquod auxilium præuium vsus liber parum ad dogmata fidei referret, quod per hoc, vel illud auxilium id fieret. Concilium autem hoc dogma definire voluit, & quidquid ad illud necessarium est; ergo non tantùm definit non necessitari voluntatem per vnum, vel aliud auxilium, sed simpliciter liberè consentire, ac proinde à nullo auxilio, siue illud sit vnum, siue plura, necessitari.

Hoc suppositō facilè admitto, & concedo Concilium tantùm docere in dicto c. 5. voluntatem à Deo excitatam ita agere præbendo consensum, *vt possit diuinam inspirationem*, & *illuminationem abiicere*. Dico tamen inde non intelligi ipsum loqui de auxilio tantùm sufficiente, sed absolutè de auxilio præueniente, quodcunq; illud sit & siue habeat effectum, siue non habeat, atque adeò non minus loqui de auxilio efficaci, quàm sufficiente. Vt hoc autem probem ex eisdem Concilij verbis priùs sumo, ipsum non agnouisse aliam præuenientem gratiam necessariam ad liberam conuersionem præter vocationem

cationem, excitationem, illuminationem, & inspirationem, quæ omnia sub nomine gratiæ excitantis comprehenduntur, vt in lib. 3. explicatum est. Quod ergo aliam præmotionem non agnouerit, probatur primò ex taciturnitate: si enim alia esset necessaria, illam non præteriisset, alioqui insufficientem doctrinam tradidisset. Secundò ac maximè, quia non rectè inde probasset hominem liberè assentire vocationi, seu inspirationi ex eo, quòd illam abiicere potest, illa enim causalis nota, *quippe qui* vim habet rationis ac probationis; esset autem inualida si alia præmotio esset necessaria. Diceret enim Caluinus, quòd licet posset abiicere inspirationem, non verò aliam motionem, & ideo non libere consentire. Vt ergo processus Concilij sit solidus, oporteret, vt intellexerit in præcedenti doctrina, quam in eodem capite tradiderat, præmotionem gratiæ necessariâ comprehendisse, ac proinde cum subdit, *quippe qui, & illam abiicere possit* perinde fuisse, ac si diceret, quippe qui omnem præmotionem necessariam ad consensum abiicere potest.

8. Ruardus

Tertiò probatur, quia etiam ipse Caluinus ita intellexit Concilium Tridentinum, & ideo sensit illud sibi contrarium, & deinde illud impugnare conatus est. Vt enim Ruardus refert, priùs in hoc reprehendit Patres Concilij Tridentini, quòd docuerint, *gratia Dei nos præparari ad percipiendam iustitiam & quòd huic gratiæ partes assignant excitandi & adiuuandi, vt ipsi liberè cooperemur.* quæ reuera est doctrina Concilij contra quam impius hæreticus priùs obiicit Scripturæ testimonia capite superiori tractata; & postea sic inquit, *In eo hallucinantur, quòd motum nobis offerri somniant, qui mediam electionem nobis relinquat, nihil autem de efficacia illa cogitant, qua cor hominis renouatur, vt ex prauo fiat rectum.* Intellexit ergo Caluinus, in eo sibi esse contrarium Concilium Tridentinum, quòd nulla habita ratione efficacis motionis præuenientis necessitatis, quam ipse confinxit, solam gratiam excitantem, & adiuuantem docuit esse necessarias. In quo certè non errauit ille hæreticus, quia non ignorauit voluisse Concilium, ipsum, eiusque doctrinam damnare, & ideo solam præuiam inspirationem posuisse, cui voluntas possit dissentire, si velit, & hoc ad libertatem actus sufficere docuisse, quod ille hæreticus refutare non potuit, nisi adhærendo aliam motionem necessitantem, quâ *diuinam efficaciam, & efficaciter efficientem vocat*: illam ergo motionem, & omnem aliam tollentem potestatem dissentiendi Concilium reprobare voluit. Malè verò, & subdolè hæreticus ille inde colligit absolutè negasse Concilium efficaciam illam Dei, qua cor hominis renouatur: nam si sermo sit de renouatione habituali, illam postea docuit in cap. 7. de actuali illam quidem posuit, non tamen præuenientem per motionem aliam à gratia excitante distinctam, & mediam inter inspirationem, & consensum, sed per cooperantem, & adiuuantem physicè, & per veram efficientiam ad ipsum consensum vt sæpe explicatum est.

9. Concluditur Conc. posse loqui simul de gratia efficaci, & probatur.

Hinc ergo concludo, Concilium loqui etiam de gratia efficaci, seu quod perinde est, de excitatione, etiam quando suum consequitur effectum. Probatur primò ex verbis, sic enim ait, *vt tangente Deo cor hominis, per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens.* Vbi non dicit nihil omnino agat: quando autem homo aliquid agit tactus profectò Dei efficax est; ergo loquitur Concilium etiam de tactu, seu vocatione efficaci. Secundò quia Concilium non docet actum esse liberum quando potest fieri, sed quando fit, vel (quod perinde est) non tantum docet hominem esse liberum ad agendum, quando potest agere, sed etiam cùm agit, & recipit inspirationem Dei, tunc autem inspiratio est efficax; ergo loquitur Concilium etiam de vocatione efficaci. Tertiò est hoc necessarium ad efficaciam, & veritatem doctrinæ: nam, vt notaui, vniuersalis est, & continet hanc generalem definitionem, *consensum supernaturalem voluntatis, cùm datur, esse liberum, non obstante influxu, & motione auxiliorum gratiæ*; ergo necesse est, vt Concilium etiam auxilium efficax comprehendat, quodcunque illud sit alioqui diminuta esset doctrina, & indebite, ac sine consequenti fundamento proposita, & contra hæreticos inefficax esset. Quarto, quia Caluinus de solo auxilio efficaci dixit inferre necessitatem voluntati, ergo oportet, vt Concilium etiam illud comprehendat, cùm negat inferre necessitatem, alioqui non contradiceret Caluino, sed istius error posset cum definitione Concilij consistere. Quocirca sicut ex illa Concilij definitione omnes Catholici colligunt contra Caluinum non esse necessarium ad cōsensum, neq; da i auxilium efficax necessitans voluntatem, ita nos contra quoscunque contrarium asserentes inferimus, auxilium efficax, quodcunq; illud sit, non auferre potestatem abiiciendi illud, seu non consentiendi stante illo. Ex quo vlteriùs colligimus, ex mente Concilij auxilium efficax non esse prædeterminans, quia auxilium physicè prædeterminans non relinquit potestatem dissentiendi, cùm impossibile sit illo posito nō consentire.

10 Probatur etiam auxilium efficax & præueniēs non esse aliquid distinctum à vocatione.

Atque hinc possumus ex hoc loco Concilij directè probare, auxilium efficax, etiam præueniens non esse aliquid distinctum à vocatione, ac proinde esse non posse nisi vocationem congruam. Primò quidem argumento tacto quòd Concilium ex eo quòd voluntas potest abiicere inspirationem cui consensit, infert liberè consentire, quæ consecutio non esset bona nisi supponeret non dari aliam præuiam motionem præter inspirationem; ergo Concilium non agnoscit gratiam præuiam efficacē mediam inter excitationem, & consensum; ergo necesse est, vt ipsamet vocatione, quatenus per inspirationem datur, quę effectum habeat, licèt resistere possit gratiam efficacem præuenientem ponat. Secundò, qua motio per solam excitationem non potest prædeterminare physicè voluntatem, vt in superioribus ostensum est; sed Concilium non ponit alium modum præmouendi voluntatem, nisi per illuminationem, & inspirationem, vt ostensum est; ergo non potuit ponere auxilium efficax, in motione physicè prædeterminante; ergo in vocatione congrua à sufficienti partium enumeratione ex communi consensu proposuimus.

11. Respondetur suprà factæ obiectioni.

Neque contra hoc obstat quod suprà obiicietur, quia Concilium nunquam dixit, nos posse resistere auxilio efficaci, vel adiuuanti, nam licet de efficaci hoc non dixerit per illa verba expressa, satis tamen id dixit, cùm docuit, eum qui aliquid agit recipiēs inspirationem posse dissentire, quia qui recipit inspirationem, gratiam efficacem habet; ergo habet etiam potestatem resistendi tali gratiæ quatenus præueniens est. De adiuuante verò nihil speciale in hoc dixit Concilium quia necessarium non erat. Aut enim est sermo de gratia actu adiuuante, & illa vt sic, non est gratia præmouens, sed cooperans, quæ intrinsecè includit liberum consensum voluntatis: Ideoque eo ipso quòd voluntas habet potestatem abiiciendi inspirationem, non consentiendo illi, habet etiam potestatem non admittendi, nec recipiendi in se auxilium adiuuans, cooperans, non per modum resistentię, quia tale auxilium nondū est, sed ne impediendo, vt actu detur, vtique per modum negatiuum non cooperandi, seu non ponendo conditionem necessariam, sub qua tale auxilium offertur. Si verò sit sermo de gratia adiuuante solùm per modum principij, vel vt oblatā actu primo, sic eadem est ratio de illa, quæ de omni motione præueniente, seu excitante, quia vel

illa gratia adiuuans non est distincta ab excitante, vt multi volunt, & ideo æq; potest illi resisti, vel est aliquis habitus, vel aliquid oblatum per modum habitus, & sic minus potest necessitare, vel prædeterminare omnino voluntatem quoad exercitium.

CAPVT XXXVIII.

Alteri euasioni occurritur.

1. Sedes & sensus capitis.

SEcunda responsio esse solet, Concilium quidem loquutum esse de auxilio efficaci, tamen cùm dixit liberum arbitrium motum, & excitatum, posse dissentire, si velit, loquutum fuisse de potestate in sensu diuiso, non in sensu composito, ita vt sententia Concilij sit, cum illa motione Dei manere, & conseruari in voluntate potestatem dissentiendi, non tamen potestatem illam extendi ad componendum dissensum cum tali motione, itaque, (vt aiunt,) est simultas potestatis dissensus cum eodem auxilio, & ideo non de hac, sed de priori loquutum fuisse Concilium. Fundamentum proprium istorum auctorum est, quia putant doctrinam Concilij in sensu cõposito intellectam esse falsam. Vt autẽ in Concilio videantur aliquod habere fundamentum ad regulas Dialecticorum recurrunt, arguentes, quo propositiones Concilij non habent formam modalis compositæ, vt latè prosequitur P. Aluarez. Qui etiam addit aliam probationem, quia sensus diuisus sufficit ad intentionem Concilij: nam per illum saluatur sufficienter efficacitas gratiæ, & liberum arbitrium; primum per sè patet, secundum probat, quia potestas in sensu diuiso sufficit, vt in eodem instanti in quo recipit voluntas auxilium efficax, maneat in eo libera, & expedita facultas, quia potest non operari, si velit.

Aluarez.

2. Tertio sumo aliam probationem ex eodem disp. 93. quia Concilium Tridentinum numquam dixit voluntatem à Deo motam posse resistere, sed posse dissentire, quia nimirum verbum *resistendi* apertè includit sensum compositum, quem non includit verbum *dissentiendi*. Nam Verbum *resistendi* importat quandam renitentiam respectu auxilij, vel voluntatis Dei mouentis actu: verbum autem *dissentiendi* illam non dicit; ergo signum est voluisse Concilium loqui in sensu diuiso, & non in composito. Quartò contra nos ad hominem obiiciunt, quia nos cogimur ita explicare Concilium quoad auxilium simultaneum, nam etiam illo posito voluntas liberè operatur; ergo potest dissentire, si velit: non potest autem in sensu composito, seu potestate simultatis componendi dissensum cum tali auxilio simultaneo, vt per se notum est. Ergo debet exponi Concilium in sensu diuiso. Item ad hominem contra me argumentatur Ledesma, quia ego asserо auxilium præueniens posse moraliter prædeterminare voluntatẽ, ita vt infallibiliter sequatur actio; tunc ergo non potest voluntas dissentire cõponendo dissensum cum tali auxilio, aliàs non esset infallibilis consecutus consensus à tali auxilio; ergo solum potest dissentire in sensu diuiso; ergo hoc satis est ad libertatem, ac proinde ita est intelligendum Concilium. Item obiicit Aluarez, quia nos dicimus esse impossibile, dissensum cõponi cum vocatione congrua & ideo non posse qui illam habent, dissentire in sensu composito, sed tantùm in diuiso.

Ledesma.

Aluarez.

3. Assertio Auctoris de potestate simultatis.

Nihilominus asserо negari non posse quin Concilium in sensu composito loquatur de potestate simultatis, ita vt non obstante motione illa antecedente, de qua loquitur Concilium, nomine *vocationis*, & *inspirationis* in potestate voluntatis sit, illa motione perseuerante, & actu instigante, consentire, sed illam à se abiicere. Hanc sententiam ex patribus Dominicanis tenuit Ioannes Vincentius suprà citatus, & ex his qui eos in sententia de prædeterminatione sequuntur. Cabrera 3. p. q. 18. disp. 2. §. 8. n. 313. & sequentibus. Eandem insinuat Vega lib. 4. in cap. Trident. cap. 2. in fine, & Soto lib. 1. de Natur. & Grat. cap. 16. Probatur primò, quia Concilium loquitur de potestate ad dissentiendum, non obstante motione, quæ ad libertatem sufficiat: sed illa potestas in sensu diuiso respectu talis motionis non sufficit ad libertatem; ergo. Maior certa est, nam, vt dixit Concilium docet hominem operari, & vt hoc probet, dicit, *quippe qui & illam abiicere potest*: ergo loquitur de posse per potestatem sufficientem ad vsum libertatis. Minor autem probanda est ex dictis in Prolegomeno 1. Nam Concilium loquitur de motione præueniente, quæ est suppositio antecedens vsum libertatis, talis enim est vocatio, & inspiratio, de qua loquitur, vt ipsemet definit in Can. 3. vnde est ex conditionibus prærequisitis, vt homo ponsit supernaturaliter consentire. In dicto autem Prolegomeno ostensum est, potestatem ad non agendũ posita tali antecedente suppositione, debere esse ad componendã cum illa carentiam actus, quia potestas in solo sensu diuiso ad non agendũ positis omnibus requisitis ad agendũ cõmunis est potẽtiis etiam naturaliter agentibus, & non liberè; ergo.

Cabrera.

Probatur primò.

Vnde argumentor secundò, quia etiã Caluinus non negaret potestatem dissentiendi in sensu diuiso, etiamsi motionem necessitantem poneret. Reperio quidem in P. Aluarez, ad confirmationem 5. argumenti, Caluinum arbitratum esse, cum auxilio efficaci non posse simul esse potentiam ad oppositum actum, nec facultatem, qua homo possit dissentire, si velit, vtique etiam in sensu diuiso: nam in hoc sensu apertè loquimur: id enim ait negãsse Caluinum quod ipse affirmat. Non allegat autem vbi in Caluino hoc legerit, nec aliquem qui de Caluino hoc referat. Nec video quomodo in mentem hominis cadere potuerit auxilium efficax ita mutare naturam voluntatis, & determinare illam ad consensum, vt non maneat in illa potestas ad dissentiendum, etiamsi auxilium auferatur. Nec etiam est verisimile credidisse, Deum non posse desistere à motione semel data, vel etiamsi desistat, non posse voluntatem velle oppositum eius, quod antea per auxilium voluerat. Imò alias docuit voluntatem à Deo non moueri ad bonum, à concupiscentia necessitari ad malum, ac subinde in voluntate esse potentiam ad vtrunq; in sensu diuiso. Et alibi l. 3. contra Pighi. se excusat, dicens. *Quasi ego substantiam voluntatis redigi in nihilum oportere, vel docuerim, vel somniauerim.* Frustrà ergo ad faciendam vim definitionis Concilij imponitur Caluino, quòd negauerit potestatem dissentiendi in sensu diuiso, cum hæc nihil aliud sit, quàm potestas habendi contrarium actum, si motio auferatur.

Aduersus secundò.

Præterea quauis nos asseramus, Deum posse necessitare voluntatẽ, nihilominus fatebimur quòd postea motione necessitante adhuc potest voluntas non operari in sensu diuiso, tum quia carere potest motione, & illa ablata, carere operatione, vel habere contrariam: tum quia per illam motionem, etiam necessitantem non destruitur, nec in se mutatur voluntas; ergo sub illa motione retinet potestatem ad oppositum, si talis motio auferatur. Ergo iuxta illam interpretationem omnino inutilis redditur definitio contra Caluinum, & insufficiens ad veram libertatem stabiliendam. Confirmatur, quia beatus necessariò amat Deum, & tamen in sensu diuiso potest non amare; ergo per illam potestatem non saluatur libertas præsentis actus. Quo exemplo pressus Aluarez dicta disputation. 92. numerum 12. dicit, amorem beati esse

esse simpliciter necessarium, & non necessitate tantum suppositionis. *Vnde* (inquit) *non solum non habebit actum contrarium dilectioni, sed nec poterit illum habere.* quæ propositio iuxta Dialecticam illius auctoris, facit sensum diuisum, at in illo sensu falsa est propositio: nam qui est beatus, potest in sensu diuiso non amare Deum, si visione Dei careat. Vnde falsum etiam est, necessitatem amoris in patria non esse suppositionis, etiamsi sit necessitas ex suppositione antecedente simpliciter, id est, libertatem excludens, vt in Prolegomeno primo & suprà in hoc libro declaraui. Et ideo cum necessitate simpliciter subsistit potestas ad oppositum in sensu diuiso. Et ita frustratur intentio Concilij, si de illa sola potestate verba eius interpretemur.

2. Arguitur tertiò.

Tertiò hoc ipsum explicatur in hunc modum, quia si vera est sententia de necessitate physicæ prædeterminationis, tali auxilio posito in voluntate, potentia, quæ relinquitur in voluntate ad dissentiendum in sensu diuiso, non est potentia proxima, sed remota, & proximè est potentia passiua, & non actiua ad contrarium actum, vel ad suspensionem actus, ad quem voluntas est prædeterminata; ergo non est potestas ad libertatem sufficiens, nec est illa de qua Concilium loquitur. Maior declaratur, & probatur, quia stante illa motione voluntas sic affecta non potest immediatè prodire in dissensum, nec ex interno dominio suspendere actum, aliàs posset simul componere carentiam consensus cum illa præmotione, quod repugnat præmotioni, vt ipsi dicunt; necessarium ergo est, vt prius auferatur motio, vt sic possit in voluntate esse dissensus, seu carentia consensus. Ergo posita motione potentia ad dissensum solùm est remota: potentiam enim remotam respectu alicuius actus illam vocamus, quæ non potest immediatè in illum reduci, nisi prius aliqua dispositio in illa mutetur. Et hinc facile intelligitur, & probatur minor, quia priusquam voluntas sic præmota sit capax dissensus, oportet, vt illa præmotio cesset, & auferatur; hoc autem non est in potestate actiua voluntatis, sed tantùm passiua. Quod probatur, quia impressio talis motionis à solo Deo fit, in voluntate hominis passiuè se habente, vt in principijs illius sententiæ suprà probatum est; ergo sicut in fieri non pendet illud auxilium à nostra voluntate, nisi passiuè, ita neque in conseruari; ergo sicut voluntas antequam illud reciperet, tantùm erat in potentia passiua ad recipiendum illud auxilium, ita postquam illud recipit, tantùm manet in potentia passiua ad carendum illo.

Probatur.

3. Confirmatur.

Et confirmatur, quia effectiuè solum pendet illud auxilium à voluntate, & potentia Dei, & non à voluntate hominis. Confirmatur præterea, quia nihil potest voluntas hominis efficere, vt à se illam præmotionem expellat, quia, (vt defensores eius dicunt,) non subijcitur voluntati, sed illam sibi subijcit, vt statim ac illi imprimitur, consentiat; ergo posita illa præmotione, non potest aliquid facere voluntas, quo tollatur. Declaratur in habitu charitatis; nam in via postquam homo habet habitum charitatis, potest homo aliquid facere, quo illum à se expellat, quia per illum non necessitatur ad actum amoris, etiam in sensu composito; at verò in patria non potest habitum illum à se actiuè expellere, quia ibi habitus non separatur à suo actu, cum quo impossibilis est actus contrarius habitui, manet tamen homo in potentia passiua ad carendum tali habitu, & media tali carentia iam poterit actum contrarium efficere. Sic ergo cùm auxilium prædeterminans tale sit, vt repugnet esse sine consensu actuali, eo ipso quòd imprimitur voluntati; non potest voluntas aliquid agere, quo aliud auxilium à se expellat; ergo solum mouet in potentia passiua ad carendum illo, ac subinde neque ad carendum consensu.

Ex quo tandem probatur prima consequentia in argumento facta, quòd talis potestas ad libertatem non sufficiat, quia libertas non est in potentia passiua, vt passiua est, sed vt est actiua; & ideo vsus libertatis agendo debet inchoari, vt in Prolegom. 1. ostensum est. Sed postquam homo recipit talem motionem, non est in potestate hominis carere illa, quia solùm est ad hoc in potentia passiua, ergo quandiu Deus ex se non aufert illam motionem, non est in potestate libera voluntatis dissentiri illi motioni; ergo illa potestas in sensu diuiso non sufficit ad liberum vsum; ergo non loquitur de illa Concilium. 6.

Vnde quartò argumentor ex verbis Concilij, nam in cap. 6. *Tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem.* hominem illam liberè recipere, quippe qui illam abiicere potest; tribus enim modis possumus verbum *abiiciendi* interpretari; primò, vt idem sit, quod non admittere talem motionem, seu impedimentum quasi præueniens apponere, ne imprimatur. Et hic sensus non habet locum tum quia hoc non est in potestate voluntatis, vt suprà latè ostensum est; tum quia Concilium euidenter loquitur de inspiratione iam in homine recepta, de qua dicit, non inferre necessitatem, quia homo potest illam abiicere. Et proprietas verbi *abiiciendi* idem requirit, vt per se constat. Secundò ergo *abiicere* idem significare potest, quod illam motionem à se pellere. Tertiò, vt sit idem: quod illi non consentire, etiamsi insit. Et hic posterior est reuera sensus Concilij; tum quia id satis est ad libertatem consensus: tum quia in Can. 4. hæc verba explicantur per illa, *posse dissentire si velit.* Tamen licèt secundus sensus admittatur, non potest ad auxilium prædeterminans applicari, vt ex paulo antea dictis manifestum est; nam verbum *abiicere* non significat solum potentiam passiuam carendi tali motione. Quis enim dicat hominem videntem Deum posse abiicere lumen gloriæ solùm, quia potest illo priuari à Deo? Verbum ergo *abiiciendi* actiuum est, & requirit potestatem actiuam pellendi à se talem motionem, hanc autem non habet voluntas, vt explicaui. 7. Arguitur quartò.

Dices, etiam hoc modo non potest voluntas abiicere inspirationem, quia est actus necessarius, & à Deo solo fit liberè. Respondeo primò, esto ita fit, nō referre, quia, vt dixt, Concilium non loquitur de hoc modo abiiciendi Secundo dico esse dissimilem rationem; nam voluntas aliquo modo potest à se abiicere inspirationem, quia, illa non obstante, potest velle aliquid illi repugnans; & consequenter potest velle applicare intellectum ad alia obiecta creata; & ita mentem à sancta illa cogitatione auertere, vtiq; ponendo illi impedimentum. At prædeterminatio non permittit hoc voluntati, quia ineuitabiliter facit illam adhærere consensui, & ita non permittit illi habere actum consensui contrarium, nec velle aliquid quo illi prædeterminationi impedimentum ponat. Præterquam quòd iuxta illam sententiam, voluntas non potest se, vel intellectum ad aliud applicare, nisi per aliam motionem ad id prædeterminetur, & tunc ipse Deus aufert vnam præmotionem, vt aliam imprimat, voluntas autem nunquā potest à se abiicere prædeterminationem. Vnde non video quomodo in eius sententia verum esse possit quod Ledesma suprà dicit, voluntatem suis viribus posse abiicere motionem Dei prædeterminantem, quid enim faciet, vt eam à se abiiciat, cùm eam nec facere, nec impedire possit. 8. Instantia. Soluitur.

Nec 9.

Nec etiam potest illam abiicere in alio sensu, quod probatur primò, quia non potest illam abiicere dum est ex aliorum sententia, quia hoc includit sensum compositum: sic enim homo abiicit inspirationem, quando illa stante & durante illi dissentit: non sic autem potest abiicere prædeterminationem, quia dum est impossibile, est non habere consensum. Nec etiam potest illam abiicere postquam ablata est, quia nemo abiicit à se quod non habet, quis enim dicat hominem abiicere vestes, quibus ab alio spoliatus est. Vnde attentè est ponderanda in verbis Concilij particula *illam*, nam euidenter facit sensum compositum, tunc enim quis abiicit motionem hoc modo, quando illi sua voluntate se opponit, & facit, vt effectu careat, quod non fit nisi stante motione. Nam si motio cessat, etiamsi homo quippiam aliud operetur, iam non se opponit motioni, nec illam suo effectu priuat, cùm iam non sit; ergo non abiicit illam, nemo enim abiicit quod non habet. Vnde & Aristot. 4. Metaph. cap. 5. tex. 22. *Abiciens*, (ait,) *habet aliquid eius quod abiicit*, vbi idem dicit D. Thomas lect. 13.

Aristot.

10. Accedit ratio.

Accedit quòd iuxta illam sententiam allata prædeterminatione necessariò cessat consensus, quia impossibile est habere illum sine prædeterminatione; ergo tunc homo non abiicit motionem Dei per carentiâ consensus, sed dum à Deo ipso priuatur promotione, priuatur consensu: vt autem voluntas contraria suboriatur, alia etiam prædeterminatio contraria necessaria est, quam Deus pro sua sola libertate præbet; ergo nec tum homo abiicit à se priorem præmotionem per talem voluntatem, quia iam præmotio illa cessauerat, & altera successit, cui potius tribuenda est expulsio quasi formalis alterius motionis, quàm volitionis, quæ ex illa secunda præmotione ineuitabiliter sequitur. Ergo illa verba Concilij, *Quippe qui & illam abiicere potest*, & intrinsecè includunt sensum compositum, tam ratione verbi *abiicere*, quàm ratione relatiui *illam*, & nullo modo possunt cum proprietate, & varietate ad prædeterminantem motionem applicari. Idemque est de illis, *Potest dissentire si velit*, primò ratione verbi *dissentiendi*, quod non verificatur nisi respectu motionis, & inspirationis actu mouentis; sicut dicitur quis dissentire tentationi, quando illa vrgetur, non verò postea quando iam cessauit. Item quia magis dissentire, quàm non consentire alicui, sed posse non consentire includit compositionem cum alterius petitione, aut suasione; ergo eandem multo magis inuoluit verbum *dissentiendi*. Item quia consentire gratiæ, vel tentationi est coniungere proprium velle eidem gratiæ, vel tentationi; ergo & dissentire est coniungere nolle cũ illa gratia, cui homo dissentit. Nec refert quod in Can. 4. non addatur relatiuum *illi*, subintelligendum enim est ex mente Concilij in capite quinto explicata, & addito illo relatiuo multo certiùs est, neminem dici dissentire vocationi, nisi quando illam in se sentit, & habet, sicut nec dissentit tentationi, nisi quando illa vrgetur.

11. Responsio Aluarez

Ad hanc instantiam virtute respondet Aluarez dicta disp. 42. num. 15. obiicit enim sibi, quia hæc propositio est falsa, *Nemo potest resistere auxilio efficaci*, quod probat, quia hæc propositio est impossibilis, *Homo resistit auxilio efficaci*, quia vt sit vera, oportet vt cum auxilio efficaci simul sit resistentia, & dissensus, quod est impossibile. Respondet verò vtramque propositionem tam de possibili, quàm de in esse veram esse: quia licèt non possunt esse simul auxilium efficax, & actualis resistentia, nihilominus homo resistere potest auxilio efficaci, non actu dato, sed oblato, quia potest illi obicem ponere, cum offertur per gratiam sufficientem. Sed hæc responsio repugnat propriæ doctrinæ illius auctoris, & ferè aliorum, qui illam sententiam sequuntur, quia si auxilium efficax est prædeterminans, non pendet ex dispositione hominis negatiua positiua, vt suprà probatum est, vnde non potest illi obicem ponere, nec in tali auxilio distinguuntur dari, & offerri, quia si non datur, nec offertur, cùm nihil possit homo facere, vt detur. Deinde non satisfacit, quia Concilium loquitur non de auxilio oblato, sed dato; sic enim ait, *Si quis dixerit, hominis liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum*. Vnde tandem cogitur dictus auctor admittere hanc propositionem, *Homo à Deo efficaciter motus, potest dissentire auxilio efficaci*; reuertitur autem ad sensum diuisum, quia illam destruit, quia si auferatur motio, iam liberum arbitrium non dissentit auxilio efficaci, sed quia illud iam non habet, contrarium operatur.

12. Quæ sequuntur.

Quintò hoc ipsum valde confirmat particula *si velit*. nam loquitur Concilium de libero arbitrio à Deo moto, & excitato, ac subinde loquitur facta suppositione talis motionis, & addit *posse dissentire vt velit*. ergo supponit etiam illam voluntatem dissentiendi esse possibilem. Quis enim dicat hominem ligatum catenis, quas non potest rumpere, posse fugere si velit, solum quia si ab alio catenæ auferantur, tunc poterit fugere, si velit. Qui ergo simpliciter dicit hominem ligarum catenis posse fugere, si velit, profectò dicit, non obstantibus catenis posse simul fugere, aut posse catenas soluere, & ita fugere si velit. Sic ergo Concilium dicens, *potest dissentire, si velit*, apertè dicit non obstante tali vocatione in homine recepta, posse hominem, si velit, aut motionem ipsam pellere, & ita dissentire, vel quod est certius, & simplicius, non obstante motione in homine existente, posse hominem velle non operari secundum illam. Et confirmatur, quia potentia in sensu diuiso quando vnus actus supponitur, non est potentia ad tempus præsens, sed ad futurum, nam cum dicitur aqua frigida potest esse calida, non est id verum nisi pro tempore futuro: quando autem Concilium dicit liberum arbitrium, & excitatum posse dissentire, profectò intelligit pro eodem tempore, quo mouetur, posse statim dissentire. Et hic est planus sensus Concilij, omnisque alius sensus est profectò valde violentus, & futilem, ac inanem reddit Concilij doctrinam. Quis enim vnquam dixit voluntatem ita necessitari per gratiam, vt utique in sensu diuiso possit tali actu carere; si motio gratiæ tollatur, profectò neque stolidissimi hæretici hoc dixerunt; quid ergo oportebat Concilium nos docere potestatem in sensu diuiso? aut quid hoc contra hæreticos proficiebat?

13. Sextò addo ex prædictis verbis colligi, Concilium non loqui de aliqua motione, quam homo non sentiat prius; vel tempore vel natura, quàm consentiat, ac subinde non loqui de auxilio efficaci, quod nec vitale sit, nec in homine fiat ipso non cooperante vitaliter, sed vt ita rem explicem, loquitur de auxilio, quod in homine fiat, ipso sentiente; ergo non loquitur de auxilio, quod detur per motum concursus prævij, qui ab ipso percipi non possunt. Hoc colligo ex vi verbi *dissentiendi*, & *consentiendi*, nam relationem, & coniunctionem dicunt ad aliquid, quod prius animaduersum, & sensu quodam spirituali perceptum est. Et hoc significauit Conc. cùm dixit, *Tangente Deo cor hominis*, nam ille tactus sentiri debet, vt moueat, sicut in illo, *Ego sto ad ostium & pulso*, pulsus ille vitalis, & perceptibilis ab homine esse debet, vt homo possit aperire, vel renuere. Et ideo addidit Concilium, *per Spiritus sancti illuminationem, vel inspirationem*, quia hæc sunt motiones perceptibiles ab homine. At Concilio loquitur de motione

tione efficaci, vt probauimus, & dicit hominem posse illi dissentire, & supponit auxilium efficax tale esse, vt faciat se percipi, & respectu illius dicit habere locum tam dissensum, quàm consensum; ergo sicut in consensu hoc non potest esse verum, nisi respectu auxilij, quod actu existit, & percipitur, ita neque in dissensu, quia etiam concludit habitudinem ad motionem existentem, & ab homine perceptibilem, seu perceptam, licet diuerso modo: nam consensus dicit habitudinẽ conformitatis, dissensus disformitatis. At verò respectu motionis impressæ homini sine sensu hominis, non est propriè consensus, quia illa motio non sentitur, sicut homo non consentit habitui, quando per illam operatur, sed consentit inspirationi, quam habuit, multoque minus respectu talis motionis habet locum dissensus, quia consensus licèt hanc denominationem recipiat respectu inspirationis, saltẽ potest esse simul cum prædeterminatione, (si detur,) & aliquo modo illi cõformatur, saltem vt actio suo principio; actus verò contrarius non potest esse simul cum prædeterminatione, (si detur,) vnde nec potest haberi repugnando illi, sed repugnando inspirationi; ergo auxilium illud cui homo potest dissentire, si velit, non est prædeterminatio, sed inspiratio; ergo & gratia efficax non est prædeterminatio, sed inspiratio.

1. Argumentum inspiratio. Septimò considero quòd licèt Concilium loquatur de auxilio efficaci, non tamen de illo solo sed de sufficienti, id est, de vocatione, & inspiratione necessaria quæ aliquibus est efficax, & in aliis inefficax. Hoc videtur admitti ab omnibus Auctoribus citatis, non enim dicunt Concilium loqui de solo auxilio efficaci, sed loqui etiam de illo. Item, quia Concilium tradit doctrinam generalem de necessitate gratiæ, cum qua, & liberè consentit, & liberè etiam dissentit; loquitur ergo de auxilio tam efficaci, quàm sufficiente. Hinc ergo nouum argumentum sumo: nam Concilium dicens posse hominem abiicere inspirationem, seu posse illi dissentire, si velit, abstractè loquitur de inspiratione tã sufficiente, quàm efficaci, sed respectu sufficientis verbum *potest* accipitur in sensu composito, vt Aluarez fatetur dicta disput. 92. num. 8. ergo etiam respectu efficacis. Probatur consequentia, quia idem verbum in eadem simplici propositione vniformiter accipiendum est, & non equiuocè respectu diuersorum id enim non congruit, præsertim in doctrina fidei tradenda, ac definienda. Tum etiam, quia Concilium dicens liberum arbitrium aliquid agere, inspirationem illam recipiens, *quippe illam abiicere potest*, per relatiũ *illam* refert eandem omnino entitatem diuinæ inspirationis, quatenus habet virtutem mouendi, & inducendi arbitriũ in consensum & respectu illius dici voluntatem posse dissentire, etiamsi interdum non dissentiat; ergo semper facit sensum compositum respectu talis auxilij secundũ se spectati, solùm vt præueniens, ac necessarium est: ergo siue in re tale auxilium sit efficax, siue inefficax semper potestas resistendi illi est in sensu composito, quamuis non semper resistentia in actum rediga tur. Et augetur vis hujus rationis, quia ex mente Concilij eadem inspiratio eiusdem omnino entitatis, & virtutis, quem nostra voluntas aliquid agendo, liberè acceptat, posset ex eadem libertate voluntatis frustrari effectu. Ergo secundum entitatem suam eandem inspiratio præueniens est, quę interdum est efficax, interdum sufficiens; ergo etiam quando dicit Concilium, posse voluntatem dissentire, si velit, eandem potestatem tribuit voluntati respectu vtriusq; auxilij, vt præueniens est, etiamsi non semper æqualem effectum habeat; ergo si illa potestas est in sensu composito respectu auxilij efficacis. Quæ ratio in dicendis infrà in quæstione de operantibus inæqualiter, cum aliquali auxilio præueniente euidentior fiet.

Aluarez.

Octauò ita ex dictis argumentor, quia dicere posse dissentire vocationi, & addere, in sensu diuiso inuoluit repugnantiam, nam per hoc secundum destruitur primum. Patet, quia eo ipso, quòd sensus diuisus postulatur, requiritur, vt tollatur motio vt potestas dissentiendi in actum reduci valeat, at tunc illa cessatio, vel oppositio voluntas, non est dissensus, vt probaui; ergo potestas illo modo in sensu diuiso, non est ad dissentiendum, sed ad non volendum, ad aliud volendum absq; dissensu ad gratiam quæ iam non mouet. Vnde confirmatur, nam actu dissentire gratię vocanti, est cum illa actu instigante componere dissensum; ergo posse dissentire eidem gratię, est posse cum illa componere dissensum Nec per hoc fit transitus à sensu diuiso ad compositum, vt Aluarez dicit, & non probat, sed explicatur obiectum, & actus illius potentiæ, qui cùm in se, & ex propriis rationibus extremorum compositionẽ inuoluat, non potest attribui alicui facultati ob potestatem in sensu diuiso, sed in composito, aliàs non erit potentia ad talem actum.

2. Argumentum vltimũ.

Confirmatur.

Et confirmatur, ac declaratur, nam dissensus de quo loquitur Concilium, debet esse contrarius consensui, de quo idem Concilium loquitur; sed consensus non est posibilis nisi componendo actum consentiendi, cum motione gratiæ, quia cùm sit consensus supernaturalis, non potest esse nisi cũ motione gratiæ, ergo etiam dissensus includit compositionem cum eadem motione gratiæ. Patet consequentia, quia contraria quatenus opposita sunt debent versari circa idem simile, & dissimile, nam respectu diuersorum non erunt opposita, & ita est in proposito, nam dissensus, & consensus dicuntur quasi relatiuè ad gratiæ sensum, vt suprà dicebam, non sumeretur autem respectu eiusdem, nisi eandem motionem supponerent in voluntate, & cum illa vterq; componeretur. Vnde si quis petenti, num velit dare, dicetur consentire petitioni, & si stante eadem petitione nolit dare, erit simplex nolitio, non tamen erit dissensus, quia non dicit habitudinem oppositam eidem termino; ergo si detur motio gratiæ, cum qua coniungi non posit carentia actus, ad quem mouet, neque volitio illi opposita respectu talis motionis impossibilis est dissensus. Ergo in nullo sensu verum esse potest, quòd homo positi illi motioni dissentire, si velit, quia ad impossibile nulla est potentia.

2. Confirmatur, ac declaratur.

CAPVT XXXIX.

Ad fundamenta contrariæ interpretationis respondetur.

1. Refutatur dicta euasio & interpretatio.

TAndem refutamus dictam euasionem, & interpretationem de sensu diuiso, expendendo fundamenta, in quibus nititur, simulq; ostendendo, quàm sit ille sensus alienus à communi more loquendi, non tantùm in vulgari vsu hominum, sed etiam in Scriptura, & in ipso Concilio. Et quidem su primum fundamentum Dialecticum dignum profectò non erat, vt in tam graui puncto, & materia adduceretur, vt quia verbum *potest* inter extrema propositioni positum est, sensus diuisus, & non compositus. Igitur quia Paulus dixit, *Sine fide impossibile est placere Deo*, non erit id verum in sensu composito, sed in diuiso, quod apertè falsum est, nam illa duo componere, carere fide, & placere Deo, impossibile est: in sensu autem diuiso homo carens fide potest placere Deo. Item Esther. 13. *Non est qui possit resistere voluntati tuæ*, quod est verum in sensu

sensu composito, non in diuiso. Similia habentur
Iob 9. & 41. Iob. 9. 41. & semper ferè verbum *potest* interponitur, quia hic est communior modus enunciandi.
Concil. Trid. Eidem Concilium Tridentinum in simili forma loquendi sæpe vtitur verbo *posse* in sensu composito, vt in cap. 14. & 15. Can. 2. & 3. diligenter obseruat
Diotaleus. Diotaleu. cap. 6. Vbi etiam rectè notat in communi sermone cùm dicimus fœminam quantumuis rogatam posse non consentire, & hominem acriter tentatum posse resistere, intelligimus hæc dici in sensu composito, quoniam aliàs ridiculæ essent similes asseuerationes. Sicut etiam quod Christus
Luc. 10. Dominus dixit Luc. 10. *Quis Rex iturus committere bellum aduersùs alium Regem, non sedens prius cogitat, si possit occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se?* certè in sensu composito intelligendum est. Nam potestas in sensu diuiso, id est, ad occurrendum alteri, si desistat venire cum viginti millibus, & cum paucioribus veniat, inutilis esset, & impertinens ad deliberandum de bello committendo. Et confirmatur, nam si regula illa Dialectica forma est, erit vera hæc præpositio simpliciter prolata, *Voluntas Christi vnita verbo potuit peccare*, quo facto sensum diuisum, nimirum si dimittatur à Verbo, quæ tamen in communi sensu omnino falsa iudicatur. Ergo huiusmodi propositiones simpliciter, & sine alia declaratione prolatæ communiter faciunt sensum compositum, quando in similibus materiis proferuntur; ergo incredibile est Concilium in alio sensu fuisse loquutum.

2. Negatur, sensum diuisum sufficere ad intentionem Cõcilii.

Ad secundum negamus sensum diuisum sufficere ad intentionem Concilij, satis enim à nobis ostensum est, potestatem ad carentiam actus, vel ad actũ oppositum in sensu tantùm diuiso non sufficicere ad libertatem, nam talis potestas inueniri potest etiam in potentijs naturaliter agentibus, & in ipsa voluntate respectu illorum actuum, quos interdũ necessariò, & non liberè producit, vt de amore beatifico diximus, & de actibus indeliberatis, qui motus primò primi dicuntur, est euidens. Nam illos facit voluntas ex quadam necessitate contraria libertati, & nihilominus potest voluntas in sensu diuiso suspendere talem actum, & ab illo dissentire: nam licèt in sensu composito stante illa indeliberatione ex parte intellectus non possit cum illa coniungere suspensionem illius actus, vel habere dissensum illi contrarium, nihilominus cum illa indeliberatione, seu inaduertentia ex parte intellectus retinet voluntas intrinsecam potestatem, vt possit suspendere, & tollere à se illum actum, si ex parte intellectus consideratio antecedat, atq; adeò in sensu diuiso. Simile est de illo qui aliquid operatur ex ignorantia inuincibili antecedente, nam in eo non liberè, sed necessariò operatur, & ideo in eodem non peccat. Et nihilominus retinet potentiam in sensu diuiso ad cauendum tale opus, quia ignorantia illa non abstulit, nec diminuit voluntatis potestatem in actu primo, ratione cuius potest illud opus vitare, si ex parte intellectus ignorantia tollatur, & consideratio accedat, ac subinde in sensu diuiso. Hoc ergo argumentum ad hominem retorquetur, suppositio illo principio, quod in eo supponitur, nimirum Concilium loqui de illa potestate, quæ in voluntate sufficit, & necessaria est ad vsum liberum, sed potestas in sensu diuiso ad hoc non sufficit, vt satis superque ostensum est, ergo loquitur in sensu composito.

3. Ad tertium re põdetur circa verba *dissentiẽdi, ac resistendi.*

Ad tertium respondeo, verba *dissentiendi & resistendi* in præsenti materia æquipollentia esse, quia nihil aliud est resistere vocationi diuinæ, nisi illi non consentire, vel dissentire: sicut non est aliud resistere tentationi, quàm non consentire vel dissentire illi; nec aliter consulimus ei cui, vt resistat, nisi dissensum cõsulendo. Idem ergo est de resistentia vocationis Dei. Vnde quod Christus ad Hierusalem dixit Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti*, Stephanus dixit Actor. *Vos semper Spiritui S. resistitis, sicut patres vestri, ita & vos.* Et in eodem capite, prius de Moyse loquens subdit, *Cui noluerunt obedire Patres vestri, sed repulerunt, & auersi sunt cordibus suis*, in quibus verbis nolle obedire, est dissentire, repellere autem est resistere, & vnum per aliud explicatur. Deniq; satis à nobis declaratum est, quomodo in ipso verbo dissentiendi includatur renitentia quædam, ac subinde resistentia, quia dissensus dicit habitudinem contrariam cui dissentitur, eundemque sensum compositum inuoluit.

Et præterea ex eodem Concilio potest multis argumentis ostendi hanc fuisse illius mentem. Primò quia non est verisimile ex industria vitasse verbum *resistendi*, sed potiùs voluisse non solum in actu signato & confuso, sed etiam in actu exercito, & specifico explicare modum resistendi, qui est per dissensum. Secundò, quia verbum *abijcere*, satis apertè inuoluit resistentiam, sicut verbum *renuendi*, quod habetur Prouerb. 21. *Vocati & renuistis* & facilè possunt inueniri similia æquiualentia. Tertiò Concilium, vt diximus, generatim loquitur de vocatione, tam sufficienti, quàm efficaci; sed dissentire vocationi sufficienti est, illi resistere; ergo posse dissentire efficaci, est posse illi resistere. Quarto Caluinus ipse confessus est, multis sæculis traditum esse in Ecclesia, & creditum, *Gratiam ita mouere voluntatem, vt nostra postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari*; & in eo hæreticus fuit, quòd quam agnouit esse antiquam Ecclesiæ fidem, ausus est negare. At Concilium voluit antiquam fidem retinere, ac definire, & Caluino resistere; ergo voluit docere posse voluntatem refragari motioni gratiæ; at *refragari* idem est quod *resistere*. Adeo vltimò Patres Concilij Senonensis, cuius doctrinam tacitè approbauit Concilium Tridenti- *Conc. Sen. num*; expressè vsos esse verbo *resistendi*, vt infrà videbimus, vbi doctrinam hic datam amplius confirmabimus. *tom.*

Solùm hic adnotabo contradictionem, quam in sententia illius Auctoris inuenio; sentit enim hanc propositionem liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum potest resistere, si velit, in omni sensu falsam esse, iuxta suam sententiam, quia non potest facere sensum diuisum, quia verbum *resistendi* compositionem inuoluit. Quod non aliunde colligi potest, nisi quia resistentia in re, & actu non fit nisi facta compositione cum motione gratiæ, quia non existente contrario, vel aduersario, non est resistentia. Igitur quia resistentia actualis respectu motionis prædeterminantis est impossibilis, infert potestatem ad resistendum esse impossibilem, & consequenter illam propositionem, *Homo potest resistere efficaci motioni*, in omni sensu esse falsam, imò non esse capacem sensus diuisi, & ideo falsam esse. Deinde etiam fatetur actualiter dissentire motioni efficaci esse impossibile, quia idem est quod actualiter componere cum illa actum dissentiendi. Et nihilominus contendit propositionem illam, *liberum arbitrium à gratia motum potest illi dissentire*, admittere potest sensum diuisum, & in eo esse veram. Quod quidem solum dixit, quia non potuit repugnare Concilio Tridentino: non est tamen consequenter loquutus, quia non est minus de re impossibili, potestas dissentiendi motioni, quàm potestas resistendi, nec *dissentiendi* verbum minus inuoluit illam compositionem, quàm verbum *resistendi*, vt ostensum est. Imò ipse fatetur æquè falsas esse has duas propositiones de ineffe, *homo resistit motioni efficaci*, & *dissentit eidem motioni*, vel homo abiicit illam; ergo etiam hæ propositiones de possibili, homo potest resistere motioni, potest illi dissen-

Notatu tradit. Caluin.

dissentire, potest illam abiicere, sunt æque falsæ, & in omni sensu possunt admittere; vel si duæ posteriores sunt veræ, vt reuera sunt, ex doctrina Concilij, etiam prima est vera, & propositiones de in esse non sunt impossibiles.

6. Vltimi argumenti aduersarij pars prima, de sensu simultaneo.

Vltimum argumentum, quo nos redarguunt, quia eadem difficultas habet locum in nostra sententia quam nos per sensum compositum, & diuisum dissoluimus, tres habet partes, quibus sigillatim respondendū est. Prima est de concursu simultaneo, quæ non est ad rem. Tum quia Concilium expresse loquitur de motione præuia, quæ tempore, vel natura antecedit liberam determinationem voluntatis: tum etiam, quia est longè diuersa ratio nam auxilium simultaneum inuoluit liberum influxum voluntatis, sunt enim simul natura, imò in diuisibiliter eadē actio, & ideo nihil, mirū est, quòd illo posito voluntas, & libere operetur simpliciter, & necessariò ex suppositione, quia positionis illius inuoluit liberum vsum, & ita supposito illa non est antecedens, sed comitans. Et consequenter necessitas non est absoluta, nec repugnans libertati, quia est consequens advsum eius.

7. Declaratur differentia inter concursum simultaneum & motionē præuiam.

In quo est euidens differentia inter concursum simultaneum, & motionem præuiam, quæ ita breuiter potest declarari, quia sensus compositus inter simultaneum concursum ad consensum cum dissensu includit formalem compositionem inter cōsensum, & dissensum, & ideo qui dixerit, consentiens potest dissentire, statim intelligatur in sensu diuiso, quia aliàs diceret impossibilia, & quia nec consensus dicit habitudidem coniunctionis cum dissensu, nec è contrario sed potius dicunt habitudinem repugnantiæ inter se, & vterque dicit habitudinem coniunctionis cum eadem gratia, vel tentatione. At verò sensus compositus inter vocationem, vel motionem præuiam, & dissensum, non dicit compositionem inter consensum, & dissensum, sed inter principium consensus, & dissensus, ad quod principium tam consensus, quàm dissensus dicunt habitudinem coniunctionis, & ideo ille sensus compositus non solum non includit formalem repugnantiam, sed potius est necessarius ad veritatē propositionis, in qua simpliciter dicitur arbitrium vocationi, inspirationi, consilio, petitioni, vel motioni simplici posse consentire, vel dissentire, si velit. Immeritò ergo nos arguunt quòd eadem distinctione sensus compositi, & diuisi, quam in illis impugnamus ad nostram defensionem vtamur. Respondemus enim esse eandem verbis, non sensu, vel quod perinde est, nos non impugnare distinctionem secundùm se, & absolutè spectatam, sed abusum vel malam applicationem eius sine vllo delectu. Nam ad motionem præuiam, ex qua sequitur necessitas antecedens, male applicatur: ad motionem autem concomitantem, ex qua solum sequitur necessitas consequens, optimé accomodatur. In præsenti autem pacto maximè reprobamus vsum illius distinctionis ad explicationem Concilij cuius doctrina per malam applicationem illius distinctionis planè euertitur, cùm Concilium apertè in sensu composito loquatur: quod nobis non obstat, quia vt dixi; quando dicit, *potest illi dissentire*, vel *abijcere illam* non refert auxilium simultaneum, sed præuiam motionem, vt in litera manifestum est.

8. Pars secunda de prædeterminatione morali.

Secunda pars erat de prædeterminatione morali, de qua possumus in primis respondere, illam obiectionem nihil referre ad explicationem Concilij, quia illud non sequitur de motione prædeterminante siue physicè, siue moraliter, sed simpliciter de vocatione, qua homo conuerti potest, & ei resistere. Quia verò doctrina Concilij habere potest locum, etiam in vocatione moraliter prędetermina-

te, & vt res explicetur, dicimus vlteriùs, prædeterminationem moralem, prout in superioribus, & lib. 3. de auxiliis, declarata est, non esse prædeterminationem simpliciter, ideoque absolutè non repugnare cum illa coniungi dissensum, ac proinde etiam in sensu composito verum esse, posse hominem illam abiicere, & illi dissentire, si velit. Satis enim efficax ad prædeterminandum moraliter fuit vocatio Pauli, & tamen Anselmus exponens Verba orationis Dominicæ, *Fiat voluntas tua* de illa sic ait, *In Paulo videtur cogens voluntas Dei, sed non est, quia licèt sit præuisus, tamen voluntas erat libera, & ei resistteret, si vellet*, quia illa vocatio secundum se, & absolutè spectata, non inferebat necessitatem etiam in sensu composito, ad quod fatendum etiam Concilium Tridentinum cogit, quia indifferenter, & vniuersaliter de vocatione diuina loquitur. Vnde fit ex tali auxilio moraliter tantùm prædeterminante, non sequi infallibiliter consensum, vtique per se, & simpliciter, sed tantum secundum quid, id est, moraliter. Eo tamen modo, quo illa prædeterminatio est antecedenter moraliter efficax, minuit profectó liberatē, sicut concupiscentia antecedens minuit illam, & ideo licet sic vocatus possit simpliciter dissentire, moraliter autem non potest. Et ita nulla est repugnantia in doctrina, sed magna consecutio, & tota doctrina Concilio est consentanea.

Anselmus.

9. Pars tertia de vocatione congrua.

Tertia pars erat de vocatione congrua, quæ ex dictis in superioribus expedita est. Distinguenda enim est vocatio illa vel per se, & secundùm entitatē absolutam, vel prout inuoluit habitudinem congruitatis. Priori modo spectata, non habet per se, ac necessariò, quòd sit efficax. Vnde illi homo potest resistere, & dissentire, si velit, idque velle potest, simpliciter loquendo, etiam in sensu composito, quia absolutè non repugnat dissensum coniungi actu, cum tota illa vocatione, totaq; eius entitate & virtute secundum se spectata, nec ex vi illius est infallibile quod sequatur consensus. Et ita omnia quæ docet Concilium, in illa locum habent in eodem sensu composito quem tradidimus, neq; propter vocationem congruam, seu efficacem nos explicamus Concilium in sensu diuiso, etiam respectu illius, neque ad hoc vtimur illo modo illa distinctione sensus compositi, & diuisi: at verò considerando vocationem congruam, vt congruam, & sub habitudine, quam sub ea ratione inuoluit, & sub hac formalitate talis vocatio est gratia efficax, & illi resisti non potest, & simpliciter homo non potest illi dissentire, quia iam inuoluit sensum cōpositum. In quo sensu etiam est impossibile hominem cum illa vocatione non consentire, sine præiudicio tamen libertatis, quia illa suppositio sub illa formalitate non est suppositio antecedens simpliciter sed consequens, quia supponit vsum libertatis futurum cum auxilio simultaneo. Et licet vocatio congrua, etiam vt congrua præcedat influxum liberi arbitrij, vt in reipsa datur, non tamen præcedit illum vt futurum, imò supponit illum in præscientia præsentem, & ex hac parte est suppositio concomitans, ex qua solùm sequitur necessitas consequēs quæ libertatem quam supponit, non aufert. Concilium autem Tridentinum non est loquutum de vocatione hac sub illa formalitate congruitatis, sed simpliciter de vocatione, & inspiratione, quam homo liberè recipit, & ideo de illa, & de omni vocatione verum est, in sensu composito posse hominem illi dissentire, si velit.

* * *

CAPVT XL.

Ex aliijs locis eiusdem Concilij Tridentini eadem veritas confirmatur, & aliys obiectionibus occurritur.

QVod hactenus tractauimus, est præcipuum testimonium, quoad confutandam physicam prædeterminationem, & consequenter nostram sententiam fundandam, vti solemus. Nec eorum reprehensionem veremur, qui mirantur adeò nos hoc testimonio permoueri, *cùm res*, (vt aiunt,) *sit clarissima, & facillimè dissoluatur*. Hactenus enim nullam responsionem cogitare potuimus, nec in eorũ libris legimus, præter eas, quas retulimus, quæ an sint claræ, vel satisfaciant, iudicio aliorum sapientium remittimus. Existimòq; rem esse dignam Põtificis summi declaratione: nam agitur de intelligẽtia eiusdem definitionis fidei contra hæreticos huius temporis, ex cuius vera interpretatione, & Cõcilij grauissimi auctoritas, & sincera doctrina in articulis de gratia, & libero arbitrio pendet. Possumus autem hoc aliis testimoniis, & verbis eiusdem Concilij confirmare, quia licèt per se non conuincant, iuuant tamen, tum ad intelligendum mentem Concilii esse, quam diximus: tum etiam ad cõfirmandam veritatem, quam intendimus per illationes valde vrgentes ex principiis fidei ab eodẽ Concilio traditis.

2. Expenditur locus Concilij quòd vnusquisq; iustificatus accipiet suã iustitiã iuxta mensurã.

Primò expendimus quod Conciliũ cap. 7. eiusdem sessionis ait, vnumquemque iustificatum suã iustitiam recipere secundùm mensuram, *quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem*. In quibus verbis solùm ponderamus duas causas, seu mensuras assignare Concilium quantitatis gratiæ, quæ vnicuique homini in sua iustificatione tribuitur. Primaria est voluntas Dei, secundaria, est libera voluntatis nostræ cooperatio; frustra autem Concilium hanc secundam partem adiunxisset, si modus cooperationis nostræ in physicam prædeterminationem, tanquam in vnicam radicem, & causam reducenda esset. Nam licèt verum sit gratiam infundi vnicuiq; iuxta mensuram dispositionis suæ, & dispositionem esse maiorem, vel minorem iuxta vniuscuiusque cooperationem, nihilominus iuxta illam sententiam in vnoquoque est maior, vel minor, coóperatio, quia maiori præuia motione prædeterminatur, quia sicut homo conatur ad volendum, quia prædeterminatur physicè, ita magis conatur, quia intensiùs, & fortiùs prædeterminatur: prædeterminatio autem datur maior, vel minor non ex hominis dispositione, sed ex sola Dei voluntate. Imo vt ipsi aiunt entitas ipsa auxilij prædeterminantis, non habet illam efficacitatem, nisi vt est instrumentum diuinæ voluntatis efficacis, & præfinientis, vt voluntas creata tãto conatu, & nõ maiori, neq; minori, operetur; ergo superuacaneũ, & friuolum est, illas duas mensuras tanquam distinctas assignare, sed oporteret dicere solam Dei voluntatem distribuentem, vnicuique prout vult, & gratiam, & dispositionem, & conatum ad illam, & prædeterminationem ad conatum esse mensuram iustitiæ, quę vnicuique infunditur, quod certè valde alienum videtur ab illo modo loquendi Concilij. Vnde etiam ipse Caluinus in illis verbis intellexit, voluisse Concilium suam efficacem motionẽ damnare, quæ necessitet voluntatem ad cooperandum, vt refert Ruardus dicto art. 7. ostendimus autem prædeterminationem physicam ad vnum in reipsa non differre á necessitate.

Ruradus. Prædeterminatio physica ad vnum, in reipsa nõ differt à necessitate.

3. Confirmatur.

Quod ita confirmari potest ex prædicta definitione. Nam si præuia gratiæ motio necessitaret voluntatem, etiam coefficientia voluntatis posset esse maior, vel minor eum eadem necessitate, & consequenter actus posset esse intensior, & remissior, & illi posset etiam respondere habitualis forma gratię intensior tanquam dispositioni physicæ, non verò vt dispositioni morali, quę cooperationi ipsius hominis tribueretur, quia ipse non esset causa moralis illius maioris vel minoris conatus, sed sola motio diuina. At verò eadem ratio est, si voluntas physicè prędeterminatur ad tantum, vel tantum conatum, quia eo ipso quantitas potestatis non est in potestate morali, ac libera voluntatis, quia si prædeterminatur ad conatum vt sex, impossibile est nõ conari ad illos gradus, & impossibile est plus conari; ergo superfluè, & nomine potius, quàm re diceretur mensura gratiæ reduci in suo genere ad quantitatem cooperationis hominis, si illa non est in eius potestate morali, sed à sola extrinseca motione, eiusque quantitate pendet. Quocirca cùm Concilium duas quasi mensuras quantitatis iustitiæ ponit, diuinam scilicet voluntatem, & conatum humanæ voluntatis, tacitè nobis innuit mirabilem virtutem, & sapientiam Spiritus sancti. Nam licèt sua voluntate in ordine suæ prædestinationis, seu intentionis præfiniat quantitatem gratiæ, & iustitiæ quam vnicuique infundere vult; nihilominus in executione huius voluntatis ita se accomodat libertati humanæ voluntatis, vt illius libertati, per cooperantem, & simultaneam gratiam adiuuandę determinationem eius, & modum determinationis, cum tanto, vel tanto conatu committat. Et vt vniusquisq; homo hoc faciat, vt ab intentione suæ voluntatis non discrepet, vnicuiusque voluntatem præparat, non prędeterminando, sed vocando vnũquemque prout nouit ei congruere, vt se disponat ad eam gratiæ quantitatem obtinendam, quam Spiritus sancti eam habere decreuerat.

Secundó expendi pro nostra sententia possunt verba eiusdem Concilij in cap. 11. & Can. 18. vbi docet ac definit, præcepta Dei non esse hominibus ad seruandum impossibilia. Nam hæc veritas cum necessitate physicæ prædeterminationis non potest subsistere respectu illorum hominum, qui de facto præcepta non seruant. Quod ita breuiter declaro: nam vt obseruatio præcepti sit possibilis homini, necesse est, vt, in eo instanti, in quo homo seruaturus est, vel pro sua libertate violaturus præceptum prius natura, quàm consensum, vel dissensum, circa obseruationem præcepti eliciat, simpliciter, & proximè sit potens ad aliciendum actum voluntatis, quo obseruet præceptum; sed nullus qui in eo instanti præceptum violat, habet in illo priori naturæ talem potestatem ad seruandum præceptum; ergo nulli homini de facto non seruanti præceptum, est possibile facere illud. Consequentia euidens est. Maior autem est manifesta, quia, vt actus sit liber, oportet, vt potentia sit libera, ac proinde potens ad vtrumlibet pro eodem instanti, pro quo actus fit. nam quod antea fuerit libera, parum confert ad libertatem præsentis actus, si in hoc iam potentia sua libertate priuata est; ergo debet esse libera in ipsomet instanti, in quo libere operatur; ergo etiam debet esse potens ad vtrumlibet. Non potest autem hæc indifferentia esse in potentia, vt iam compossita cum vno actu in eodem instanti, vt per se patet; ergo debet esse pro illo instanti, vt intelligitur, facultas esse prius natura, quàm vnum, vel alium actum eliciat. Nec sufficit quælibet potentia, sed debet esse proximè sufficiens ad vtrumq;, quia remota potẽtia, cum nouo complemento indigeat, & ideo libertas consideratur in potentia cum omnibus requisitis ad agendũ, quæ est potentia proxima. quæ omnia ex dictis in Prolegomeno, manifesta sunt.

Ita ergo probatur minor ex duplici capite, seu principio

Explicatio Concilij Dei præcepta hominibus possibilia.

cipio in aliorum sententia. Primò, quia qui in hoc 5.
instanti non seruat præceptum prius natura, quam habeat actum, vel omissionem liberam contrariam præcepto, caret prædeterminante auxilio ad actum, quo seruandũ esset præceptum: ergo caret potestate proxima ad illud seruandũ; hac enim completur auxilium prędeterminans, dat enim posse, vt sibi négare non possint. Et licet non daret posse, sed tantum esset necessariũ ad agere, qui illud non habet datum, non habet etiã oblatum, neq; vllo modo illud habet in sua potestate proxima ad seruãdũ præceptũ. Et consequenter é conuerso præceptũ est illi ad obseruandũ impossibile. Secũdò ex alio capite, quia illemet homo prius natura quàm in alterutram partẽ seruandi, vel violandi præceptum determinetur, prędeterminatur à Deo ad actum nolẽdi seruare præceptum; ergo eo ipso in illo priori naturę caret potestate proxima ad seruandum præceptũ est illi ad obseruandum impossibile. Probatur hæc consequentia, quia cum tali prędeterminatione est impossibile coniungere volitionem seruandi præceptum, quia impossibile est cum tali prædeterminatione non coniungi actum ad quem prędeterminat, quia actus est impossibilis cum alio quo seruandum esset præceptum.

Neq; hic potest applicari distinctio de actu materiali, vel formalitate peccati quia satis est prædeterminatio ad actum materiale nolendi, vt volitio contraria sit incompossibilis cum tali prædeterminatione. Nec etiã hîc habet locum distinctio de sensu compósito, & diuiso, quia potentia in sensu tantùm diuiso non est potentia proxima; neq; est sufficiens ad libertatem, vt satis iam ostensum est. Hoc ergo argumẽtum efficaciter, vt credo, conuincit necessitatem prædeterminationis physicæ, esse contrariam possibilitati mandatorum, quam Concilium definit. Verumtamen si quis consideret, hoc argumentum coincidit cum suprá facto de sufficientia auxilij, quia si necessarium est auxilium prædeterminans, sine illo non datur auxilium sufficiens, & hinc consequenter fit, vt præcepti obseruatio fiat impossibilis non seruanti illud. Solum ergo in præsenti additur, illud eósequens esse cótra doctrinã Concilij. Addi etiã potest inde sequi transgressionem præcepti non esse liberam, nec posse ad culpam imputari, quia si consistat in omissione, necessario sequitur ex carentia prædeterminationis; si verò sit in actu positiuo, hic necessariò habetur; posita prædeterminatione, quam vitari non potest homo, si Deus illam imprimat. Et hæc argumenta varijs modis vrget & locupletat Diotaleus cap. 5. 6. Diotalen.

Tertiò ponderari potest, quod idem Concilium in eodem cap. 11. dicit, *Deum non deserere iustum, nisi prius deseratur ab ipso*, quod etiam repetit idẽ Concilium in cap. 13. Quod dogma verum esse, quoad auxilium efficax præcedẽti lib. 4. cap. 2. ostendimus. At si auxilium efficax in prædeterminatione consisteret, negaret illud Deus iustis antequam desereretur an ipse, sicut negauit illud Adamo, priusquã peccaret, & negat illud paruulo baptizato cùm primum venit ad vsum rationis, & primum peccatum commisit, & in vniuersum negat illud cuilibet prius iustificatio, in illo primo peccato quo gratiã amittit, quia in omnibus his casibus in illo instanti, in quo quis erat iustus, primò peccat prius natura, quam peccet, caret prædeterminatione ad non peccandum, & consequenter sine culpa sua. Imó quod grauius est, habet prædeterminationem ad actum, cum quo non potest præceptum seruare; ergo tale auxilium efficax, & eius necessitas, est contra mentem Concilij, & contra alia verba, quæ in eodem cap. 13. de iustis ait, *in Dei auxilio fortissimam spem collocare, & reponere omnes debent*. Nam in auxilio sufficiente solo, & per se spectato, nullus potest spem ponere, si præter illud, est aliud necessarium ex parte Dei, & non datur, vel non speratur eadem firma spe. Parùmque id refert dicere illud aliud auxilium esse necessarium ad operari, non ad posse. Nam Concilium loquitur de spe auxilij necessarij ad operandum, & perseuerandum actu, & non tantùm ad posse perseuerare. 7. Ponderatur locus Concilij *Deum non deserere iustum, nisi prius deseratur ab ipso*. 8

At verò si auxilium efficax in illa prędeterminatione consistit, quam Deus pro sua sola voluntate dat cui vult, & negat cui vult, expectata ex parte eorum ratione, vel cooperatione, profectò nemo potest tale auxilium sperare illa firmissima spe; ergo nec potest in tali auxilio spem suã firmissimã collocare, quia firmissima spes fundatur in promissione diuina; nemini autem Deus tale auxilium promisit. Nam vel est promissio particularis, & de hac sine reuelatione cõstare non potest, vel est generalis facta omnibus, & hæc vel est absolutè facta, & hoc non, aliás in omnibus haberet effectum, vel sub aliqua conditione necessaria ex parte hominis, & ex eius libertate dependente, & hoc etiam non potest dici quia suprà latissimè ostensum est, auxilium prædeterminans nõ posse dependere ex libera dispositione vel obice hominis. Ergò iuxta illam sententiam nullo modo potest homo firmissimè confidere in diuino auxilio, sed potius semper timere, ne ab ipso pro sola sua voluntate deseratur per negationem talis auxilij, vel etiam per impressionem prędeterminationis ad actum malum, quæ summa est desertio, etiamsi actus ille materialiter consideretur. Vnde etiam concluditur ex mente Concilij, auxilium efficax tale cogitari debere vtá Deo fuerit promissum sub illa saltem conditione, quod *nisi ipsi gratiæ defuerimus, sicut cœpit opus bonum, ita perficit*, operañs velle, & perficere, quæ conditio non potest esse alia, nisi actualis cooperatio ex parte liberi arbitrij, quam respicit auxilium efficax, & quoad effectus executionem per illam consummatur. Et quia illa cooperatio semper est homini libera, ideo dicit Concilium, esse in potestate hominis illã conditionem implere quę necessaria est, vt ab ipso Deo non deseratur. Atque hoc etiam argumentum prosequitur latè Diotaleus dicto cap. 5. Nos autem in dicto cap. 2. libri præcedentis omnia, quæ ad illud confirmandum conducere possunt, diximus. *Diotalen.* 9.

Ex his satis probatum credimus, illum modum auxilij efficacis prædeterminantis vel contrarium esse Concilio, vel certè á mente ipsius alienum. Nunc breuiter alteram partem, quam proposui, ostendo, nimirum nihil esse in Concilio, quod auxilio efficaci congruę vocationis repugnet, aut minus consonum videri possit. Tria enim loca solent nobis ex illo obiici. Primum est in Can. 3. in quo definit, *sine præuentione Spiritus sancti inspiratione, atq; eius adiutorio, neminem posse credere, sperare, diligere, aut pœnitere sicut oportet*. sub quo subsumitur, si voluntas hominis non prædeterminatur à gratia, seipsam ad actum sine adiutorio gratiæ se determinare, ac proinde se disponere ad gratiam, quod est contra verba Canonis. Sed friuola est illa subsumptio, nam quasi principium in nostra sententia est, voluntatẽ diuina inspiratione excitatam, sine adiutorio gratiæ etiam physicé efficientis, non posse velle aut se determinare ad agendum aliquid, sicut oportet ad salutem. Vnde efficacius nos conuertimus argumentum ex illo Canone sumptum: nam si doctrina Concilij sufficiens est, vt esse debet, inde colligimus ad hos actus requiri prædeterminationem. Nam sicut dixit sine inspiratione, & adiutorio non posse actus illos fieri, neque etiam gratiam esse necessariam. Sed potest dari inspiratio, & adiutorium sine determinatione, vt in superioribus probatum est, quia potest dari principium adiuuans, & non

Solutuntur obiectiones

Obiectio prima.

Euertitur.

prædeterminans physicè potentiam, & potest dari actuale auxilium adiuuans, quod nõ sit inspiratio, nec præueniens motio, ac proinde neque prędeterminans. Ergo quidquid additur est præter doctrinam datam à concilio in illo loco. quod potest confirmari ex cap. 16. vbi numerans auxilia quæ Christus in iustificatos influit, & optimè possunt sine prædeterminatione subsistere, addit Concilium, illis positis nihil iustificatis deesse ad bene operandum, & mærendum.

10. Secũda obiectio.

Alter locus est Canon. 4 Nã quia Concilium ibi dicit *liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum*, &c. *posse dissentire, si velit, & aliquid agere, neque merè passiuè se habere*, inferunt, cum dicit, *motum, & excitatum*, præter excitationem ponere motionem, quæ non potest esse nisi prædeterminatio, ac subinde cùm dicit, *posse dissentire si velit*, solum docere, per illã motionem non auferri à voluntate libertatem, quam habet innatam, ac proinde posse dissentire in sensu diuiso. Ac deniquè ex eo, quod concilium contra Lutherum docet, aliquid agere liberum arbitrium, quia non merè passiuè se habet, colligunt sensisse Concilium, hoc satis fuisse ad damnandum etiam Caluinum, quia si voluntas agendo consentit & cum potestate dissentiendi, non potest non liberè agere.

11. Eiditur.

Sed hęc quàm sint contraria verbis, & intentioni Concilij, satis á nobis ostensum est, & breuiter declaratur. Nam in primis cum dicit, *motum & excitatum*, gratis fingitur particulam *motum* idem significare, quod *prædeterminatam* Nam si attendamus ordinem litteræ, prius dicit, *motum* quàm *excitatum*: cum tamen si detur prædeterminatio, excitatio debeat illã præcedere; si verò vim vocis spectemus, *motum* vniuersalior est, quàm *prædeterminatum*, vel excitatũ. Non oportet ergo per illas duas voces, duas distinctas mutationes intelligere, sed quod per vnam dictum fuerat generali verbo, per alteram magis in specie declaratur. Vel certe, quia liberum arbitrium dicitur moueri obiectiuè, per intellectus illuminationem, & obiecti propositionem, quæ motio quoad voluntatem, est quodammodo metaphorica, fortasse insinuare voluit Concilium liberum arbitrium non solùm habere esse motum, vtique illo modo, sed etiam excitatum per aliquam affectionem in illo formaliter receptam, vt lib. 3.

12. explicatum est.

Fortè tamen sine vllo misterio duas voces posuit Concilium ad maiorem rei expressionem, sicut ibidem, subiungit *assentiendo Deo excitanti, atque vocanti* quæ duę voces ferè æquipollentes sunt, vel eandem rem sub diuersis respectibus significant, & de neutra earum fingi potest, quod prædeterminationem significat. Vnde quod Concilium addit *posse dissentire, si velit*, euidenter destruit prædeterminationem, quia necesse est loqui de potestate in sensu cõposito, vt probatum est, qui sensus est impossibilis, & contradictionem inuoluit cum physica prædeterminatione, vt in cap. 11. ostensum est. Quapropter quod tandem addit Concilium *liberum arbitrium aliquid agere*, non physice tantum, sed etiam moraliter intelligendum est, prout agere dicitur, qui est dominus suæ actionis. Vnde in cap. 5. inde probat liberum arbitrium aliquid agere recipiendo inspirationem, quia illam abiicere potest, quia nisi ageret, vt habens dominium sui actus, non posset inspirationem abiicere. Vnde in hoc etiam distinguit hominẽ á brutis vel inanimatis, quæ comparata ad hominẽ nõ agunt, licèt efficientiã physicã habeãt.

Tertius locus est in cap. 16. vbi Concilium ait, *Non habere hominem vnde in se, & non in Domino glorietur, cuius tanta est bonitas erga homines, vt eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.* At vero si determinatio ad consensũ esset ita propria humanæ voluntatis, & nõ esset ex prædeterminatione Dei, iam haberet homo aliquod omnino propriũ, vnde in se, & non in Domino gloriaretur, vtiq; in sua determinatione, quæ magni momenti est ad meritum. Imo cum actus solum imputetur homini ad meritum ratione illius determinationis, non rectè diceretur Deus imputare nobis ad meritum sua dona, sed determinationem nostram nobis omnino propriam.

13. Obiectio extia.

Respondemus etiam in hoc argumento tacitè inuolui illam pessimam illationem, quod determinatio nostra libera, si non sit ex prædeterminatione physica Dei, non sit donum Dei, quod falsum omnino est, quia vt actus nostri sint dona Dei, non oportet quod sint ex prædeterminatione diuina, sed vt idem Concilium dicit, satis est, quod *sint ex virtute à Christo infusa, quæ talia opera antecedit, comitatur & subsequitur, sine qua Deo grata esse non possent*, quæ omnia habent nostra bona opera sine prędeterminatione, nam illa antecedit virtus gratiæ excitantis, comitatur virtus gratiæ adiuuantis, subsequitur vero quatenus ad perseuerandum in gratia, bona opera multiplicando, eadem antecedens, & comitans virtus necessaria est. Cum ergo tota hęc virtus optimè sine prædeterminatione subsistat, non est necessaria ex mente Concilij prædeterminatio, vt nostra bona merita dona sint Dei. 14. Solutio

Et ob eandem causam, non sequitur posse nos in nobis, & non in Deo de aliquo nostro bono gloriari: nam ipsa libera determinatio, etiamsi à nobis sit, est donum Dei, quia ab eius vocatione congrua, & auxilio nos adiuuante procedit, & qui sic de illa gloriatur, non in se, sed in Domino gloriatur. Scriptura enim (quod attentè considerandum est) cuius verba Concilium vsurpat, nõ prohibet simpliciter gloriari, sed in se, nõ in Domino, vt Ierem. c. 9. significauit, & exposuit Paulus 1. Cor. 1. & 2. Cor. 10. vbi simul prohibemur gloriari in nobis. Cõceditur autem nobis in Domino gloriari. At verò *sicut ex Pelagiano errore sequitur gloriatio hominis in seipso*, ita ex prædeterminatione physica tollitur omnis gloriatio in Domino, quia tribuitur opus gratię, vt nulla gloria possit ex eo in hominem redundare etiam in Domino, quia determinatio ad bonum opus nullo modo est à libertate ipsius hominis, sed ex sola impressione diuina. Concilium autem cum Paulo ita cõiungit gratiæ influxum cum operatione nostra libera, vt non possit homo in se gloriari in Deo autem possit. 15. Ioan. 1. Cor. 1. Cor. 10. Expendi Conc. Arausic.

CAPVT XLI.

Expenduntur Canones 4. Concilij Mileuitani, & Arausicani, & an Deus expectet hominu voluntatem, exponitur.

PRæter Concilium Tridentinum nulla generalis Synodus aliquid de gratia in particulari definiuit. nam licèt Ephesina Synodus Pelagianos damnauerit, non tamen ex professo doctrinam fidei terradidit, sed solùm Cælestini Papæ sententiã amplexa est, vt in 6. Prologomeno retuli. Et ideo solùm de Conciliis Prouincialibus dicendum superest: nam illorum etiam auctoritas magni ponderis est, & ita illa vtitur sæpe Augustinus in hac materia, vt videre licet in Epist. 90. & sequentibus, & in 105. & lib. 3. contra Iulianum cap. 1. & sæpe alias. Inter Concilia autem Prouincialia, quæ de gratia scripserunt, Mileuitanum, & Arausicanum sunt firmioris auctoritatis, quia & á Sede Romana probata sunt, & antiquissima traditione, & cõsensu totius Ecclesiæ sunt roborata, vt in 6. Prologomeno visũ est, & vnũ cõtra Pelagianos, aliud, cõtra Semipelagianos pugnauit. Augustin. Concilium Milevitan.

Ex his verò Conciliũ Mileuitanũ octo tantùm habet canones ad gratiam spectantes, ex quibus duo quorum primi de peccato originali, eiusque remissione per

per Baptiſmum definiunt, in tertio verò, quarto, & quinto neceſsitas gratiæ adiuuantis ad cauenda peccata docetur. De quo adiutorio in ſexto, ſeptimo, & octauo traditur, in hac vita non eſſe tale, vt ad viuendum ſine vllo peccato ſufficiat. Ex omnibus ergo illis capitibus tantùm hæc verba quæ in Can. 4. leguntur, aliquid poſſunt ad præſentẽ cauſam conferre. *Per gratiam non ſolùm nobis reuelari, quid vitare debeamus, ſed etiam nobis præſtari, vt faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus, atque valeamus.* Quæ poſſunt in hunc modum pro phyſica prædeterminatione induci, quia cùm illud Concilium ait, per gratiam præſtari, non intelligit tantùm moraliter, ſed etiam verè efficienter, ac phyſicè; ergo efficit in nobis gratia, & vt valeamus diligere, & vt diligamus: primum autem præſtat per gratiam ſufficientem; ergo ſecundum præbet per efficaciem; ergo per gratiam prædeterminantem. At verò in hac inductione cæteris omnibus conceſsis hæc vltima conſequentia nullius momenti eſt; præſtat enim nobis Deus tam moraliter, quàm phyſicè, vt ipſum amemus, moraliter quidem per gratiam efficacem præuenientem, congruè nos vocando; phyſicè verò per gratiam concomitantem, & ſimultaneam phyſicè nos adiuuando, quod optimè fit ſine vlla prædeterminatione, vt ſæpe eſt à nobis explicatum. Cùm ergo illud Concilium, non aliud gratiæ adiutorium requirat, potiùs ex illius negatiua auctoritate contra prædeterminantis gratiæ neceſsitatem argumentamur. Nec in illo Concilio aliud in hac cauſa conſideratione dignum inuenio.

Ex Concilio Arauſicano generaliter obiiciuntur nobis illæ locutiones *Ipſa gratia facit vt inuocetur a nobis*, Can. 3. *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum, vt operemur, operatur*, Can. 9. *Nemo ex eo quod videtur habere, glorietur tanquam non acceperit*, Can. 16. *Multa in homine bona, fiunt quæ non facit homo, nulla verò facit homo bona, quæ non præſtet Deus vt faciat homo*, Can. 20. *Prorſus donum Dei eſt diligere Deum, ipſe vt diligeretur dedit.* Ac denique adduntur illa in quibus neceſsitas præuenientis auxilij definitur. Verumtamen hæc omnia confirmant potiùs noſtram ſententiam, quàm oppugnent, quatenus tantùm docent nos moueri, & iuuari à gratia per inſpirationes præuenientes, & adiutorium comitans, & ſimultaneum: nec alicuius auxilij prædeterminantis mentionem faciunt. Illud enim duo auxiliorum genera per illa verba indicantur, *Deus in nobis atque nobiſcum operatur.* Dicitur enim Deus operari in nobis, quando ſolus ipſe nos mouet, operatur autem hoc modo illuminationes, & inſpirationes ſanctas nobis infundendo, vt idem Concil. dicit Can. 45. & 6. & 7. & per eaſdem dicit facere Deum, vt ipſum inuocemus, oremus, amemus, ſeu velimus, & ſicut oportet operemur: per inſpirationes autem, & illuminationes non prædeterminatur phyſicè voluntas, vt iam oſtenſum eſt. Quòd ſi vis fiat in verbis *factendi, & operandi*, quæ ſignificant efficientiam phyſicam; idem reſpondemus quod de ſimilibus verbis Scripturæ diximus. nam Concilium loquitur imitando Scripturam, & proximè imitatur Auguſt. de quo poſtea dicemus. Ac deniq, ipſummet Concilium ſenſum ſuorum verborum ſatis explicuit per verba *illuminandi & inſpirandi*, per quæ dicit in Dan. 7. *Dare Deum ſuauitatem in conſentiendo & credendo.* & Can. 17. dixit, *fortitudinem Chriſtianorum Chriſtiana charitas facit*, vbi verbum *facit* moralem certè cauſalitatem ſignificat, & Can. 23. inquit. *Quando homines ita faciunt, quod volunt, vt diuinæ ſeruiant voluntati, quamuis volentes agant, quod agunt, illius tamen voluntas eſt à quo præparetur, & iubetur, quod volunt.* quæ eſt ſententia Auguſt. tract. 19. in Ioan. & apud Proſper. 336. aliàs 338. Apud Auguſtinum autem voluntatem præparari à Domino, non eſt prædeterminari, ſed congruè vocari, vt in proprio capite oſtendemus. Sed aiunt, Concilium dicit hoc fieri in nobis per operationem diuinam, operatio autem diuina quid phyſicum eſt. Reſpondeo, etiam inſpiratio eſt quid phyſicum, nam eſt diuina operatio, & non ideo prædeterminat.

Obiectio. Soluitur.

Præter hæc, quæ generalia ſunt, expenduntur contra nos duo alij Canones eiuſdem Concilij. Prior eſt Can. 4. vbi Concilium damnat, *Si quis dixerit, vt à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare*, &c. Nam ex noſtra ſententia ſequitur Deum expectare voluntatem noſtram, vt eam à peccato purget, hoc autem eſt contra dicta verba Concilij, vt patet: ergo. Maior, ſeu ſequela probatur, quia Deus non purgat voluntatem à peccato, niſi iam conſentientem, determinatam; ſed Deus, (vt nos dicimus,) non efficaciter facit vt determinetur; ergo expectat illam vt ſe determinet, & ſic à peccato purgetur. Ad hunc canonem reſpondi l. 3. de Auxiliis c. 15. Deum non expectare voluntatem hominis non vocati, vt illũ vocet, expectare tamẽ voluntatem hominis iam vocati, vt conſentiat.

4. Adducuntur & expẽduntur duo alij Canones eiuſdẽ Concilij.

Hoc verò reſponſum acriter reprehenderunt, qui poſtea pro auxilio prædeterminante ſcripſerunt. Ex quibus Cumel. dicto lib. 1. diſp. 4. ſect. 3. parum à principio dixit eſſe ſententiam falſiſsimã. Alij verò dicunt eſſe contra illud Concilium, quia ſenſus illius Canonis, vt aiunt, eſt, quod licèt quis habeat auxilium ſufficiens ad conuerſionem, & purgationem peccatorum, Deus poſtea non expectat noſtram voluntatem, vt actu velit purgari & conuerti. Hunc autem eſſe ſenſum Concilij probat Aluarez ex contrario errore Maſsiliẽſium, quod Concilium damnat. Maſsilienſium enim ſententia erat, poſtquam Deus vocat hominem ad pœnitentiam, expectare eum, vt ſi velit, conſentiat, non autem efficere, vt efficaciter, & infallibiliter præbeat aſſenſum; ergo hoc eſt quod damnat Concilium. Antecedens probat ex epiſtolis Proſperi, & Hilarij ad Auguſtinum, & epiſtola 107. Aug. ad Vitalem. Et ad idem ponderat verba Concilij, quia non damnat dicentes, Deum expectare noſtram voluntatem, vt illam excitet, ſed non expectare, vt illam à peccato purget. Et addit rationem *quia vt purgari velimus, fit in nobis per Spiritus ſancti illuminationem*, quæ debet eſſe operatio phyſica, de qua etiam loquitur Paulus, quem Concilium allegat ad Philip. 2. cùm dicit, *Deus eſt, qui operatur in nobis.* Vbi etiam ponderat non dicere, *operatur nobiſcum*, ſed *in nobis*, quod anteceſsionem quandam ſignificat. Deniq; addunt rationes, vt rem ipſam ſuadeant, quia cauſa efficiens non expectat ſuum effectum, ſeu Deus per auxilium præoperantis gratiæ eſt cauſa, quòd homo velit; ergo non expectat illum, vt velit. Alias item rationes ab inconuenienti inducunt, quas in ſequenti puncto meliùs proponam.

5. Reprehenderunt. *Cumel.* *Philipp. 2.*

In quo ſenſu Catholico dicatur Deus expectare, vel non expectare voluntatem peccatoris, vt eum à peccato purget.

Punctum quod in intelligentia huius Canonis attingitur, eſt vnum ex præcipuis huius materiæ, in quo eccleſiaſtica definitio iure, ac merito deſideratur, ac poſtulari poteſt: interim tamen dum Eccleſia aliud non definit, duo mihi videntur omnino, vera & à Theologis aſſerenda. Vnum eſt poſtquam Deus vocauit hominem ſufficienter ad pœnitentiam, expectare voluntatem eius, vt eum à peccato purget. Hanc aſſertionem probaui in loco citato verbis illis Apoc. 3. *Ecce ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis aperuerit, intrabo.* Quia & metaphora ipſa, & modus loquendi apertè oſtendunt poſtquã Deus pulſat, expectare reſponſum, ſicut qui pulſat ad oſtiũ amici, expectat

6. Punctum canonis. Aſſertio prima. *Apoc. 3.*

responsum. Illa enim conditionalis apertè ostendit Deum non intrare donec homo respondeat, & consequenter illum expectare. Quod eodem verbo dixit Isai. c. 30. *Expectat Dominus vt misereatur vestri*, & Deus per ipsum cap. 5. postquam numerauit omnes gratias, quibus vineam suam præparauit, inquit, *expectaui vt faceret vuas, fecit autem labruscas.* Ad quæ loca respondeus P. Aluarez solùm ait, in illis locis per illa verba tantùm significari exigere Deum ab homine quem vocat, á peccatis purgare vult cooperationem sui liberi arbitrij, non tamen significari expectare Deum talem cooperationem, quæ sit à nobis ex nobis, sed quæ sit donum Dei. Probatq; hanc expositionem ex eodem Propheta, dicente, *Beati omnes qui expectant eum.*

Isai.30. *Isai.5.* Respondet. *Aluarez.* *Isai.30.*

7. Reiicitur illa respõsio

Sed hæc nobis non satis faciunt. Nam esto verum sit, vt reuera est, per illa verba explicari liberam cooperationem nostrã, non est minus verũ per illud verbum *exspectandi* propriè, & sine vlla erroris suspicione, aut vmbra explicari. Cur ergo in me reprehendunt modum loquendi, quem ipsemet Spir. S. docuit? aut qui credibile est damnasse Concilium Arausicanũ propositionem in Script. expressè contentam, & non solùm in vno loco per Prophetam à Spir. sancto dictam, sed in alio etiam ex ore ipsius Dei relatam? Deinde Scriptura sacra propriè est interpretãda vbi vel euidens ratio, vel cogens auctoritas aliud non docet, per verbum autem *expectat* ita significatur necessitas nostræ liberæ cooperationis vt etiam significetur debere cum determinatione nostræ libere voluntatis inchoari, & hanc expectare Deum, vt illi cooperetur. Alioqui, quid expectat Deus? Non quidem vt fiat in nobis auxilium efficax tum quia nemo expectat, quòd à solo suo arbitrio pendet, tum etiam, quia de vinea sua dicit Deus, *Expectaui vt faceret*, ipsa autem non est factura auxilium prædeterminans. Nec posito illo auxilio est, quòd Deus expectet liberam cooperationem, quia necessariò sequitur ex illo auxilio sine vlla mora, & in eodem puncto, ita vt ab ipso homine impediri non possit. Nec etiam potest Deus expectare cooperationem ab homine vocato, & non prædeterminato si illa prædeterminatio necessariò debet antecedere sine cooperatione ad illam, quia expectaret impossibilem; non ergo determinationem, vt à se solo faciendam, sed vt non potest fieri sine nobis.

8. Verbũ ergo *exspectandi* propriè sumptum, (vt sumi debet in dictis testimoniis quantũ fieri possit,) necessitatem talis prædeterminationis excludit & ostendit talem, & tam veram ac propriã esse nostrãliberam cooperationem, vt Deus verè dicatur expectare illam immediatè, & proximè post sufficientẽ vocationẽ. Nam etiã hoc includit verbũ *exspectandi*, & ideo in dicto c. 5. Isaiæ priùs describuntur omnia subsidia præuia, & necessaria antecedenter in vinea vt fructum posset ferre, & postea meritò dicitur expectasse Deum ab illa vt faceret vuas, fecisse autem labruscas, quia vtrãq; facere potarat, labruscas per seipsam, vuas per auxilia gratiæ, quibus iã erat sufficienter instructa. Et hoc ipsum satis apertè docet Paulus, cùm homines iã vocatos monet, *ne in vacuũ gratiã Dei recipiant*, 2. Cor. 6. quẽ locum tractans Aug. l. de Grat. & lib. arb. ait, *Vt quid eos rogat, si gratiam sic susceperunt, vt propriam perderent voluntatem.* Vbi *propriam* vocat, id est, cui integrum sit in hanc, vel illam partem se flectere, non obstante præcedente gratia, & vocatione. Quia verò hæc proprietas voluntatis per gratiam non destruitur, ideo meritò rogat Paulus, & per illum Deus, ne in vacuum gratiam recipiamus; ergo à fortiori hoc ipsum expectat Deus, nam negare, plus est, quàm expectare.

2. Cor. 6. *Augus.*

9. Cõfirmatur ex Concil. Trident.

Præterea veritas hæc confirmari potest ex Conc. Trid. sess. 6. c. 7. dicente, vnumquemq; recipere iustitiam secundùm mensuram, voluntate Dei distributam, *& secundùm propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem.* Ex quibus verbis colligo, quòd licèt Deus voluntate sua præsinierit vnicuique mensuram iustitiæ, quam illi dare statuit, nihilominus simul decreuisse illam dare commensuratam dispositioni, & liberę cooperationi vniuscuiusq;. Ac proinde licèt in ordine intentionis, quoad præfinitionẽ Deus non exspectet voluntatem hominis, nihilominus executionem illam, eiusque cooperationem expectare. Nam, vt conferat gloriam, expectat merita, & perseuerantiam, & vt conferat habitualem gratiam, & iustitiam, expectat vt homo secum diuino auxilio disponat, & vt conferat dispositionem expectat liberam cooperationem ad illam, quia statuit non dare talem dispositionem sine libera cooperatione, & hoc satis est, vt illã expectare dicatur. Vnde etiam dixit Hieronymus in dictum cap. 30. Isaiæ. *Grandis misericordia Dei quæ nostram expectat pœnitentiam.* Et Prosper l. 2. de vocat. gent. cap. 8. aliàs 2. *Terra viues, & de gratiæ imbre iam foecunda, habet quod ab ipsa expectetur, ad id quod accepit augendum.* Eodem modo loquuntur Ambrosius, & Hieronymus, quos in dicto libro de auxiliis allegaui, quibus P. Aluarez non aliter quàm ad Scripturas respondet, & ideo euasionem eius prætermitto.

Hieron. *Prosp.*

Secundò ergo assero verum sensum illis Canonis 4. esse Deum non expectare dispositionem, aut meritum aliquod propriũ voluntatis humanæ, id est, quod propriis, & solis viribus suæ libertatis factum, vtin ea ópus gratiæ suæ inchoet per vocationem, inspirationem, & alia prænenientia auxilia, non tamen negare Concilium, postquam gratis Deus hominẽ vocauit, expectare liberam cooperationem eius ad consensum, vt eum à peccatis purget. Hanc assertionem probo primò ex dictis, hæc enim posterior pars sequitur ex dictis, quia non potuit definire Concilium contra expressam Scripturæ locutionẽ. Ex hac autem posteriori parte sequitur prior, quia excluso hoc posteriori sensu falso, nullus alius verus relinquitur nisi illo prior. Secundò probatur ex verbis Concilij, tum quia non loquitur de vno, vel alio actu iustificationis, seu purgationis à peccato, sed de toto negotio gratiæ, quod in huiusmodi purgatione interuenit, & ita damnat dicẽtes expectare Deum voluntatem hominis, vt eum à peccato purget. Deinde non loquitur de expectatione cooperationis liberæ voluntatis à gratia prænientẽ, sed simpliciter de expectatione volũtatis, nimirum, vt per se quisque solis viribus aliquem effectum habeat, per quem Deus gratiam obtineat.

1. *Assert.* 2. *contra.* 13. *Probatur.* *Augus.* *Psalm. 36* *Augus.*

Denique in probationem adducit Concilij sententiam illam Augustini familiarem ex Prou. 8. iuxta LXX. *Præparatur voluntas à Domino.* Quod facere Deus per vocationem idem Augustinus exponit lib. 2. de peccator. merit. cap. 18. & de prædestinat. Sanct. cap. 16. & aliis locis sæpe citatis; ergo non loquitur Concilium de voluntate iam vocata, & excitata, nam talis voluntas iam est à Deo præparata. Et ideo testimonium illud nihil facit contra veram sententiam quam defendimus: nam licèt Deus expectet consensum à voluntate post vocationẽ, nihilominus ipse est qui talem voluntatem ad consentiendũ præparat. Et ideo si sensus Concilij esset, quem aduersarij illi affigunt, extra rem fuisset testimonium illud. Nec plus valeret aliud ex Paulo ad Philip. 2. *Deus est qui operatur in nobis velle*, quam hoc facit Deus in nobis per vocationem, teste Aug. de Spiritu, & liter. cap. 34. & aliis frequentibus locis infrà referendis; ergo non potest loqui Concilium de homine iam vocato, nam licèt Deus expectet consensum eius, nihilominus ipse erit, qui in ipso homine cum vult operatur ipsum velle. Damnat ergo Concilium eos, qui dicebant velle & desiderare sanctitatem animæ præcedere in homine sine operatione Dei

12. Conuin rat sens exerro conatur

Expositio *Augusti.* *Philip.* 2. *Augus.* 14. *Vide Dion.*

Dei, & hoc velle expectare Deum, vt in ipso salutis opus incipiat, & contra hunc sensum optimè probant dicta testimonia.

12. Conuincitur sensus ex errore contrario.

Præterea conuincitur hic sensus ex errore contrario, quem Concilium in illo canone damnare intendit, Nam Synodus illa directè impugnat Semipelagianorum errorem, vt in Prolegom. 6. ostendimus. Illorum autem error fuit, initium salutis sumi á libero arbitrio aliquid per se merente, saltē volendo, & desiderando sanitatem; & ideo dicebant hanc voluntatem expectare Deum, vt hominem à peccato purget. Et ita tota contentio cum illis fuit de prima excitatione, & vocatione diuina, cur quibusdam detur, & non aliis, vel cur huic maior aut citiùs, aut magis congrua, quam illi, quod totum referebant in solam hominis voluntatem, quam dicebant expectare Deum, vt iuxta eius affectum eam vocet. Vt autem Concilium hunc errorem damnaret, necessarium fuit loqui in sensu à nobis expositō; ergo in eo loquutum est. Maior latè à nobis probata est in Prolegomen. 5. & cùm res consistat in facto testibus probanda est. Producant ergo prædicti Auctores actorem aliquem antiquum, vel modernum, qui ante ipsos dixit. contentionem cum Semipelagianis fuisse de consensu post vocationem ex auxilio gratiæ libere præstando, an Deus postquam hominem vocauit, illum expectet, necne, non potius de vocatione ipsa, & de aliquo bono vsu liberæ voluntatis, qui præcedere possit, aut debeat. Certè qui attentè legeret epistolas Prosperi, & Hilarij, & librum Augustini de prædestinat. Sanctor. nihil aliud inueniet. Sed quia hæc in dicto Prolegom. 5. latè tractaui, repetenda hîc esse non censui.

13. Probatur ex Aug.

Tertiò probare hoc possumus specialiter ex Augustino in eadem epistola 107. ad Vitalem, quæ in contrarium allegatur, vbi in principio ita refert errorem Vitalis, qui credebat ante internum salutis initium non præcedere, nisi doctrinam, & legis, vel fidei propositionem, reliqua verò ex solis viribus liberæ voluntatis pendere. Vnde infra obiiciendo illud Psalm. 36. *A Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet*, ponderat Augustinus non dixisse, *& viam eius discet, aut aliquid*, (inquit) *huiusmodi, quod posses dicere à Domino dari, sed homini iam volenti, vt scilicet, beneficium Dei, quo gressus hominis dirigit, vt viam eius discat, teneat, gradiatur, sua homo voluntate præcedat, & hoc Dei donum sua præcedente voluntate mereatur.* Hic ergo fuit error Semipelagianorum, contra quem, & contra Semipelagianos in progressu epistolæ disputat ex locis Scripturæ, quæ necessitatem gratiæ non solùm ad progressum, sed etiam ad initium voluntatis bonæ conuincunt. Et inter alia dicit, *Deum vocatione alta, atque secreta præmouere hominem, ita mouendo sensum, vt accommodet assensum.* Et infrà circa finem epistolæ ait, *Quomodo dicitur, quòd per legem Dei, atque doctrinam Scripturarum fiat, quod eadem Scriptura dixit, Præparatur voluntas à Domino, ac non potius per occultam inspirationem gratiæ Dei?* Et infrà. *Quomodo expectat voluntates hominum, vt præueniant eum quibus det gratiam*, &c. Hoc ergo est quod ab Augustino damnatur, scilicet, quòd Deus expectet, vel voluntas hominis præueniat ipsum, seu quòd expectet meritū voluntatis operantis sua sola naturali libertate, vt ei gratiam suam communicare incipiat. Hoc ergo ipsum est quod Concilium Arausicanum in illo Canone decreuit, nam eandem doctrinam contra eundem errorem tradere voluit.

14. Et Diac.

Et simili modo Petrus Diacon. in lib. de Incarnat. & grat. cap. 7. referens argumentationem Massiliensium hanc dicit fuisse conclusionem eorum. *Restat vt non alle, (scilicet Deus) excitet voluntatem humanam, sed eum expectet ab homine, vt æquum sit in volentibus præmium, in nolentibus autem iusta damnatio.* Non solùm ergo dicebant Semipelagiani Deum expectare consensum, sed dicebant expectare voluntatem ad excitationem gratiæ, & consequenter illam voluntatem esse consensum quendam liberum à sola voluntate sine vllo gratiæ auxilio conceptum. Contra quem errorem ipse argumentatur ex verbis Christi, *Væ tibi Coro zain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone*, &c. Quod exemplum euidenter ostendit intentionem eius contra Massilienses fuisse, quòd Deus non expectet præuiam bonam voluntatem hominis ad eum vocandum. Vnde in cap. 8. sic contra eos incipit. *Sed nos sequentes eundem Apostolum, omnium bonarum cogitationum originem, earumque confessionem, & voluntatem ex Deo, & per Deum, & in Deo dicimus, qui prauas hominum voluntates, & terrenis affectibus implicatas, per infusionem, & operationem intrinsecus Sancti Spiritus absoluit, & corrigit, sicut scriptum est, Præparatur voluntas à Domino.* quod infrà exponens verbis Cœlestini Papæ addit, *& vt boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum.* Affirmabant ergo Semipelagiani Deum expectare voluntates hominum, vt eorum corda suis inspirationibus tangat, & hoc est, quod expectet hominem iam vocatum, vt consentiat. *Matth. 11.*

15. Confirmat. Fulgent.

Et hoc ipsum confirmat Fulgentius in libro suo de Incarn. & grat. cap. 30. vbi respondens Petro dicit, *Ad illud, quod vestra eos dicere testatur epistola, id est, quia Deus expectat hominis voluntatem*, &c. Et in eodem sensu errorem illum accipit, & ita illum impugnat exemplo paruulorum, quibus Deus confert gratiam suam non expectata eorū voluntate, quod exemplum optimè accommodatur adultis quoad gratiam vocationis, quam Deus solus facit, non verò quoad comitantem, qua post vocationem liberum consensum nobiscum operatur. Vnde inquit. *Si ergo ad saluandos homines, sicut isti volunt, non excitat, neq; mutat, sed exspectat hominum voluntates, quomodo infantes*, &c. Intellexit ergo Fulgentius sententiam Massilienſium fuisse Deum non præuenire volūtates hominū, excitando illas, vt eas mutet, & de malis bonas faciat, sed expectare illas vt bonæ esse incipiant, & sic suam excitationem mereantur. Vnde infra suam argumentationem ita concludit. *Si enim bonitas salutem non incipit hominis operari, nisi bonam eius inuenerit voluntatem, iniquum erit condamnari qui bene nec velle, nec nolle potuerit.* Et infrà, *Certissimè credendum est, & fiducialiter confitendum, vnam eandemque Dei gratiam in maioribus saluandis operari bonæ voluntatis initium, quæ in paruulis sine voluntate operatur saluationis effectum. Ipsa gratia infantes neq; volentes, neq; nolentes reddidit, quæ maiores illuminando volentes ex nolentibus facit.* In quibus omnibus ponderanda sunt duo. Vnum quòd tota controuersia cum Semipelagianis erat de initio bonę voluntatis? aliud, quòd hoc initium ponitur in inspiratione & illuminatione, per quam Deus congruè vtiq; datam voluntatem ex nolente volentē facit. Vnde postea subiungit. *In paruulis salutis opus sine propriæ voluntatis assensu gratiæ Dei operante perficitur, quod bonæ voluntatis exordio diuinitus dato in maioribus inchoatur, vt opere solius gratiæ voluntas, quæ mala fuit, bona fiat, & deinceps gratiæ secum operanti seruitium obedientiæ cooperatricis exhibeat.* Ex quibus verbis colligo, ad illam solam gratiam, quam Deus solus operatur in nobis, non expectare Deum voluntatem nostram ex mente Fulgentij, qui hoc asserit, vt Semipelagianis contradicat; in hoc ergo illi errarunt, & hoc est quod damnat Concilium Arausicanum, nam vt voluntas cooperetur gratiæ secum cooperanti, necessariò est eius obedientia expectanda.

16. Accedit Bellarmin.

Deniq; graues etiam Theologi illum Canonem ita intellexerunt. In primis Bellarminus de Grat. & liber. arbitr. cap. 6. vbi contra quosdam qui dicebant

bant. Deum non semper nos vocare, sed tamen paratum esse ad vocandum, si velimus, dicit eos incidere in Semipelagianorum errorem, & adiungit. *Expectat quidem ille, qui pulsat ad ostium cordis, vt aperiatur & ideo dicit. Si quis mihi aperuerit, intrabo ad eum, sed non expectat vt inuitetur ad pulsandum, sed ipse præuenit pulsando, & vocando, vt definitum est in Concilio Arausicano can.* 4. Similiter Vega lib. 6. in Trident. c. 5. inter alia quę

Item *Vega.* cõtra nostram liberam cooperationem obiicit, quarto loco ponit hunc Canõ 4. Concilij Arausicani dicentis. *Deus vt a peccato purgemur, voluntatem nostram non expectat.* Et respondet; *Verum hoc ad gratiam præuenientem referendum est non ad iustificantem; ideo enim dictum est, Deum voluntatem nostram non expectare, quia vt iustificemur, ipse nos præuenit, vt velimus & assentiamus, & cooperemur suæ vocationi.* Per *gratiam* autem *præuenientẽ* Vega intelligit excitantem, vt in solutione primæ obiectionis latè declarauerat; ad hanc ergo ait, non expectare Deum voluntatem nostram, ad cooperãtem autem apertè vult Deum cooperationem nostram expectare. Quin potius etiam Medina lib. 2. q. 109. art. 6. dub. 1. idem argumentũ quarto loco proponens contra libertatem consensus respondet, sen

Medina. sum definitionis Arausic. Concilij esse, quòd *nos non præuenimus Deum, sed ipse nos præuenit in benedictionibus dulcedinis dãdo consensum libero arbitrio.* quæ verba verissima sunt; in verbo tamen *dandi* potest esse æquiuocatio, possuntque illud defensores prædeterminationis de illa interpretari, præsertim cum Medina non sit ab illa sententia alienus. Nihilominus tamẽ idem Auctor in secundo dubio vltimum argumẽtum ita proponit. *Deus expectat nostrum consensum, vt nos conuertat, vt supra demonstratum est.* Et postea in so-

Idem. lutione non negat hoc antecedens, sed ait. Respondetur, quòd *Deus expectat nostrum consensum,* (*nam, vt ait Augustinus*) *qui creauit te sine te, non saluabit te sine te. Verum non expectat nostram voluntatem, quasi ipsa præueniat, & inde fiat initium boni, sed, vt sequatur, & obediat diuinæ motioni.* Quæ est vera, & genuina intelligentia Concilij. Et licet vltimum verbum possit ad prædeterminationem detorqueri, tamen verbum *expectat* nullo modo habet locum respectu illius, vt declarauimus. Vnde etiam optimè dixit Soto. lib. de Natur. &

Soto. grat. c. 15. *Cum Deus tam sit præsto, qui nobis opituletur, nunquam, qui irradiare Principum corda sol ipse iustitiæ nunquam cessat, quid causæ esse potest, cur non instauratur, nisi quia assensum nostrum expectat, & operari, quod testimonio Apocalyps. & aliis confirmat.*

17. Occurritur obiectioni ex illo Canone sumptæ.

Ad obiectionem ergo ex illo Canone sumptã respondemus negando illam dicti Canonis interpretationem. Et ad probationem similiter dicimus malè reformari Semipelagianorum sententiam in illo Canone damnatam, & peius ad nostram comparari. Tria enim in illa sententia Massilienſiũ continebantur. Primum expectare Deum hominis voluntatem, vt illam vocet, secundum id quod in illa expectat, esse aliquale meritum, vel impetratio primæ gratiæ auxiliantis. Tertium illud meritum esse aliquod opus liberum solis viribus humanæ voluntatis factum, & hæc sunt, quæ in illo Canone damnantur; vt in dicto Prolegom. 5. & hîc iterum dixi. Nos autem contra primum dicimus, Deum non expectare voluntatem hominis, vt illam excitet, sed vocare illam iuxta mensuram voluntatis suæ & gratiæ; nihilominus tamen affirmamus expectare voluntatem hominis, vt gratiam cooperantem, vel subsequentem actu illi conferat. Secundò addimus, vt Deus has gratias conferat, non expectare aliquod meritum fundatum in volitione aliqua libera solis naturæ viribus facta; nam hoc etiam damnatum est in dicto Concilio Can. 3. & 6. Tertiò dicimus expectare Deum liberam cooperationem nostræ voluntatis jam vocatæ, vt recipiat diuinam inspirationem in solis viribus, sed

Contẽta in sententia Massiliensium, quæ damnantur, & referuntur.

per diuinam gratiam adiuta, vt dixit Concilium Tridentinum dicto cap. 5. videlicet quisquam credat esse necessariam præuiam excitationem Dei, ad quam Deus non expectet voluntatem hominis, ut diceret post illam nihil amplius operari gratiam sed expectare Deum, vt voluntas solis suis viribus naturalibus liberè consentiat cum Pelagio quoad hanc partem sentiret, quia concessa excitante gratia, adiuuantem negaret, vtramque autem secundũ fidem contineri necesse est, vt in superioribus est ostensum. Nunquam ergo expectat Deus in negotio salutis, vt homo solis suis viribus operetur, & nihilominꝰ ex pectat, vt suum arbitrium cum adiutorio gratiæ flectat, & illi se se accomodet ad inspirationem diuinam liberè recipiendam.

Quartò hinc colligimus Deum postquam hominem vocauit ad dandum illi gratiam cooperantẽ seu auxilium simultaneum, non expectare ab illo aliquem actum voluntatis integrum, (vt ita dicam qui ordine naturæ præcedat, & consequenter non expectare ab illo aliquod meritum vel dispositionẽ sed solam, quasi partialem concausationem. Prior pars declaratur, quia post vocationem immediate expectatur consensus, qui, vt dixi, non sit solis viribus voluntatis, omnis enim alius actus solis viribus naturæ factus, & est impertinens, & non est meritorius auxilii voluntatis ad consensum; ergo nihil huiusmodi expectat Deus. In ipso autem consensu licèt operetur voluntas hominis cum gratia adiuuante, non tamen oparatur prius quam illa, & ideo non potest cooperantem gratiam mereri, nec ad illam se disponere, ergo non hoc expectat Deus, sed cum vocante gratia ex se gratis offert cooperantem. Quia vero ita offert cooperantem gratiam voluntati vocatæ, vt nec sine illa, nec prius quam illa operetur, ideo necesse est, vt liberum influxum simultaneum, & concausantem expectet. Vltimò addimus ad dandam aliquam obsequentem gratiam, expectare Deum voluntatem hominis, vt prꝰ saltem natura aliquod opus liberum faciat non sola, sed cum cooperante gratia, in quo opere aliqua ratio meriti, vel dispositionis inueniri potest. Sic enim vt infundat gratiã homini vocato ad pœnitentiam, ab illo expectat vt consentiat, & conuertatur ad ipsum liberè, iuxta illud Zachariæ 1. *Conuertimini ad me*, in quo *libertatis nostræ* admonemur, vt dicit Conc. Tridentinum, libertatis vtique non per se operantis, sed gratiæ cooperantis conuersionem, quam Deus expectat, vt per sanctificantem gratiam ad nos conuertatur. Contra hos ergo modos expectandi voluntatem nihil facit Canon Concilij Arausicani.

Neque etiam obstat, quod ex augustino in dicta epistola ad Vitalẽ obiicitur, nimirum, quia si Deus expectat voluntatem excitatam vt consentiat, si vellit, sequitur non facere Deum efficaciter, & infalliliter, vt homo consentiat, quod est contra Augustinum citato loco. Respondemus enim concedendo Semipelagianos nihil distinxisse inter vocationem congruam, vel non congruam, efficacem, vel tam vel non efficacem, sed absolutè dixisse omnem vocationem dari ex hominis merito, præuia bona voluntate naturali, vel præcedente in reipsa, vel saltem in præscientia diuina: & hoc modo potuisse causam totius prædestinationis, etiam primę vocationis ex parte hominis sua libera voluntate operantis. In quo errarunt, & reprehenduntur ab Augustino in illa epistola, & aliis locis. Hic autem error non sequitur ex hoc quod Deus post vocationem gratis datam expectet hominis liberam cooperationem ad consensum, quia etiã illa, cùm datur est effectus ipsius vocationis, & gratiæ adiuuantis, & ideo non potest esse meritum, aut causa vocationis, vel prædestinationis, cùm sit effectus eius.

Neque

quòd Deus non vocet quos vult, ita vt efficaciter eos faciat consentire: quia inter vocationes datur aliqua *efficax*, quam Augustinus ibi *altam*, & *secretam* vocat, alibi *congruam*; & secundum propositum, & sicut absolutè gratis vocat, ita etiam gratis sic, vel sic vocat. Et nihilominus etiam quando congruè vocat ad perfectionem operis, expectat in executione cooperationem liberâ voluntatis, quamuis non certò præsciat infallibiliter esse futuram: hoc enim non est contra expectandi proprietatem. Et per hanc vocationem simul operatur Deus vt velimus, & expectat, vt ad volendum cooperemur; hæc enim duo non sunt repugnantia, sicut non repugnant Deum operari in nobis velle, & expectare vt fiat etiam à nobis. Et ita patet etiã responsum ad aliam verborum ponderationem, nam verbum *operandi*, & physicam efficientiam significare potest, quatenus Deus verè & physicè efficit in voluntate inspirationem, per quam illam vocat, & potest causalitatem etiam moralem significare, quatenus per illam excitationem allicit voluntatem ad consensum, vt in superioribus explicatum est.

Ad vltimam rationem, quòd causa non expectat suum effectum respõdeo, Deum propriè non expectare suum effectum, vt illummet effectũ producat, sed expectare concausam liberam, vt secum coefficiat. Deus enim per suam præuenientem gratiã non est adæquata, vel vnica causa efficiens consensum humanæ voluntatis, sed determinationis eius, sed est primaria causa, quæ operari non vult ipsum cõsensum sine alia causa libera, & ideo exspectat cooperationẽ, vel, (vt ita dicam) condeterminationem eius. Quòd si instetur, quia licèt Deus vt faciens cõsensum, non sit sola causa illius, nihilominus vt facit voluntatem velle per gratiam præoperantẽ est causa vnica. Respõdeo vt sic non esse causam actualiter efficientem consensum, sed solam vocationem ad consensum, & ad illam efficiendam, non expectare voluntatem hominis, illa verò vocatione iam facta, per illam non facit actualiter voluntatẽ velle & ideo illam expectat, vt secum faciat determinationem, seu ipsum velle. Vnde Aug. in dicto c. de grat. & lib. arb. postquam dixit, *Vt quid eos rogat, si gratiam sic susceperunt, vt propriam perderent voluntatem?* subiungit. *Tamen ne ipsa voluntas sine gratia putetur aliquid posse continuè, cùm dixisset, Gratia eius in me vacua non fuit, sed plus illis omnibus laboraui*, subiungit, & ait, *Non ego, sed gratia Dei mecũ, id est, non solus, sed gratia Dei mecũ ac per hoc ne gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cũ illo. Vt autẽ de cœlo vocaretur, & tam magna, & efficacissima vocatione conuerteretur gratia Dei erat sola.* Ad vocationẽ ergo nihil est quod expectetur, ad effectum autem vocationis liberam voluntatis cooperationem expectari, necesse est. Vnde si determinatio ipsa libera voluntatis consideretur vt est effectus Dei, sub ea ratione non expectatur à Deo, sed fit, provt est verò à libero arbitrio, sic expectat Deus, vt voluntas humana secum in illam influat. Deniq; addo quando vna causa habet plures effectus inter se subordinatos, rectè posse expectare vnum, vt faciat alium, & sic Deus expectat organizationem corporis humani, vt creet animã, quamuis organizationem etiam ipse faciat. Et ita etiam vt gratiam sanctificantẽ infundat, expectat hominis conuersionẽ, quamuis hanc etiam ipse faciat. Nunquã tamen dicitur expectare illum effectum, vt ab ipso est, sed vt futurus est ab alia concausa, & propriè tunc habet locũ, quando efficientia alterius causæ non est omnino ad vnum determinata, vt satis declaratũ est.

Vltimò in hoc puncto adnotare libet quendã modernum Scriptorẽ mihi hac occasione imposuisse, quod in Metaphys. disp. 22. sectione 4. dixerim, *Prouidentiam Dei expectare determinationẽ voluntatis humanæ*, & in hoc dictum inuehitur, quia sic subtraheretur prouidentiæ libera nostræ voluntatis determinatio, quia supponeretur prouidentiæ, & quod alicui causæ supponitur, ab illa non fit. Sed illa propositio in terminis non inuenietur in dicto loco Metaphysicæ, nec in aliis scriptis meis. Neq; sequitur ex hoc, quòd Deus expectet voluntatem nostrã ad ipsam determinationem cũ illa faciendã. Neq; ex eo quòd expectet voluntatis consensum ad aliam subsequentem gratiam conferendã, sequitur expectare illum ad totum ordinẽ prouidentiæ suæ, provt per illam propositionem significatur. Quocirca cuiuscunq, sit illa propositio, vt nimirum est ambigua, & non simpliciter proferenda, quia prouidentia est æterna, & comprehendit vtrunq; ordinẽ intentionis & executionis, & sub vtroq, cadunt liberę determinationes humanæ. Et vt Deus per suam prouidentiam antecedẽter de illis disponat, nõ expectat illas nec cooperationem volũtatis, quia dispositio prouidentiæ antecedit executionẽ, & determinationẽ. Et hoc modo simpliciter loquendo libera determinatio, & cooperatio voluntatis, est sub prouidentia vel prohibente, vel permittente & offerente generalem concursum, vt in operibus malis, vel ordinãte, consulente, præcipiente, vel etiam præfiniente in operibus gratiæ. Et ita quoad hæc omnia prouidentia non expectat cooperationem liberam voluntatis. At verò quoad ea, quæ pertinent ad ordinem executionis, prouidentia, vel potius gubernatio diuina expectat voluntatem humanam, vel vt cooperetur ad faciendum consensum, vel vt illi tribuat pœnam, vel præmium iuxta eius cooperationem. Et sic in præsenti materia non dicetur verè prædeterminatio diuina, expectare determinationem humanam, & consequenter neq; vocatio quæ est primus prædestinationis, vel supernaturalis prouidentiæ effectus: iustificatio autem diuina rectè dicitur expectare illam, & eadem ratione cooperatio auxilij diuini dicetur expectare cooperationem arbitrij: quia isti sunt particulares effectus prouidentiæ gratiæ, qui secundùm ordinem executionis à cooperatione voluntatis pendent, quam Deus perinde expectat.

CAPVT XLII.

Expenduntur canones quintus, & vigesimus quintus Concilij Arausicani, & an initium bonæ operationis sit, vel non sit, à libero arbitrio, declaratur.

1. Inducitur Canon. 5. & 25. Concilij Arausicani.

ALter Canon illius Concilij, qui in hac causa inducitur, est Canon quintus, vbi damnatur, qui dixerit initium fidei esse ex nobis, & non esse ex Deo, quod generaliùs dicitur in Canone 25. *Hoc sa-lubriter profitemur, & credimus quòd in omni opere bono nos non incipimus.* Nam hoc (aiunt) intelligendum est de initio proximo, non de remoto tantùm seu de initio efficaciæ gratiæ, non tantùm de sufficiente, quia solus non inchoatur, nisi per gratiam efficacem, nec bonum opus incipit propriè, nisi cùm voluntas incipit ad consensum determinari. Vt ergo vera sit vniuersalis illa definitio Concilij, necesse est vt voluntas nostra in suo bono consensu à Deo prædeterminetur, vt sic Deus incipiat in nobis bonam voluntatem. Alioqui si voluntas est, quæ se determinat, illa inchoat bonũ opus, & nõ Deus, & sic falsũ est quod in omni opere bono nos non incipimus.

Propter hoc argumentum solent alij Auctores nobis tribuere, quòd asseramus initium bonæ operationis, ita esse nostrum, vt non sit Dei mouentis: eoque progrediuntur, vt nos affirmare dicant initium consensus liberi esse ex nobis solis, secluso Deo,

Deo, vt F. Dauila expressè dicit locis citatis, & Ledesma sentit, dicens, ex nostra sententia sequi, quòd diuina voluntas non faciat realiter in nobis quod vult, sed duntaxat moraliter, vt per nostrum liberum arbitrium nos applicemus ad actionem, & simus soli causa physica applicandi illud donum ad vsum. Vnde inferunt etiam vlterius, sequi ex nostra sententia gratiam esse pedissequam nostræ voluntatis, & ita contra nos inducunt canonem sextum eiusdem Arausicani, quatenus damnat eos, qui *humilitati, aut obedientiæ humanæ subiungunt gratiæ adiutorium.* Probatur sequela, quia si Deus non prædeterminat voluntatem nostram, ipsa præcedit saltem ordine naturæ inchoando suam determinationem, & obedientiam, & applicando se ad opus, (vt Ledesma imbi tribuit,) *prioritate quadam causalitatis physicæ, & realiter, vt statim Deus influat ex vi suæ voluntatis antecedentis.* Est ergo gratia pedissequa voluntatis, non è contrario. Nec hoc inconueniens vitatur per hoc quod gratia antecedens præcedat, quia licèt præcedat in essendo, (vt Dauila obiicit,) in operando est posterior iuxta nostram opinionem.

Dauila. Ledesma.

3. *Caluin.*

Priori principali argumento vsus est Caluinus in suo Antidoto contra Concilium, quod docet, gratiam infundi vnicuique secundum propriam dispositionem, & cooperationem, contra quod obiicit, *Quia hoc gratiæ initium est, vt ex nolentibus faciat volentes, vt fides tam in suis exordijs, quam incrementis vsque ad vltimam perfectionem Dei sit donum.* Cui respondet Ruardus dicto art. 6. circa finem aiens: *Nec gratiæ initium est, quòd ex nolentibus, ac repugnantibus faciat volentes, sed est magnus in ea progressus; procedunt enim sanctæ cogitationes*, &c. quæ responsio continet sensum verum Arausicani Concilij, cuius canones sumpti sunt ex doctrina Augustini, qui ad redarguendos Semipelagianos initium iustitiæ, & boni operis reducit ad sanctam cogitationem, vt patet lib. de prædestinat. Sanctor. cap. 2. & sequentibus, & lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 8. seu, quod idem est, ad vocationem. Vnde in quæst. 2. ad Simplician. inter alia dicit. *Quia non præcedit voluntas bonam vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo tribuitur, quod bene volumus.* similia habet libr. 83. quæstionum quæst. 68. Et similiter Cælestinus Papa epistola 1. cap. 8. hoc initium vocat *instinctum Dei*, cum Zosimo Papa, & Concilio quodam Africano: at verò non est aliud instinctus, quàm vocatio, vel inspiratio, aut excitans gratia, ratione cuius bonorum operum initium Dei tribuitur. *Ideo vtique*, vt ibidem dicitur, *quia præparatur voluntas à Domino, & vt boni aliquid agat paternis inspirationibus suorum tangit corda fidelium.* Et eodem modo loquuntur de initio salutis passim contra Semipelagianos Prosper, Fulgentius, & Petr. Diaconus in operibus contra illos, quibus consonat Bernardus lib. de Grat. & liber. arbitr. in principio dicens, *Gratiæ operanti salutem, cooperanti ducitur liberum arbitrium, dum consentit, hoc est, dum saluatur: consentire enim saluari est.* Non est ergo initium salutis, sed magnus progressus, vt dicit Ruardus. quod pluribus verbis circa finem libri Bernardus prosequitur quæ paulo post commemorabo.

Ruardus. Auguſt. Cæleſtinus PP. Zoſimus PP. Conc. Afr.-can. Proſper. Fulgentius. Diaconus. Bernard. Ruardus.

4. Assertio prima de initio fidei, vel boni operis.

Primum ergo dicimus Concilium Arausicanum in hoc sensu loquutum esse de initio fidei, vel boni operis, doctrina enim eius contra Semipelagianos est, & fidem, & voluntatem credendi initium in nobis sumere ab inspiratione diuina gratis data, & non ex aliquo bono desiderio, vel in vocatione, aut obedientia, quæ in nobis præcesserit, quod præter omnia dicta ex verbis eius licet intelligere. Nam in dicto Can. 5. *initium fidei* dicit *fieri inspirationem Spiritus sancti*, & per illud fieri, vt vesimus &. cap. 7. repetit, *absque illuminatione, & inspiratione Spiritus sancti.* At tandem in cap. 25. postquam dixit, *in omni bono opere nos non incipere*, addit, *sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui ipsius inspirat?* Et iuxta hanc intelligentiam loquutum est de exordio iustificationis Concilium Tridentinum dicta sess. cap. 5. & de initio fidei, spei, & charitatis, in can. 3.

Cùm ergo nos ante omnem consensum bonum, & ante liberam determinationem ad illum suppo- Suppoſit. namus præcedere initium gratiæ per sanctam cogitationem, & piam excitationem voluntatis, quæ voluntatē inclinet, & inducat in cōsensum, superfluè contra nostram sententiam hæ definitiones afferuntur. Et ab omni recto sensu alienum est, per hoc initium prædeterminationem velle intelligere. Tum quia nec Concilium Arausicanum, nec alij Patres tale auxilium explicarunt, tum etiam, quia ante illam præcedit vocatio: tum denique, quia illud initium omnibus operibus naturalibus commune est, imo etiam malis, vt actiones posituæ sunt, (iuxta illam sententiam,) atque ita si illud est initium operis boni, de quo tractat Concilium, eadem definitio habebit locum in operibus, quæ ad gratiam non pertinent, quod absurdissimum est. Præterea hoc declaratur, quia Concilium loquitur de initio fidei, vel boni operis, quod Deus in nobis sine nobis operatur hoc autem: non est nisi initium, quod in vocatione, seu excitatione, quod in vocatione, seu excitatione positum est, pertinet enim ad illa bona, quæ sunt in homine, & ea non facit homo, vt suprà diximus. At verò aliud initium quod in ipso consensu, vel determinatio libera consideratur, non fit à solo Deo, vt iam diximus, & iterum statim dicemus. Vnde est illud Bernardi in dicto libro in fine. *Deus tria hæc (hoc est bonum cogitare, velle, & perficere,) operatur in nobis, primum profectò sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos.* Et infrà. *A Deo sine dubio fit nostra salutis exordium, nec per nos vtique, nec nobiscum, verum consensus & opus etsi non ex nobis, non tamen sine nobis.* Bernar.

Vnde addo secundo distinctionem illam de duplici initio proximo, vel remoto in præsenti superuacaneam esse, & fruſtra inuentam esse ad sensum Concilij detorquendum. Quia Concilium non tractat de initio actus boni, quòd sit aliquid intrinsecum ipsi actui, & quasi pars eius, sed de initio, quod hominem mouere incipit ad talem actum, quod, per se loquendo, seu ex necessitate non est, nisi vnum, quod est primum gratiæ auxilium, & vocatur principium causaliter, & effectiuè, non materialiter. Addo etiam in ipsomet actu consensus non distingui initium intrinsecum & proximum ab actu, nisi fortè ipsa actio per quam fit qualitas illa, quæ est actus, vocetur initium eius, quod physicè considerari potest, moraliter autem nihil refert, quia in ipsa actione consistit moralis, ac libera determinatio, cuius initium est diuina vocatio, & inspiratio: ipsa autem effectio consensus, iam est ipsa libera pietatis operatio; ergo non datur ibi initium ab actione libera, & à vocatione distinctum, quod sit medium inter vtranque. Solùm ergo ratione vocationis, & excitationis præuiæ dictum est à Concilio, quod *in bono opere nos non incipimus.*

De altera verò distinctione ad eundem finem inuenta de duplici initio *salutis* vel *conuersionis* absolutè vel de initio *efficaciæ*, quorum primum ponitur in vocatione, secundum in prædeterminatione, dico primo in primis, illam distinctionem in Patribus non reperiri, solùm eos loqui de initio *salutis*, vel *bonæ voluntatis* per vocationem, & inspirationem diuinam, & consequenter de illo intelligi prædicta decreta. De alio verò initio, quod *efficacia* vocatur, dico, illa- liquid

est, non esse prædeterminationem, sed vel aliquam vocationem, vel actionem ipsam liberam, quæ à voluntate vocata cum Dei auxilio fit. Nam cùm dicitur *initiũ efficaciæ*, dupliciter potest sumi, vno modo pro initio actiuo efficaciter, ita vt semper habeat effectum, in quo sensu illud additum *efficacia* sumitur in vi adiectiui, vt idem sit, quod initium efficax. Et tale initium non distinguitur à vocatione congrua, & efficaci, & de tali initio efficaci etiam loquitur Concilium Arausicanum, quia illud etiam datur à solo Deo, & merè gratis, & priùs saltem natura, quàm homo liberè determinetur. Ex hoc verò sensu nullum argumentum sumitur ex dicta definitione Concilij contra nos, imò nos inde argumentum sumimus, quòd hoc initium efficax sufficiat, vt in omni bono opere nos non incipiamus, quia semper præcedit efficax vocatio Dei. Alio igitur modo initium efficaciæ dicitur, initium formale, (vt sic dicam,) ipsius consensus, quod non est aliud, nisi actio eius, quæ, vt dixi, potest dici initium intrinsecum ipsius actus, sicut potest actio dici initium sui termini, & ad hoc significandum dici potest efficaciæ, id est, actualis effectionis ipsius consensus. Et hæc acceptio initij est, (vt dixi,) extra mentem Arausicani Concilij, & ideo quidquid de illa sit, nihil ad præsentem difficultatem refert.

1. Affatio tertia latio proximo, seu efficacia consensus voluntatis.

Dico igitur tertiò, loquendo in hoc sensu de initio proximo, seu efficacia consensus voluntatis, tale *initium* ab ipsa voluntate fieri, non tamen sola, sed simul cooperante, & adiuuante Deo physicè efficienter, ac propriissimè, & ideo propter tale initium non esse necessariam, nec possibilem prædeterminationem, salua nostra libertate. Hoc satis probatum est in superioribus, suppositâ explicatione terminorum, & ideo non oportet probationes repetere, præsertim cùm hæc sit expressa sententia Bernardi in verbis citatis, & Augustini etiam in locis allegatis, præsertim dicta quæstione secunda ad Simplicianum, & quæstione sextagesima octaua & 83. & lib. 1. Retract. capite vigesimo tertio ibi recognoscit, quod dixerat in lib. quarundam propos. in epist. ola ad Roman. *Nostrum est credere, & velle verum est*, (inquit,) *seu eadem regula*, scilicet, *quod vtrumque*, (vtique credere, & bene operari, aut velle,) *Dei est, quia ipse præparat voluntatem, & vtrunque nostrum, quia non fit, nisi volentibus nobis*. Et adiungit, *ac per hoc, quod etiam postea dixi, quia neque velle possumus, nisi vocemur, & cùm post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra, & cursus nostri, nisi Deus & vires currentibus præbeat, & perducat quo vocat*, &c. *Verissimum est, sed parum de ipsa vocatione deseruit, quæ fit secundùm propositum*. Vbi apertè docet quidquid post vocationem fit in nobis, non fieri sine nobis, quamuis etiam non fiat sine viribus gratiæ, neque dixit necessarium esse aliud principium efficaciæ, quod sine nobis fiat præter congruam vocationem. Quapropter longè alienum est à nostro sensu dicere, initium efficaciæ ita esse nostrum, vt non sit Dei, quia potiùs asserimus ita esse Dei, vt non etiam nostrum. Nec etiam asserimus esse à Deo tantùm moraliter, sed etiam physicè; sed dicimus etiam physicè non tantùm esse à Deo, sed etiam à nobis, neque etiam in hoc genere causalitatis per se, & physicè est prius natura à Deo, quàm à nobis, licèt neque prius sit à nobis, quàm sit etiam à Deo per propriam, & simultaneam efficientiam. Quæ omnia latissimè sunt à nobis in superioribus probata, & sæpiùs declarata. Ac denique non minus doctrinæ nostræ, repugnat dicere, ita voluntatem nostrã se ad agendum, seu volendum applicare, *vt nos soli simus causa physica applicandi prævenientem gratiam ad vsum*: nam licèt nos simus causa, non tamen sine Deo, & ideo non soli; parum enim refert mutare nomen consensus, aut determinationis in nomen applicationis, nam res eadem est, & quidquid est, si à nobis fit, etiam à Deo fit, & si est aliquid supernaturale, non fit sine cooperatione, & influxu alicuius principij gratiæ, & supernaturalis. Quod dicitur applicari à nobis, non quia nos soli aliquid in illud efficiamus, sed quia veluti vltima concausa, quæ ad illum vsum gratiæ expectatur, est nostrum arbitrium, vt suprà declaraui.

Bernard.

Augus.

Vnde vltimò colligo frustrà nobis obiici, quòd gratiam faciamus pedissequam arbitrij, vel quòd illam humanæ obedientiæ subiiciamus. Quia in primis obedientia, quæ per hanc determinationem liberam datur Deo vocanti, non fit sine adiutorio gratiæ, vt dixi; ergo illa non potest dari obedientia humana in sensu, in quo loquebantur Semipelagiani, quos damnat Concilium specialiter illa voce vtens, can. 3. & 6. sed dicenda est obedientia supernaturalis, & quodammodo diuina, sicut inuocatio humana dicitur, quæ sine spiritu fidei fit, quæ autem à diuina inspiratione procedit, iam non est humana. Deinde ista obedientia supponit gratiã præuenientem, & est effectus eius; ergo determinatio ex parte voluntatis est pedissequa illius gratiæ, & non è conuerso. Nam per illam gratiam inducitur voluntas, dirigitur, & gubernatur, & voluntas illi subiicitur. Vndæ hæc gratia non tantùm præcedit in essendo, vt obiiciebatur, sed etiam in causando, vel formaliter physicè afficiendo intellectum, & voluntatem effectiuè moraliter suadendo, & excitando, ac finaliter alliciendo. Et quatenus est principium adiuuans, actualiter etiam præcedit ordine naturæ. Ipse verò influxus gratiæ adiuuantis est omnino simul, & ideo nec respectu illius potest gratia adiuuans dici pedissequa, sed solùm comitans, quod verissimum est. Igitur ex eo quòd prædeterminatio physica non præcedat, non sequitur præcedere nostram determinationem ad influxum gratiæ concomitantis, & ideo nullo modo sequitur, gratiam esse pedissequam liberi arbitrij, vt sæpe responsum ac declaratum est. 7. Corollarium

Concludo igitur, nullum argumentum in fauorem physicæ prædeterminationis ex illo Concilio sumi posse. Ex quo in primis pro nobis resultat argumentum ab auctoritate negatiua, quod vt sæpe dixi, in hac materia est vrgens, quia hæc Concilia accuratè doctrinam de Gratia tradiderunt, præsertim, quæ necessaria erat contra errores, quos refellebant. Secundò sumimus argumentum etiam positiuum valde probabile, ex verbis quibus illud Concilium nobis declarat præuenientia auxilia, eorumq; causalitatem, & efficientiam, semper enim vtitur nominibus significantibus vitales actiones intellectus, & voluntatis, & modum moraliter excitandi, & mouendi. Talia sunt illa verba Canonis 5. *per inspirationem Spiritus sancti corrigentis voluntatem*, per quæ explicat similes locutiones Scripturæ ad Philipp. 1. & ad Ephes. 2. Item illa Canon. 6. *vt hæc omnia agere valeamus, per infusionem, & inspirationem Spiritus sancti in nobis fit*. In illa Can. 7. *Non absque illuminatione, & inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suauitatem in consentiendo, & credendo veritati*. Nullis enim verbis poterat moralis inductio melius declarari. Nec refert quòd vtatur etiam verbis faciendi, & operandi, & nomine operationis, tum quia hæ voces generales sunt, & declarantur per alias proprias, & specificas, tum quia inspiratio est propria operatio, & effectio Dei in nobis. Vnde per illam facit Deus, vt velimus, vt in superioribus declaratum est. Vltimò expendimus illa verba Canonis 25. *Hoc etiam secundùm catholicam fidem credimus, quod accepta per Baptismum gratia, omnes baptizati Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare volue-* 14. Epilogus capitis.

voluerint, adimplere. Hæc enim verba vera esse non possunt, nisi auxilium illud quod necessarium est ad consentiendum gratiæ, eaque bene vtendum ad seruanda mandata, sit in hominis potestate, quod esse non potest, si sit physicè prædeterminans. Item illa conditio, *si fideliter laborare noluerit*, apertè ostendit hominem posse impedire, vel non impedire efficax auxilium, quod tamen de prædeterminante dici non potest, & ideo ab eodem Concilio per inspirationem declaratur, dum ait, *Ipse nullis præcedentibus bonis meritis, fidem, & amorem sui prius inspirat, vt & Baptismi sacramentum fideliter requiramus, & post Baptismum cum ipsius adiutorio, ea quæ sibi sunt placita, implere possimus.*

CAPVT XLIII.

Quid alia Concilia, vel Pontifices summi de gratia efficaci senserint.

1. POst superiora Concilia vsque ad nostra tempora in cæteris Prouincialibus Conciliis nihil ferè de Gratia traditum est. Nam licèt anno Domini 855. Concilium Valentinum Galliæ tempore Benedicti tertij celebratum controuersiam de gratia tetigerit, solùm approbat, & sequitur quod in prioribus Conciliis definitum fuerat. Quatenus autem in cap. 2. definit, malos ideo perire, quia boni esse non possunt, & cap. 3. damnat cum Concilio Arausicano dicentes, aliquos esse prædestinatos ad malum, potest eius auctoritas contra prædeterminationem physicam induci. Sed de hoc satis & generaliter dictum cap... expendendo rationes de auxilio sufficienti, & lib. 3. excludendo prædeterminationem ad malum.

2 Concilium Senonense expenditur

Pro nostra ergo sententia solùm expendimus doctrinam Concilij Senonensis, de cuius auctoritate in Prolegom. 6. dixi. Illud ergo Concilium in decretis fidei, cap. 15. multa docet quæ ad præsentem causam multum referunt, & ideo accuratè expendenda sunt. Nam quædam sunt verba quæ nostram sententiam apertè docere, alia verò quibus physicam prædeterminationem omnino refellere videtur. Priora verba huiusmodi sunt. *Neque liberum arbitrium asserentes diuinam excludimus propterea gratiam, quòd illi,* (id est, Nouatores) *falsò toties imponere non verentur, atque hoc fumo credulorum oculos perstringere, sed iuxta Scripturam sacram eo extendimus, vt voluntas humana misericordiæ præuenientis auxilijs suffulta, & interiori quodam, & occulto secretioris inspirationis afflatu contacta sese conuertant in Deum, Deo appropinquet, & ad veram illam gratiam sese præparet, qua tandem accepta sit ad vitam æternam.* In quibus verbis in primis aduertimus, non loqui Concilium solùm de gratia, qua voluntas humana se potest conuertere, sed de gratia, qua se conuertit, & ad sanctificantem gratiam præparat, ait enim hoc extendi libertatem humanæ voluntatis, *vt afflatu diuinæ inspirationis contacta sese conuertat in Deum*, &c. non ergo tantùm vt possit, sed etiam vt sese conuertat. Per inspirationis autem afflatum, seu contactum, certè non intelligit prædeterminationem, sed quod Scriptura illis verbis solet significare, & quod Concilium Tri-

Concil. Trid. dentinum dixit, *Ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem.* Ista ergo inspiratio ex parte præuenientis gratiæ sufficit iuxta Senonense Concilium, vt voluntatis libertas ad conuersionem in Deum extendatur, & consequenter, vt talis inspiratio effectum suum consequatur, ac subinde sit efficax. Neque illud Concilium agnouit alium præuenientem motionem distinctam ab inspiratione, quæ inter contractum eius, & conuersionem necessaria sit.

In sequentibus autem verbis talem prædeterminationem excludere videtur. *Neq; tamen tanta gratiæ necessitas libero præiudicat arbitrio, cùm illa semper sit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset, cui si quis aperuerit tantùm, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo. Nec denique tale sit huiusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit.* In quibus verbis multa sunt, quæ sententiam nostram plurimum confirmant. Vltima verò planè videntur contradictoria assertioni physicæ prædeterminationis. Nam qui illam astruunt, consequenter fatentur, non magis posse voluntatem humanam resistere auxilio prædeterminanti, quàm voluntati diuinæ absolutè, & efficaciter volenti, quia hæc voluntas in illo auxilio virtute continetur ita affirmat Bannez. 1. p q. 14. art. 13. §. *Secundo est notandum.* Dabila cap. 10. & 27. Aluarez. in cap. 10. Isaiæ, & de Auxiliis disput. 93. Verba autem Concilij Senonensis contradictoria omnino sunt, vt ex terminis constat.

Huic testimonio ex his verbis variæ dantur euasiones, quas expendere necesse est. Prima est. Concilium Senonense loqui de auxilio efficaci oblato à Deo, non autem de auxilio efficaci recepto in ipso arbitrio, ita P. Aluarez dicta pisp. 93. ad 1. in fine. 4. & dicit explicationem colligi ex ipso contextu. *Nam loca,* (inquit,) *Scripturæ adducta à Concilio ostendunt ipsum loqui de auxilio efficaci oblato, cui resisterunt Iudæi.* Hæc verò responsio refutatur primò, quia inuoluit contradictionem in eadem doctrina: namq; auxilium efficax est physicè prædeterminans, vel datur, vel omnino negatur ex parte Dei, cui actu non datur, & ideo nunquam ita datur, vt ei resisti possit, vel potiùs vt possit obex poni ex parte hominis infusioni eius, vt in superioribus latè probaui, non solùm ex principijs ipsius doctrinæ, sed etiam testimoniis auctorum eius, & in particulari eiusdem Aluarez, qui constanter negat posse dari ex parte hominis dispositionem liberam ad hoc auxilium, tam negatiuam, quam positiuam. Ex quo euidenter sequitur non posse hominem ponere obicem huic auxilio, cùm ex libera eius dispositione non pendeat; ergo etiam repugnat, hoc auxilium offerri, cui non datur.

Vnde quod ad hos attinet, libenter admittemus interpretationem Concilij, si vera esset. Quia si auxilium efficax tale est, vt verè possit offerri ex parte Dei, & impediri ex parte hominis, euidenter sequitur non esse auxilium prædeterminans. Ergo quacunq; ratione dicat Concilium Senonense posse hominem resistere auxilio efficaci, siue ne introducatur in homine, siue ne introductum operetur, optimè infertur non esse prædeterminans. Addimus verò interpretationem esse contra Concilij contextum; nam priùs ait quod voluntas humana *misericordiæ præuenientis auxilio suffulta, & interiori inspirationis afflatu contacta liberè sese conuertit.* Hoc autem non facit voluntas per auxilium oblatum, sed per auxilium datum, nec dici potest suffulta, & contacta, donec in se aliquid recipiat, & tamen de illa sic afflata probat Conc. libre operari, quia tale est hominis trahentis Dei auxilium, vt ei resisti possit; ergo loquitur de auxilio non tantùm oblato, sed recepto. Probatur sententia, tum ex contextu, & consequentia, sermonis, tũ quia alias probatio esset æquiuoca, & futilis. Nec testimonia Scrip. quæ Conc. adducit loquuntur de resistentia, quæ fit gratiæ oblatæ, sed de illa quæ facta est Iudæis auxilijs sibi collatis. Dei ille enim loquebatur Christus cùm dicebat Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, &c. & noluisti, præmittitur autem, Ierusalem, Ierusalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt.* Per quos nimirum Deus vocauerat eam, & non solùm obtulerat, sed etiam contulerat auxilia, quibus conuerteretur, si vel-

Act. 7. 6. 7.

sivellent. Et eodem modo loquitur Stephanus Actor 7. dicens, *Vos semper Spiritui sancto restitistis*, quæ testimonia Concilium affert.

6. Respondebunt, opinor, restitisse Iudæos sufficientibus auxilijs collatis, & efficaci oblato. Sed responsio supponit, efficax auxilium esse distinctum à præueniente, cui resisti potest, quod tamen est contra doctrinam illius Concilij, expressè enim dicit illud met auxilium præueniens quo homo conuertitur in Deum, tale esse vt ei resisti possit, & ideo conuersionem esse liberam; ergo etiam respectu auxilij efficacis requirit ad libertatem actus resistendi potestatem. Imò, (vt suprà circa Concilium Tridentinum notaui,) vt ratio Concilij sit efficax, & non sit ex puris particularibus, necesse est, vt loquatur de omni auxilio præueniente necessariò ad efficaciam auxilij, alioqui non rectè probaret actũ esse liberum, quia vni auxilio præuenienti potest homo resistere, si alteri non possit resistere. Vnde cùm singulariter loquatur de auxilio præueniente, vel sentire esse vnum tantùm, vel collectiuè loquitur de toto auxilio præueniente, ac trahente, ac de illo etiam quando actu operatur, dicit posse hominem illi resistere, etiam quando illi non resistit. Vnde consequenter etiam sentit, illud idem auxilium, cui homo resistit, de se esse efficax, & futurum fuisse efficax, si homo voluisset, seu si per eum non stetisset. Et propterea optimè inducit illa testimonia, vt ex eo quod homini imputatur, quando auxilium manet inefficax, inferat, etiam quando est efficax posse hominem illi resistere, quia nimirum idem omnino auxilium præueniens est, cui homo interdum resistit, interdum verò non resistit, licèt possit. Neque in alio sensu potest tota illa doctrina firma, & solida inueniri. Quod verbis sequentibus optimè confirmat, dicens, *Frustra Paulus Thessalonicenses admoneret spiritum ne extinguerent si diuinis inspirationibus homines ineuitabiliter raperentur*. quæ ratio vim habet in prædeterminatione, quia respectu illius frustranea esset talis admonitio, quia ineuitabiliter illum rapiet, magis autem esset vana respectu eius, cui non datur, quia esset de re sibi impossibili. Non agnoscit ergo Concilium tale genus rapientis auxilij, nec aliud præueniens agnoscit, nisi diuinas inspirationes quæ sine ineuitabili raptu efficaces esse possunt. Vnde subiungit idem Concilium. *Trahit quidem Deus*, vtique efficaciter, *sed in eius odorem currimus, non vi, non vnco raptamur*. Certè non potest voluntas maiori vi raptari, quàm physica prædeterminatione; nec potest cogitari motio, cui metaphora *vnci* magis accommodetur. Satis ergo apertè docet illud Concilium Deum inspirationibus trahere homines; non alio auxilio, quod instar vnci eos rapiat, ita vt resistere non possint.

7. Aliter respondet idem Auctor distinguens in illo auxilio entitatem eius à ratione instrumenti primę causæ: nam priori ratione ait, est causa particularis, & ei resisti potest; posteriori autem modo continet in se intentionem voluntatis diuinæ, quæ est causa vniuersalis omnium entium, & vt sic ei resisti non potest. Dicit ergo Concilium loqui de illo auxilio sub priori ratione, non sub posteriori: hoc autem solum ex eo colligit, quòd aliàs assertio esset falsa, quia si illo auxilio posteriori modo spectato, resisti posset, voluntati Dei posset resisti, quod falsum est. Sed non est hæc probabilior euasio. Primò ad hominem repugnat propriæ doctrinæ; docent enim illi Auctores auxilium esse per se efficax, & ex vi suæ entitatis, & naturæ voluntatem ad exercitiũ physicè determinare; ergo fateri debent, tale esse illud auxilium, etiam in sua entitate præcisè consideratum, vt illi non possit humana voluntas resistere. Item aiunt, entitatem illius auxilij non subordinari, nec subesse dominio voluntatis creatæ, sed potius illam sibi subijcere ex vi suæ entitatis, ergo non est in voluntate potestatis affectæ illa entitate talis auxilij vti, vel non vti, sed potius auxilium semper illa vtitur, ita vt voluntas in hoc non possit ei resistere. Item ajunt frequentissimè implicare contradictionem, entitatem illius auxilij coniungi cum carentia actus, seu effectus eius ad id autem quod implicat, nulla est potentia, ergo non est in voluntate potestas coniungendi carentiam cum illo auxilio, vel cum entitate eius præcisè spectata, ergo nec est potestas resistendi illi entitati.

8. Instantia.

Dicent fortasse entitatem illam prodire semper à voluntate Dei absoluta & non posse aliter fieri, & inde prouenire, vt implicet coniungi cum carentia actus, ac proinde illam impotentiam resistendi nõ esse solùm respectu entitatis auxilij, sed prouenire à voluntate Dei. Sed in hoc etiam æquiuocario cõmitti videtur, quia duæ voluntates Dei absolutè ibi distinguendæ sunt, vna est voluntas faciendi in humana voluntate entitatem talis auxilij, alia est voluntas absoluta, quòd homo conuertatur: nã cùm conuersio actualis, & auxilium ad illam in re sint distinctæ entitates, vt supponitur, etiam potest voluntas diuina in ordine ad illas secundum rationẽ distingui. Quamuis ergo illa entitas auxilij non possit esse in rerum natura sine voluntate Dei absoluta dandi illam, quia est causa efficiens eius vnica: nihilominus si talis entitas per se non est talis, vt ei voluntas humana resistere non possit, producere poterit illam Deus ex sola ista voluntate absoluta de actu conuersionis hominis, quia hęc voluntas non est per se causa efficiens illius entitatis, nec repugnat fieri ex alia intentione diuina, pro illius libertate. Neque in se habet vnde repugnet separari à tali conuersione, neque id recipit ex illa sola voluntate diuina, per quam fit, quia ex vi illius solam entitatem intrinsecam recipit. Hoc autem dicitur esse impossibile in illa sententia.

Soluitur.

9. Alia instantia.

Vnde aiunt entitatem illius auxilij necessariò procedere à voluntate Dei, qua vult ipsam hominis conuersionem. Ergo in hoc necessariò supponunt, entitatem illam talem esse, vt ex vi suæ essentiæ, & proprietatis habeat ita determinare voluntatem humanam, vt habeat ineuitabilem connexionem cum actuali eius consensu. Non ergo habet illa entitas talem efficientiam, quia subest voluntati Dei de consensu voluntatis creatæ, sed potiùs ideo volendo Deus talem entitatem; necessariò vult efficaciam illam consensus, quia est intrinseca, & inseparabilis à tali entitate. Tandem ita hoc declaro, quia vel illa entitas de se, & natura sua habet, quòd sit instrumentum absolutæ voluntatis Dei de actu voluntatis hominis, vel solùm id habet ab extrinseco ex arbitrio Dei; hoc posterius dici non potest in illa sententia, tum quia aliàs posset poni in re illa entitas, & non assumi, vt tale instrumentum, tum etiã, quia quærendum statim erit, quid addat Deus illi entitati, volendo illa vti, vt tali instrumento: nam si nihil addit, impertinens est illa entitas, quia sine illa posset Deus vti inspiratione, vt instrumento ad talem effectum, & vti vna inspiratione, & non alia, pro suo arbitrio. Si verò illa entitas natura sua habet innatam, & inseperabilem illam rationem instrumenti, inutilis est distinctio, quia in entitate illius auxilij præcisè spectata includitur essentialiter ratio instrumenti, & ita non potest illi resisti magis sub vna ratione, quàm sub alia.

Retorquetur.

10. Concilij explicatio, reiicitur.

Secundò hinc facilè ostenditur alienam esse expositionem à mente dicti Concilij. Primò, quia non est verisimile Concilium cogitasse de distinctione obscurissima, & quæ vix possit intelligi, minùsque credibile est ex illa pendere concordiam libertatis cum auxilio efficaci gratię, & veritatem illius propositionis, quòd homo possit illi resistere,

& quòd Concilium tam absolutè, & sine distinctione affirmauerit posse voluntatem illi auxilio resistere. Secundò & maximè, quia Concilium expressè loquitur de illo auxilio, vt est virtus, seu instrumentum Dei ad trahendam voluntatem. Hoc apertè probamus ex illis verbis. *Interiori quodam, & occulto secretioris inspirationis afflatu contracta,* & ex illis. *Nec tamen tale sit huiusmodi trahentis Dei auxilium,* &c. auxilium enim quo Deus nos trahit, instrumentum Dei est, vnde cùm à Concilio consideretur, vt per illud nos Deus trahit, euidenter loquitur de illo vt instrumento Dei. Item infrà eodem modo considerat diuinas inspirationes, quando dicit, *non rapere nos ineuitabiliter*, ac denique metaphora vnci apertissimè declarat, & sermonem esse de auxilio, vt instrumento Dei, & Deum non rapere nos suo auxilio, neque vti illo vt tali instrumento, quo veluti vnco raptemur. Tertiò per illam distinctionem destruitur doctrina Concilij, nam quacumque ratione non possit resisti illi auxilio, tollitur libertas actus, si enim illi entitati secundùm se spectatæ resistere non possemus, non esset consensus noster liber; ergo si illi vt instrumento Dei resistere non possumus, consensus non erit liber. Probatur consequentia, quia quod ad nos attinet, tanta necessitas nobis infertur vno modo, sicut alio: quod autem ex parte agentis hoc vel illo modo fiat, nihil ad nostram libertatem refert, vt in primo Prolegomeno latè ostensum est. Et confirmatur, quia illa entitas non habet rationem diuini auxilij, nisi quatenus per voluntatem Dei datur; ergo si illi vt subest voluntati resistere non possumus, simpliciter auxilio diuino resistere non possumus, cuius contrarium simpliciter, & sine addito, vel declaratione docuit illud Concilium.

11. Alia eiusdē Concilij expositio.

Addunt ergo tertiam explicationem, dicentes, *vel potest explicari Concilium de resistentia in generali quadam acceptione, quatenus posse resistere, est idem, quod velle dissentire, si velit, vt loquitur sanctum Concilium Tridentinum.* Per quæ verba videntur velle huic etiam applicare explicationem de sensu diuiso. At profectò si liceret hoc pacto Concilia interpretari, nihil certi in illorum definitionibus, ac doctrinis haberemus. Quoties enim aliquis sentiret verba Concilij contraria ei opinioni, cui ipse affectus est, posset ad libitum verba ad improprium sensum detorquere, vel significationem nouam, & communiter non vsitatā illis effingere. Certè si hoc licitū est, frustrà Augustinus ex vi, & proprietate nominis *Adiutoris,* quo Deum inuocamus. *Adiutor meus esto, ne derelinquat me,* Psal. 78. colligit etiam nos aliquid agere. *Nam si nihil agis,* (inquit,) *quomodo iuuaris.* tract. 4. in 1. epist. Ioan. & sermone 13. de verb. Apostoli, imò vniuersa Ecclesia ex proprietate verborum, *Hoc est corpus meum,* colligit realem præsentiam corporis Domini in Eucharistia. Et simili modo ex proprietate verborum, quibus idem Christus Deus, & homo dicitur in Scriptura veritatem mysterij Incarnationis, secundùm substantialem vnionem duarum naturarum comprobauit. Et in vniuersum hæc regula interpretandi Scripturam, vt à proprietate verborum sine auctoritate certa, vel ratione cogente non recedamus. Quæ in Conciliorum interpretatione seruanda est, præsertim quando doctrinam tradunt contra hæreticos, tunc enim summa industria omnem sermonis improprietatem, & ambiguitatem vitare student, ne hæreticis occasionem tergiuersandi, & eludendi doctrinam relinquant, quoad fieri possit.

Psal. 78.

Scripturam interpretandi regula.

12. Nullo ergo modo admittenda est illa interpretatio, quę à proprietate verbi *resistendi* recedit. Quid enim quæso est *resistentia in generali quadam acceptione?* Aut quis vnquam intellexit verbum *resistendi* habere locum vbi non est oppositio, seu contraria motio? Resistentia ergo intrinsecè inuoluit compositionem contrariæ motionis, & ideo interpretari potestatem resistendi in sensu diuiso perinde est, ac dicere, illam non esse potentiam resistendi, sed cessandi ab opere, si motio aliàs cesset. Vnde rectè argumentatur vir ingeniosus à simili ex verbis Pauli Roman. 4. *Vbi non est lex, nec præuaricatio*; nam quia præuaricatio includit compositionem cum lege cui opponitur, optimè concludit, vbi est præuaricatio, supponi legem, & cessante lege non habere locum præuaricationem. Ita ergo resistentia intrinsecè dicit compositionem cum opposita motione, & ideo si liberum arbitrium dicitur posse resistere auxilio gratiæ, supponitur auxilium mouens arbitrium: si autem non potest impedire opus auxilij, nisi prius auferatur auxilium, illud non est posse resistere. destruitur ergo sententia Concilij, cùm sensus diuisus in ea cogitatur. Quod à fortiori probant omnia dicta in simili de Concilio Tridentino, nam verbum *resistendi* euidentius facit sensum compositum, & idem sensus æquè necessarius in præsenti est, vt sententia Concilij sit hæreticis contraria, & vtex illa potestate resistendi rectè libertatis vsum inferat, vt satis in cap... explicatum est.

Rom. 4.

Hinc tandem Ledesma art. 13. ad 5. fatetur auxilium efficax non esse tale vt ineuitabiliter inferat actum; *nam auxilia,* (inquit,) *quæ ineuitabiliter actum inferrent, tollerent libertatem, quia non relinquunt in potentia potestatem, qua possit actus vitare. Et de talibus auxilijs* (inquit,) *loquitur Concilium Senonense.* Vnde consequenter ait, ex auxilio efficaci actum sequi infallibiliter, non ineuitabiliter; quia cùm moueat potentiam & prædeterminet illam, iuxta naturam, & conditionem voluntatis liberæ, semper manet in potentia virtus, & potestas ad actum vitandum, si vult. Et ad hoc suadendum adducit communem doctrinam distinguentem inter illos duos terminos, & asserentem contra Caietanum affectus liberos, & contingentes respectu *diuinæ voluntatis,* venire infallibiliter, non ineuitabiliter, quia infallibilitas respicit scientiam, ineuitabilitas dicit ordinem ad causas secundas, quæ licitare *nequeunt,* inquit, *effectus productionem, ad illam necessitantur.* Vnde licèt expressè non dicat posse hominem resistere auxilio efficaci, id apertè sentire videtur: tum quia per illam doctrinam vult satisfacere Concilio Senonensi, vt ipsemet declarat, tum etiam, quia si effectus non est ineuitabilis supposito auxilio; ergo potest liberum arbitrium illud euitare; ergo potest impedire; ergo potest auxilio resistere.

Hæc verò responsio in primis non potest Concilio satisfacere, tum quia manifestè loquitur de potentia resistendi, quæ respectu eius auxilij potest in actum reduci, vt patet ex testimonijs Scripturæ, quæ adducit, tum etiam, quia non agnoscit auxilium præueniens, nisi diuinas inspirationes, quibus immediatè coniungi dicit consensum, vel dissensum & tamen respectu illarum ponit resistendi potentiam, non respectu alterius auxilij prædeterminantis, imò sentit non dari, quia illi resistere non posset, quia esset veluti vncus voluntatem raptans. Deinde illa responsio, vt suprà latè ostendi, destruit propriam sententiam; nam si auxilium tale est, vt implicet contradictionem, cum illo componi carentiam actus, quomodo actus ille est euitabilis supposito auxilio, nam euitabilitas dicit possibilitatem carentiæ actus non obstante auxilio, quæ possibilitas fundari debet in potestate vitandi actum in sensu composito, & stante auxilio: vitare autem non est aliud quàm carere illo; ergo includit potestatem carendi actu, coniungendo illam carentiam cum tali auxilio. Quæ autem potentia

Conc. Senon.

potest

potest esse ad id, quod implicat contradictionem. Præterea distinctio illa inter infallibile, & ineuitabile optima est, si infallibilitas solùm dicat habitudinem ad scientiam intuentem veritatem futuri effectus in seipsa; si autem oriatur ex causa, inuoluit repugnantiam, nam talis ineuitabilitas fundatur in ineuitabilitate effectus à tali causa. At verò effectus auxilij efficacis dicitur esse infallibilis ex vi auxilij secundùm se spectati, vt est causa talis effectus, ergo repugnat dicere, effectum sic infallibilem non esse ineuitabilem respectu talis auxilij. Et ideo Dauila in suo libro sæpe dicit, hoc auxilium mouere voluntatem infallibiliter, & ineuitabiliter, & Cabezudo dixit infallibiliter, & immutabiliter, quod perinde est. qui certè magis consequenter loquuntur, tamen nimis apertè contradicunt Concilio Senonensi, & id admittunt, quod directè videtur contrarium libertati, E contrario verò Ledesma timens hunc lapsum, à propria sententia inuitus recedit.

Dauila.

Cabezuda.

Ledesma.

15. *Declaratur.* Et declaratur ampliùs ad hominem, nam idem Auctor art. 2. ad 5. circa finem ait, auxilium prædeterminans applicare voluntatem ad operandum, & omnino non subordinari ipsi potentiæ etiam quoad exercitium actus tenet se ex parte primæ causæ, nam est motio, qua mediante Deus mouet potentiam, & ideo non subordinatur illi. Ex quo euidenter infertur voluntatem non habere vllam potestatem supra tale auxilium, vt illud impediat ab exercitio sui actus: nam illa duo sunt correlatiua disquiparantiæ, scilicet, subesse alteri, & hoc illi præsse; ergo ablato vno, aufertur aliud; si ergo auxilium non subordinatur potentiæ voluntatis quoad exercitium actus, nec voluntas habet potestatem, quia illi præsit, (vt sic dicam,) vel possit impedire exercitium sui actus; ergo non habet potestatem vitandi talem actum. Ergo repugnant illa duo, scilicet, auxilium non subordinari potentiæ, & potentiam posse euitare actum, stante auxilio. Quòd si fortè dicat hanc potentiam vitandi talem actum esse tantùm in sensu diuiso, videmus ad priora absurda, & tantùm verbis ludimus. Quia hæc potestas non tollit, quin auxilium simul datum ineuitabiliter actum inferat: nulla enim esse potest motio adeò necessitans quin in sensu diuiso relinquat potestatem vitandi actum, vel potius carendi illo: quia reuera posse carere actu, oblato auxilio, non est posse vitare illum, quandoquidem nec potest vitare, quin habeat auxilium per intrinsecam potestatem moralem, sed solùm potest illo carere ex voluntate extrinseca Dei, nec illo auxilio posito potest vitare, quin actus sequatur. Nullam ergo subterfugium linquitur, quo hæc definitio Concilij Senonēsis eludi, aut vitari posse videatur.

Illatio.

16. *Obiectio ex Concilio Senonensi.* Contra nos verò obiici solet ex eodem Concilio Senonensi, quia de bonis operibus dicit, *In quibus & liberum arbitrium operatur, & gratia, primò tamen & principaliùs gratia*, & vt Pelagianum condamnat, non solùm eum, qui negat necessitatem gratiæ, sed etiam qui primatum illi denegat. Sed hæc quid contra nos? qui id totis viribus, & omni veritate, & proprietate defendimus, cum eadem proprietate libertatem seruantes, & declarantes quod alij in hac posteriori parte non præstant, & ideo potiùs eisdem verbis perstringi possunt.

Eluditur.

17. *Alia obiect. ex Concilio Moguntino.* Objciunt etiam nobis Concilium Moguntin. cap. 7. in quo nihil inuenimus, nisi quòd Concilij Arausicanum, & Tridentinum docuerunt, scilicet, initium iustificationis esse ex gratia, & per gratiam nos excitari, & adiuuari, vt cōsentiendo, & cooperando ad iustificationem disponamur. Quæ omnia nos constanter docemus, idémque quod verbis Concilij Senonensis proximè respondemus, de illis dicere possumus. Et quæ in Concilio Tridentino & aliis expendimus, in hoc ponderari possunt, quia tantùm ponit gratiam excitantem, per quam solus Deus operatur in nobis, & adiuuantem qua nobiscum operatur, & nos illi liberè cooperamur: aliam verò prædeterminantem gratiam nec agnoscit, nec indicat.

18. *Obiicitur testimonij aliquod sub nomine Cōcilij Colon.* Denique obiiciunt nobis testimonium aliquod sub nomine Concilij Colon. quod reuera Concilij non est, sed enchiridium quoddam non magnæ auctoritatis, vt in Prologomen. 6. cap. 22. in fine diximus, & ideo necessarium nobis non esset ad illud respondere, etiamsi in aliquo nobis contradicere videretur. Re tamen vera nihil habet contrarium, imò sæpe dicit in hominis voluntate esse vt gratiam sibi oblatam vel recipiat, vel repudiet, & præuenientem gratiā acceptare, vel abijcere, & similia nostræ sententiæ consentanea. Neque ibi aliam gratiam operantem, vel præuenientem insinuat, præter diuinas inspirationes, & illuminationes. Nihil ergo illi Enchitidioni respondere necesse est. Vtile verò conseo explicare quandam distinctionē auxilij præuenientis, quā ibi tradit, tum quia esse potest vsui, tum etiam, quia posset aliquis ad prædeterminans auxilium illam applicare. *Nam quædam dicitur esse, quia Deus præuenit peccatorem, vt resurgat, alia qua peccator præuenienti Deo assentiens resurgit.* Vnde prior cogitari potest esse auxilium præueniens sufficiens, posterior verò auxilium efficax prædeterminans, quia dat non tantùm posse, sed etiam consentire. Et ideò hæc posterior vocatur ibi *iustificans gratia*, quia infallibiliter pertrahit ad illam.

Distinctio auxilii præuenientis, ibi tradita exhibetur.

19. *Alia datur circa gratiā præuenientem, ex actibus, & proximis effectibus.* Alius verò sensus longè fuit ab auctore illius libri intentus. Dinstinxit enim duplicem gratiam præuenientem, non ex modo determinandi, seu mouendi voluntatem, sed ex actibus, & proximis effectibus, ad quos gratia præueniens datur. Vna enim datur ad actus, qui remotè disponunt ad iusti etiam, alia ad actum, qui est vltima dispositio; & prior dicitur dari peccatori vt resurgat, posterior verò quādo iam resurgit. Vnde vtraq; ex his gratijs potest esse sufficiens, & efficax, neutra verò est physicè prædeterminans voluntatem. Nam de priori gratia ibi dicitur resistere in motu cogitationis sanctę, & affectionis, vel timoris, & ex illa sępe oriri bonos actꝰ, liberos, & supernaturales disponētes ali quo modo ad iustificationē, inter quos actꝰ ponitur actus fidei, vel attritionis. Est ergo gratia præueniens, non tantum sufficiens, sed etiam efficax ad suum proximum effectum propter quem datur, licèt non semper sit efficax ad effectum iustificationis vltimò intentum. Sicut vocatio ad fidem qua homo de facto conuertitur ab infidelitate, licèt non conuertatur ad pœnitentiam aliorum peccatorum, vocatio efficax est in suo gradu, licèt non fit ex omni parte perfecta, nec efficax quoad omnia ad iustificationem necessaria. Vnde in illo effectu inuenitur libera determinatio voluntatis, quæ ab ipsa fit cum cooperante gratia, & non à sola præueniente: quod in eodem libro §. *Ergo cùm peccator*, insinuatur cùm dicitur, *Interim nos ante iustificationem nihil facimus, nisi quòd bonis inspirationibus Dei non repugnamus, sed assentimus.*

20. *Gratia præueniens, quę dicitur dari homini peccato,* Alia verò gratia præueniens dicitur dari homini resurgenti à peccato, quia datur immediatè ad dispositionem vltimam quę simul tempore est cum iustificatione ipsa. Et hæc etiam gratia præueniens homini resistit in diuinis excitationibus, per illuminationem, & inspirationem Spiritus sancti, quibus homo immediatè inducitur, & eleuatur ad vltimam dispositionem, atque ideo ad ipsam iustitiam, vt ibidem §. *Hanc autem gratiam*, latè exponitur, vnde hęc etiam gratia præueniens potest interdum tantum esse sufficiens, interdum verò etiam efficax, cooperante ipsi libera voluntate, eadem gratia prę-

uenta, & adiuta. Et hoc est quòd ibi significatur cũ dicitur: Ita totum Deo recte adscribitur qui voluntatem nostrã quam creando nobis impertiit, gratia sua præuenit, excitat torpescentem, vt lapsum suum norit; postea corrigit nolentem, vt resurgere velit; postremò adiuuat voluntatem, vt resurgere possit, & sic salus nostra *Dei gratuitum est donum* Hæc autem motio, & excitatio, quæ datur, vt immediatè efficiat, vltimam dispositionem ad gratiam, actu non iustificat hominem, nisi quando actu obtinet à voluntate hominis talem consensum, & ideo tunc solùm potest illam determinationem gratiæ iustificantis recipere, iustificantis scilicet, non formaliter, sed suo modo effectiuè, & dispositiuè. Ad hanc autẽ efficientiam, vel denominationem non est necesse, vt habeat ex se, & natura sua suam vim prædeterminandi physicè voluntatem, sed satis est vt secundùm propositum Dei in ea opportunitate conferatur, in qua prænoscitur effectum habitura: neque aliud ex illo Enchiridio colligi posset, etiamsi eius auctoritas admittenda esset.

2. Præter Concilia desiderare potest Lector, vt alia decreta Ecclesiastica à summis Pontificibus de hac materia edita expendamus. Si quis autem legat attentè, quæ de doctrina pontificum in hac materia diximus Prologomen. 9. cap. 1. facilè intelliget, nihil hic nobis addendum superesse quia ipsi in suis Decretalibus solùm confirmant Africana Concilia, vel eandem doctrinam tradunt, quam illa, & Arausicanum Concilium docuerunt, & ideo quæ de his Concilijs diximus, decretis Pontificijs intelligi debent. Docent enim necessitatem gratiæ contra Pelagium, illique tribuunt salutis initium contra Semipelagianos, de auxilio autem prædeterminante ne verbum insinuant. Quod maximè intelligere liceat ex epistola Cœlestini, vbi summatim omnes sententiæ, in quibus doctrina fidei ad gratiam pertinens continetur, referuntur ex Innocentio Papa, & Africanis Concilijs, & aliquid additur ex Zosimo Papa, quod in eius decretis nunc non habemus. Et in fine subduntur illa verba, *Profundiores verò, difficiliores que partes occurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere, quia ad confitendum gratiam Dei, cuius operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus quidquid secundum prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt.* Cùm ergo in superioribus regulis nihil de gratia prædeterminante doceatur, rectè ex his vltimis verbis concludimus ad expugnandos Pelagianos, & Semipelagianos, & ad totam gratiæ necessitatem tuendam, illam non esse necessariam, ac proinde cum aliunde videatur libertati repugnare, non esse admittendam. Propter hæc igitur plura de his epistolis Pontificum dicere non est visum necessarium, neque etiam pro nobis aliud speciale argumentum ex eis sumimus, præter negatiuum, quia sine auxilio prædeterminante sufficientem gratiæ doctrinam nobis tradiderunt, & Pelagianos, & Semipelagianos confutarunt, quod in hoc puncto, vt sæpe ostendi, magnum est argumentum. Aliqua verò quæ nonnulli Pontifices, non vt Pontifices, sed vt Scriptores, vel Doctores Ecclesiastici tradiderunt, in sequenti capite proponentur. Ad Patres igitur veniamus.

CAPVT XLIV.

Ex Patribus Augustino antiquioribus physica prædeterminatio refellitur, & vocatio congrua comprobatur.

VT veritatem lucidiùs ostendamus, & Lectoris fastidium leuemus, in tres classes Patres, à quibus argumentum sumimus, distinguimus. In prima ponimus eos, qui vel Augustinum præcesserunt, vel vsque ad eius tempora vixerunt, & ab eo doctrinam eius de gratia vix legere potuerunt. In secunda solùm Augustinum ipsum constituimus, tanquam præcipuum gratiæ Dei propugnatorem. In tertia ponimus subsequentes Patres, qui Augustinum imitati sunt.

Quod ad primi ordinis Scriptores spectat, quia, vt dixi, ferè nullus eorum præter Hieronymum de diuina gratia ex professo disputauit, non sunt ab eis testimonia expressa expectanda, sed tantùm aliqua generalia principia, ex quibus per necessarias, vel multum probabiles illationes eorum sententia colligi valeat. Huiusmodi autem principia duo esse censemus. Vnum est quòd efficacia prænientis gratiæ moralè modo explicent sine physica, seu efficaci prædeterminatione: aliud est quod ad libertatem requirunt intrinsecam potestatem proximam sese flectendi ad vtrumque, cui repugnat necessitas prædeterminationis ab extrinseco prænenientis, vt in lib. 3. cap. 43. allegaui, & statim aliqos addam; qui etiam in operibus gratiæ necessariam existimant eandem potestatem proximam ad vtrique partem. Ac proinde voluntas in nostra potestate esse vti, vel non vti gratia, qua à Deo præuenitur, quod repugnat physicæ prædeterminationi, vt defensores eius fatentur.

Primò igitur ex Patribus Græcis adduco Chrysostomum homil. 19. in Genes. dicentem. *Quia liberi arbitrij esse nostram naturam fecit Deus, ipse quidem quæ sua sunt, per suam misericordiam semper exhibet, & scientias abscondita, & profunda, mentis arcana hortatur, consulit, conatusque nostros malos reprimit, & necessitatem virtuti non imponit.* Quomodo autem necessitatem non imponat declarans, subiungit. *Sed congruit remedijs appositis, totum iacere in ægrotantis sententia, dimittit.* Quod non video qua veritate dici posset, si ex parte Dei concursus gratiæ necessarius, non cum indifferentia offerretur, sed in vnam partem prorsus voluntatem hominis determinaret. Et ideo indicat Deum suadendo, & vocando congrua ponere media iuxta infinitam præscientiam suam, Vnde Homil. 22. sic inquit. *Quia in nostra potestate totum post gratiam relictum est, ideo peccantibus supplicia proposita sunt, & bene operantibus retributiones.* Vbi valde notanda est particula *post gratiam*, tum ad explicandam mentem Chrysostomi in alijs locis, quæ mox referemus, quia manifestè loquitur de gratia præueniente, & constituente voluntatem in actu primo: tum etiam, quia sub illa gratia comprehendit omnem gratiam quouis modo antecedentem consensum voluntatis, vt ex priori loco, & ex ipso contextu manifestum est, & illa stante dicit, totum relinqui in potestate voluntatis; non quia voluntas non indigeat concursu Dei ad actualem consensum, sed quia illum habet ad vtramque partem paratum, & solùm expectatur cooperatio eius, ac si præcederet gratia prædeterminans, illa profectò non relinqueret totum in nostra potestate, quam ad vnum ineuitabiliter flecteret. Et simili modo dixit idem Chrysostomus Homil. 9. in

in Ioan. *Deus neminem cogit suadendo, & benefaciendo voluntarios quoscunque, & vltrò sequentes allicit, & ad se trahit.*

4. Aliis præterea locis videtur Chrysost. apertè prædeterminationem negare, vt Homil. 17. in Io. cùm dicit, *Deus nostras non præuenit voluntates*, & Homil. 12. ad Hebr. dicens, *Nostras non antecedit voluntates, ne nostrum lædatur arbitrium*, & Homil. 42. ad popul. *Nostras non præuenit voluntates, ne nostram teneret libertatem.* In quibus locis verbũ *antecedit*, & verbum *præuenit*, non sunt quidem posita ad excludenda auxilia gratiæ excitantis, seu præuenientis, quæ antecedens etiam dici potest: nam in hoc sensu locutiones continerent errorem contra fidem. Ergo posita sunt ad excludendum motionem vi sua efficaciter prædeterminantem voluntatem. Nec iuuabit, solùm dicere posita esse ad excludendam motionem necessitantem; tum quia iam est ostensum, non posse præuiam motionem sic determinare, nisi necessitet: tum etiam, quia essent futilia, & identica verba Chrysostomi, perinde enim esset, ac si diceret, Deus non necessitat voluntatem, ne tollat libertatem: sensus ergo est non præuenire illam tali efficaci motione, ne libertatem eius lædat, seu illam ne-
Psalm. 118. cessitet. Atque in eodem sensu exponit Chrysostomus in dicta homil. 42. illud Psalm. 120. *Ne des in commotionem pedem tuum*, dicens. *Quia in nobis est dare, non in vllo altero*, vbi illa negatio non excludit omnem effectionem Dei, vt per se constat, & ipse statim declarat; excludit ergo præmotionem, quæ efficaciter faciat voluntatem ad mouendum pedem. Nam verbum illud Psalmi, *Ne des*, idem significat, quod ne eligas, aut voluntatem tuam ad hoc determines. Et ideo sibi statim obiicit; *Quid ergo in Deo nihil est?* respondet, *Omnia quidem in Deo, sed non ita, vt liberum in nobis arbitrium violetur.* Nihil ergo potuit excludere, nisi hanc efficacem præmotionẽ.

5. Præterea homil. 5. ad Ephes. in illa verba, *Qui aliquando eratis longè, facti estis propè*, cùm dixit, *Illud*
Ephes. 2. *longè, & illud propè est solius liberi arbitrij, & electionis*, per illud *solius* non excludit adiutorium Dei; excludit ergo motionem, quæ determinationem voluntatis anteuertat, & indifferentiam tollat. Et eandem doctrinam latè tradit in Homil. de ferend. reprehensionib. & conuersione Pauli in fine, vbi prius dicit, *Paulum non sola vocatio adduxit, sed & voluntas eius*, & addit infrà, *Vellem autem vos sermonem hunc diligenter memoriæ tenere.* Et infrà, cùm dixisset, Deum ita trahere hominem, vt non cogat, addit verba valde notanda. *Nam si ipse vult, nos autem volumus, ad nostram salutem nihil proficiunt ea quæ alioquin efficacia sunt, non quia infirma sit eius voluntas, sed quia cogere neminem vult.* Vbi primum expendo vocare Chrysostomum efficacia auxilia, quæ ad salutem nihil proficiunt, quia homo resistit, sentiens planè per hominem tantùm stare, vt effectum non habeant. Deinde docere, Deum non mouere hominem, qui conuertitur, neque etiam Paulum ipsum per talem motionem cui homo resistere non possit, non quia Deus id facere non possit, sed quia si faceret, hominem cogeret, id est, necessitaret. Et hinc paulo infrà reprehendit excusationem eorum qui dicunt, *Si Deus volet, persuadebit mihi vt conuertar. Quos non arguo*, (inquit,) *sed valde probo quòd ad voluntatem Dei confugiunt, vellem autem, nos etiam nostra offerre, & cunc dicere, si Deus voluerit.* Et infrà, *Et alioqui se solam voluntatem Dei prætexas, nihil eorum quibus opus habes, adipiscetis vnquam.* quibus verbis, & multis aliis docere præcipuè intendit efficaciam gratiæ quoad actualem determinationem voluntatis humanæ, non ex sola diuina, sed simul ab humana pendere.

6. Ad hæc testimonia Chrysostomi, præsertim ad
Cumel. locum homil. 12. ad Hebr. respondet Cumel. Chrysostomum non solùm ibi de auxilio prædeterminante, sed etiam de omni auxilio præueniente, & excitante loqui, ac subinde errasse, & semina Semipelagiani erroris iecisse. Et in me acriter inuehitur quòd ineptè locum illum citauerim, subticendo antecedentia, & consequentia verba. Et nihilominus ex eadem Homil. 12. suam sententiam probare conatur, quasi potuerit Chrysostomus sentire preuenientem gratiam diuinæ inspirationis, vel excitationis repugnare libertati. Et ad hanc posteriorem partem suadendum adducit generalia verba eiusdem Chrysostomi Homil. 4. de laudibus Pauli, quibus virtutem & potentiam gratiæ diuinæ mirum in modum extollit, & insuperabilem vocat. Et specialiter ponderat illa verba. *Noli*, (igitur,) *in prava permanere sententia, sed considera virtutem Crucifixi. Quod si temporum opportunitas cuncta fecisse dicatur, ad repellendum Theodorus, & eius discipuli proferentur, qui cum eisdem ferè, quibus etiam Christus temporibus extitisset, & veritatem per quædam etiam signa impugnare tentasset, repentè destructi sunt.* quæ verba videtur inducere contra gratiæ congruitatem, quia sentit Chrysost. efficaciam eius, non ex temporis opportunitate, sed ineffabili Christi virtute prouenire.

7. Hæc verò obiectio, & reprehensio efficaciam dictorum testimoniorum magis illustrat, cùm non possint aduersarij illa effugere, nisi attribuendo Chrysostomo tum Semipelagianum errorem, tum contradictionem in propria doctrina. Ego verò in primis censeo, Chrysostomum verè, & catholicè sensisse de initio salutis, & iustitiæ, quòd ex gratia sit, & non ex nobis. Hoc latè probaui in dicto cap. 8. lib. 1. de prædestinat. verbis expressis eiusdem Chrysostmi, Homil. 18. & 38. in Genes. Homil. 12 in 1. ad Corinth. & 38. ad Popul. & alijs quæ ibi videri possunt. Et idem de Chrysostomo sensit Driedo locis infrà in proprio capite allegandis. Et
Triedo. Episc. Lucens. Episcopus Lucensis in Aduertend. ad 1. tomum Chrysostomi quæsito 9. vbi hæc verba ex Chrysostomo refert. *Nos quidquid boni habemus, ex præuenientis, vocantis, & semper incipientis gratiæ benignitate habemus; nullum est in nobis meritum quod non sit donum Dei, cuius quidem tanta est bonitas, vt velit nostra esse merita, quæ sunt ipsius dona.* Non tamen designat locum, sed ait, *In initio homiliæ citatæ.* Solùm autem citauerat homil. 42. in Genes. & 17. in Ioan. in quibus illa non reperio, nec in alia homilia eadem formalia verba inuenio, quamuis in sententia habeantur in dicta homil. 12. ad Corinth. iunctâ homilia de Adam, & Eua. Sunt verò alia valde notanda verba eiusdem Chrysostomi homil. 70. in Matth. *Verùm cum per gratiam vocati sumus, cur hæc tam accuratè disputat, quia videlicet vocatio, & purgatio ipsa ex gratia sunt: vt verò vocatus iam, & candida indutus veste, seipsum non maculet, ad diligentiam quoque pertinet vocatorum. Nam non quia dignus, sed quia gratia tibi largita est, vocatus fuisti, oportebat te vicissim pro gratia nonnihil reddere*, &c. Quid clarius? Et in libro de Compunct. cord. circa finem, dicit Sanctos, non propter signa, sed propter animi virtutes, & ait, *quod vtique nutu quidem diuino, & gratia cœlesti, proprio tamen studio operati sunt.*

Notanda Chrysostomi verba circa vocationem.

8. His addo, Chrysostomum nunquam in hoc puncto fuisse sibi contrarium, aut contraria docuisse. Probatur primò, quia omnia quę dicit, possunt facile sine contradictione intelligi, distinguendo gratiam, tempora, & personas, de quibus loquitur, vt in dicto cap. 8. fusè declaraui. Cùm enim dicit Deũ expectare voluntates nostras, vt bonum eligant, & virtutem operari incipiant, vt eo modo gratiam à Deo obtineant, loquitur ad fideles, & iam vocatos proponit modum, & rationẽ obtinendi abundantiora gratiæ auxilia, vel dona. Cùm verò omnia bona tribuit gratiæ, tanquam origini, & principio,

loquitur simpliciter de toto ordine auxiliorum gratiæ. Et ita etiam exposuit dictam homil. 12. ad Hebr. idem Episcopus Lucensis in Annotat. ad tom. 4. quæsit 31. iuncto quæsito 13. ad secundū tom. quod ibi allegat. Secundò probatur, quia sunt tam multa & varia loca, in quibus nunc hoc, nunc illo modo loquitur, vt incredibile sit, vel ignoranter sibi contradixisse, vel toties sententiam mutasse.

Episc. Lucens.

9. Et interdum in vno eodemque loco agnoscit præuiam Dei motionem de se efficacem, cui semper voluntas possit resistere, vt maximè videri potest in verbis proximè allegatis ex homil. de ferend. reprehensionib. & conuersionib. Pauli. Et in dicta Homil 4. de laudibus Pauli, in principio, vbi initium gratiæ, & miserationis Dei erga illum ponit in vocatione, statim verò subdit. *Sed nullus hoc audiens ipsā vocationem necessitatem putet, si quidem potuit redire vnde discesserat*, &c. Et cùm posteà præuiam, & fortem gratiæ præmotionem describisset, interrogat, *Et cur*, (inquit,) *hoc non antè factum est?* Respondet. *Ne quæras istud, nec velis esse curiosior, sed concede incomprehensibili Dei prouidentiæ salutes esse hominum notis sibi temporum opportunitatibus ordinanti. sic enim ipse fatebatur, dicens. Cum autem placuit ei, qui me segregauit, de vtero matris meæ vocauit per suam gratiam, vt reuelaret filium suum in me. Nihil igitur tu scruteris amplius, quia hæc dicit & Paulus* Et addit paulo inferiùs, *Ab ipso itaque discamus, quoniam nullus ante Paulum, neque ipse Paulus ex se tantum modo illum inuenit, sed ipse se Christus ostendit, & ideo dicebat. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Per quæ omnia euidenter declarat initium salutis esse ex solo Deo. Vnde interrogans vlterius cur Paulus non fuerit antea persuasus, licèt doctrinā, & miracula Christi ignorare non potest, & respondet. *Quia nec dum vtique vocatus fuerat à Christo*, vocatione vtique speciali & opportuna. Et statim repetit. *Tu verò hoc audiens noli vocationem istam necessitatem putare, non enim Deus cogit homines vocando, sed post vocationem quoque permittit eos propriarum esse dominos voluntatum.* Vnde inferius ad finem homiliæ dicens, per Pauli linguam Deum bonis mundum repleuisse, *per illam*, ait, *quam in ipsum contulit gratiam. Quia enim dignam tali dono deuotionem gerebat, expressa in illo etiam gratia coruscauit.* Vbi gratiam videtur Paulo tribuere, non tamen primam, nec ex se, sed vt cooperanti priori gratiæ. Ac tandem in eodem sensu eundem sermonem ad omnes extendit.

10. Ex quibus vlteriùs colligo, non adhæsisse Chrysostomum errori Semipelagianorum, nedum auctorem illius fuisse, quia in multis locis contra eorum sententiam ex professò docet, & in alijs non in eorum sensu loquitur, nec sibi contrarius est, vt ostendi, tum hic, tum in dicto cap. 8. Vnde licèt in aliquibus locis, minus cautè fortasse loqui videatur, causa fuit, quia nondum illo errore exorto securiùs ad fideles, etiam à Deo vocatos loquebatur, vel feruore loquendi, & mouendi eos ad exercitiū virtutis, vel zelo impugnandi hæreticos; quorum error contra libertatem arbitrij tunc se parabat. Et hoc est, quod Sixtus Senens. Episcopus Lucensis, & alij dicunt excessisse Chrysostomum aliquando vt libertatem arbitrij contra hæreticos defenderet, intelligi enim debet hic excessus in modo loquendi magis, quàm in sensu doctrinæ, & fortè ille qui nunc paret excessus propter nouas hæreses, pro illorum temporum statu non erat: quæ doctrina est consentanea Augustino lib. de prædestinat. Sanctor. c. 14. & lib. de don. perseuer. c. 19.

Chrysostomum non adhæsisse errori Semipelagianorum, nedum illius auctorem fuisse.

Sixtus Sen.

Augus.

11. Præterea est manifestum ex dictis non potuisse Chrysostomum negare veram præuenientem gratiam, eo quòd existimauerit illam esse contrariam libertati. Nam expressè in dicta Homil. 4. de Laudibus Pauli ponit vocationem præuiam, & non inferentem necessitatem, & homil. 12. ad Corinth. omnia rectè facta, etiam fidem dicit esse ex vocatione, & homil. vigesima octaua *præuiæ gratiæ* omnia tribuit, etiamsi liberè fiant, & dicta homil. 12. dicit post gratiam consensum relinqui in nostra potestate. Et in alijs locis vocationem illam, quæ necessitatem non infert, docet esse ita posse opportunam, & congruam, vt infallibiliter habeat effectum. Sicut de vocatione Pauli significauit in dicta homil. quarta in verbis suprà citatis, & Homil. 31. in Matth. *Quemadmodum*, ait Petrum, *& Ioannem vocauit, quando obtemperaturos sciebat, sic Matthæum quoque tunc vocauit, quando miraculorum fama perdomitum minimè reluctaturum videbat.* Et in hoc nihilominus dicit ostendi, *virtutem vocantis ad cor hominis transmutandum.* Et posteà commendans Matthæi obedientiam ait, *Mirabili hac obedientia testimonium vocanti perhibuit; quòd opportune ipsum vocauerit.* Et similiter in hom. 65. exponens parabolam vineæ dicit, Patrem familias vocasse operarios in illis horis *in quibus obtemperaturi erant*, quia nimirum congruè & efficaciter illos vocauit. Idemque sentit de Centurione super Psalm. 115. De illo verò dicit propter opera fuisse dignum vocatione, quia loquitur de vocatione secunda quæ per Petrum facta est, iam enim erat fidelis. Quamuis ille modus loquendi possit etiam piè interpretari, vt dignitatem lato modo vocauerit aptitudinem quandam, & dispositionem, quasi physicam ad non resistendum vocationi, quæ non est ratio meritoria vocationis, sed remouens, prohibens, quod faceret vocationem, vel non dari, vel non esse congruam.

Vltimò ex dictis concludo cùm Chrysostomus in homil. 12. ad Hebr. & 17. in Ioan. alijsque locis dicit Deum non præuenire nostras voluntates, non posse aliter intelligi quàm de præuentione per motionem necessitatem, seu quod perinde est, physicè prædeterminantem. Sic enim docet alijs locis, licèt præcedat vocatio congruentissima, nunquam esse necessitantem, sed relinquere in voluntate veram potestatem, & dominium vtendi illa, vel non vtendi, quod dominium repugnat auxilio prædeterminanti, nam propterea defensores eius dicunt, non subdi voluntati, sed illam sibi subdere. Et ideo etiam Chrysostomus post vocationē totum videtur ponere in arbitrio voluntatis, non quia sola sine ope gratiæ possit præstare consensum, illam enim gratiæ necessitatem sæpissimè docet, sed quia semper est in potestate voluntatis vocationem secundum se spectatam facere ineficacem, & è conuerso, ab illius libera potestate, & cooperatione efficientia actualis vocationis proximè, & immediatè pendet, Neque propter hoc Chrysostomus cum Semipelagianis sentit gratiam subijciendo libero arbitrio, sed vsum præuenientis gratiæ quoad subsequentem actum secundum libertati subijcit, quia non exit in actum nisi voluntas velit, sicut habitus infusi subijciuntur voluntati quoad vsum, etiamsi gratis infundantur, & reciprantur.

Denique idem sensus confirmatur ex aliis Patribus Græcis, nam Iustinus antiquior Chrysostomo in lib. Respons. ad plures necessar quæstion. in quæst. 8. duriorem locutionem habet, ita necessariò interpretandam. Nam eo quòd Deus liberum arbitrium, cum eligendi potestate nobis concesserit, infert. *Non igitur causa est Deus virtutis nostræ, aut vitij, sed propositum nostrum, & voluntas.* quæ quidem sententia quoad vitia sine vlla limitatione verissima est, quoad virtutem autem necessariò est limitanda, & explicanda. Neque enim credibile est sanctissimum, & sapientissimum virum voluisse negare, Deum esse causam simpliciter virtutis humanæ. Negat ergo esse

esse talem causam, quæ hominem adigat, & sola sua vi determinet ad virtutem, sed illi liberam determinationem permittat, quam nomine propositi declarauit. Et quoad solum æquiparat virtutem, & vitium: nam sicut Deus non determinat voluntatem ad malum, ita non prædeterminat ad bonum vtique motione illa physica, & de se efficaci. Vnde quæst. 9. subiungit. *Ad quæ voluntas nos impellit*, (vtique determinando se,) *eorum causa, vel corona donamur, vel afficimur supplicio. Deus enim nobis dedit facultates ad agendum, sed eas libertati voluntatis iudicioque subiecit.* Vbi per facultates, (vt doctrina sit solida, & vniuersalis, ac responsio sufficiens,) necesse est, vt tam gratiæ, quàm naturæ principia intelligat. Et in omnibus ad libertatem requirit, vt voluntatis libertati subiectæ sint. Vnde concludit, *Ad propositum, & voluntatem gubernare Deum eas facultates, non ad naturam.* Et simili modo exposuimus suprà in lib. 3. Patres Græcos, qui aliquando significant actus liberos non esse ex prædefinitione, seu prouidentia communi, vtique agentibus non liberis, quorum actiones ad vnũ ordinatę sunt. de quo videri potest etiã Bellarmin. l. 4. de grat. & lib. arbitr. c. 7. in fine.

Bellarmin.

Præterea refertur Gregorius Nicenus in oratione magna catechetica cap. 3. vbi aduersùs eos, qui dicunt, posse Deum, si velit, eos, qui resistunt, compellendo attrahere ad suscipiendam prædicationem, inquit. *Vbi est ergo liberum arbitrium, vbi est virtus, vbi est laus eorum, qui se rectè gerunt? est enim solum inanimorum, aut eorum, quæ sunt expertia rationis, aliena voluntate ad id, quod videtur adduci.* In quibus verbis hæc vltima maximè expendo: nam contrariæ sententiæ Auctores docent, voluntatem nostram solam Dei voluntate, vel motione aliqua per illam solam immissa, ad volendum id quod proponitur adduci; quomodo enim ab alio non ducitur, qui ab alio non determinatur. Hæc tamen oratio non habetur in volumine operum Niceni, quo vtor, & ideo sensum eius in hac parte accuratiùs expendere non potui. Et propterea etiam omitto, quę ab vtriusque sententiæ defensoribus nomine ejus citantur lib. 7. Philosoph. cap. 1. & lib. 8. c. 4. quia hoc etiam opes videre non potui. Alij loco illius referunt Nemesium in libr. de Natur. homin. qui extat in tom. 9. Biblioth. Sanctor. in toto autem illo nihil dicit, quod multum ad causam præsentem faciat, præter id quod de liber. arbitr. & præscientia conditionata in Prolegom. 1. & 2. notauimus, & quę in libr. 3. cap. ex eodem adduximus contra prędeterminationem Dei ad actus malos.

14. Refertur Gregorius Nicenus.

Nemesius.

Clariùs de hac re testimonium nobis tribuit Cyrillus Alexandr. libro 8. contra Iulianum prope libri finem, vbi in §. *Sed fortassis dicerent aduersarij*, hanc illorum objectionem proponit, Quare filius Dei factus est homo, vt homines ad se conuerteret, cùm posset, *siquidem est verè Deus, annuendo solum, & ineffabili virtute terrena corda transmutando facere, vt vellent, & saperent sibi placentia, religioseque viuerent?* Et post aliqua in §. *Sed autem*, respondet. *Omnis, quæ in cœlis rationalis, & mentalis creatura liberum habet motum ad faciendum quæcunque voluerit, & propensio in vnoquoque à necessitate libera est. Licebat enim sic, & non aliter bonos celebres fieri, & honores assequi, iusteque condemnari improbos. Itaque, vt & nos quoque ad quoduis bonum sponte incederemus, consilio, non coactè viuere super terram homini promisit Deus.* In quo responsio illi modo in objectione proposito *transmutandi corda ineffabili virtute faciendo, vt velint*, vtique physicè, & ineuitabiliter, apertè opponit modum operandi liberè, & consilio, idque censet illum modum motionis & transmutationis cordium contrarium esse libertati. quod in §. sequenti declarat, dicens, *Itaque si ineffabili quadam diuina virtute, & efficacia vsus mutasset singulorum mentem ad bene agendum, & indidisset postea bonum, à quo egerimè postea discedere posset, & non sponte vltrà non esset fructus mentis, nec res digna laude, sed necessitatis.* Profectò licet Cyrillus voce *physicæ prædeterminationis*, non vtatur eisdem verbis, quibus aduersarij eam definire solent, illam describit, dicunt esse, vel ipsam Dei omnipotentiam, quæ ineffabili virtute, & efficacia corda transmutat, vel motionem quæ sit illius virtutis instrumentum, eamque virtute infallibili modo contineat. Docet ergo Cyrillus, Deum non hoc modo mouere, & transmutare corda etiam in operibus gratiæ, sed persuadendo signis, & doctrina mirabili vltra legem, & mentem, ac corda hominum illustrans, vt ibi latè prosequitur.

17. Cyrillus Alex.

Vnde idem Pater l. 4. in Ioan. cap. 6. exponens verba illa. *Erunt omnes docibiles Dei*, dicit. *Non enim cùm dicat neminem posse ad se venire, nisi Pater traxerit eum, vt quadam cogi, trahique credentes putandum est, sed motione, doctrina, reuelatione ineffabiliter facta, vt ille solus nouit.* In quibus verbis, & excludit necessitantem præmotionem, & moralem inductionem docet, dumq; ait, *ineffabiliter*, agnoscit necessitatem internæ illuminationis, ac doctrinæ; addens vero, *vt Deus nouit*, gratiam vocationis efficacis insinuat, quam Deus ineffabili modo præbet, prout nouit homini congruere, quæ est Aug. phrasis & in cap. 7. circa illa verba, *Omnis qui audiuit à Patre: & didicit, veniat ad me*, inquit. *Vbi auditus disciplinaque diuina adest, ibi fides, non vi, sed persuasione oritur. Patrocinio igitur Dei Patris non vi fideles Christum agnoscunt.* Vbi expendo illos duos modos, *Vi*, aut *persuasione*, ponere vr immediatè oppositos, ac subinde prædeterminationem, quæ persuasionem non attrahit, vim quãdam inferre. Sub persuasione autem comprehendit omnem moralem modum alliciendi voluntatem, vt constat. Est etiam egregium testimonium Cyrilli lib. 11. in Io. cap. 21. vbi circa illa verba, *Nemo ex eis periit nisi filius perditionis*, quærit, *Quomodo Apostolos seruauit Christus, aut cur Iudæ non profuit hæc saluatio?* Et in summa respondet. *Gratiam in alijs effulsit, saluauitque omnes, qui cooperantem ei voluntatem tradiderunt; sic enim salutis nostræ modus dispositus est. Iudas autem*, (inquit paulo antea) *nulla necessitate, sed proprio iudicio fecit.* Et addit inferiùs verba notanda, *Quòd si proditor æqualiter aliis discipulis Saluatoris auxilium non habuisset, frustrà hæc à nobis dicerentur: sin autem non minus, quàm cæteri diuina gratia regebatur, sed suo ipsius iudicio in profundum perditionis elapsus sit, quomodo etiam non seruauit eum Christus, qui suum patrocinium ei præstitit, qui quantum ad ferendum opem ille attinuerit, seruasset hominem, nisi vltro ille in perditionem insiluisset.* quæ omnia subsistere non possunt, si auxilium prædeterminans necessarium, vt satis est in superioribus demonstratum.

16. Cyrillus.

His addi potest clemens Alexandrinus liber. 1. Pædagog. cap. 9. quatenus dicit, vti Deum *omnibus suæ sapientiæ machinis*, ad voluntates hominum ad se trahendas, vbi expendo non tam potentiam, quàm sapientiam exaggerare, quia non vtitur Deus absoluta potestate ad determinandam voluntatem ad vnum se solo necessitando ex suppositione motionis suæ, sed vti sapientia ad suadendum, cooperante etiam potestate. Atque ita post illa verba declarat hanc tractionem Dei per internas excitationes, & moralem inductionem. Et similem doctrinam habet lib. 2. stromat §. 8. & lib. 5. parum à principio. Quibus locis ita coniungendam docet gratiam cum libertate, vt in voluntate sit integra potestas: nam illud est liberum, *cuius ex æquo sumus domini*, ac proinde in nobis esse vocationi obtemperare, vel repugnare post moralem inductionem. Quamuis enim non hæc omnia simul doceat, tamen omnia loca conferendo, hæc est eius mens, & doctrina, in qua tantùm à prædeterminatione abest, vt ea quæ docet, non

17. Addendus Clemens Alexandrinus.

possint cum illa subsistere. Eodemque modo adiungi potest Irenæus lib. 5. contr. hæres. cap. 1. nam similiter docet conuertere Deum homines non vi, *sed secundum suadelam, quemadmodum dicebat Deum suadentem, & non vim inferentem accipere quæ vellet.* Item Marcus Eremita in opusc. de his qui putant ex operibus iustificari cap. 56. dicens, *Occultè gratia nobis auxiliari non desinit, in nobis autem situm est pro viribus bonum facere, aut non facere, primum quidem diuinitus excitat conscientiam*, &c. Denique referri potest Isidorus Pelusiota lib. 2. Epistolarum epist. 72. vbi eodem modo explicat præmotionem Dei per vocationem, quæ vnumquenque pro sua voluntate addiscere & salutem assequi relinquat, & talem dicit etiam fuisse vocationem Pauli, & similes.

Irenæus. *Marcus Eremita.* *Isidorus Pelusiota.*

18. Additur *Philo.* Vltimò ex Græcis addo Philonem Carpathiorum Episcopum, qui æqualis est Epiphanio, ac proinde antiquior Augustino, & nihilominus, ita in locutionibus de gratia imitatur Augustinum, vt vsque ad eius tempora superuixisse, & eius opera legisse videatur. Nam in expositione Canticorum ad illa verba cap. 6. *Pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Primum per sexaginta Reginas intelligit animas sanctas, *quæ castissimè se regentes, ac cæteros qui cœlorum regnum, ex diuina gratia, & libero arbitrio cooperante adipisci nituntur.* Ac deinde post multa subiungit verba Pauli, *Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit*, & addit; *Collaborauit enim, & quidem plus quàm cæteri: studeamus igitur, & hunc nos imitari post acceptam Spiritus sancti gratiam ex libero voluntatis arbitrio, quæ bona sunt agere, cooperemur gratiæ.* Postea verò aggreditur explicare, quomodo gratia, & arbitrium coniungantur, & adductis multis Christi verbis, quibus homines *inuitat*, & *allicit* ad salutem, inquit. *Ecce donat gratiam promerendi, offert, vt capias, hortatur accipere, ostentat occurrere, pulsat vt aperias, ait enim: Sto ad ostium, & pulso, si quis mihi aperuerit*, &c. Et infrà, *Quid ergo dicemus? trahamur oportet, præueniamur à gratia, eaque semper adiuuemur. Idipsum fatemur vtique, sed collaboremus omnino necesse est, ne in illud incidamus, quod de negligentibus, ac peruicacibus dicitur: Ex te perditio tua Israel. Duo igitur ad salutem sunt nobis maximè necessaria, quorum vnum supra nos, alterum nobis inest ex munificentia conditoris; diuina gratia scilicet nos præueniens, & liberum de voluntate iudicium, gratia allicendo incipit, admissa consequitur, bene retenta, ac fota perficit.* Ac tandem dicit gratiam allicere, ac mouere voluntatem, non tamen vlla vi cogere. In quibus verbis omnia, quæ in hoc puncto nos tradimus, continentur. Et quamuis hic Sanctus non expressè reijciat *physicam prædeterminationem* voluntatis, sine illa tamen explicat totam gratiam præuenientem, trahentem, & adiuuantem voluntatem, & cum illa semper coniungit liberam voluntatis determinationem, seu cooperationem, & sub nomine coactionis, & vis, excludit quidquid spontaneam determinationem ex indifferente potestate impedire possit; qualis prædeterminatio physica esse videtur.

Cantic. 6. *1. Corinth. 15*

19. Ex Patribus Latinis afferri possunt omnia quæ de libertate arbitrij tradunt, etiam in operibus gratiæ, & præsertim vbicunque docent post vocationem ad fidem, vel pœnitentiam esse in proxima hominis potestate ad alterutram partem se determinare, & tunc illi imputari, si in deteriorem partem declinet. Hæc enim & similia, vt latè probatum est, cum prædeterminatione physica ab extrinseco immissa independenter à voluntate hominis, & necessaria ad volendum non subsistunt. Sic ergo Clemens Roman. epist. 3. circa medium. *Qui audit sermonem veri prophetæ,* (ait,) *habet in sua potestate velle, & nolle illa amplecti. Nam si hoc esset, vt videntes ea iam non haberent in sua potestate aliud facere, quam audierant, vis erat quædam naturæ, per quam liberum non esset ad aliam migrare sententiam.* Simili enim modo nos dicimus, si audiens cum vocatione simul recipiat talem impulsum, vt iam non habeat in sua potestate aliud facere, vis quædam esset prædeterminationis, non libera electio. *Nunc autem,* (subdit inferiùs,) *liberum est animo in quam voluerit partem declinare iudicium suum, & quam probauerit, eligere viam.* Quid quæso est, *in quam voluerit partem declinare*, nisi se determinare, aut quomodo id attribuitur voluntati, si prius natura ita ab alio determinatur, vt iam non nisi vnum probare, aut eligere possit. Hunc locum locupletat egregiè Turrian. lib. 2. pro epist. Pontif. cap. 2. adductis Græcorum testimonijs, ex quibus maximè ad causam faciunt verba Concilij Ticinensis ad Constantinum.

Clemens Rom. *Turrian.*

Secundò allegari potest Leo I. licèt enim hi Patres Pontifices fuerint, tamen quia in his locis non definiendo, sed simpliciter ad doctrinam in Ecclesia receptam tradendam loquuntur, ideirco eorum testimonia nunc proferimus. Leo igitur in serm. 2. Epiphaniæ in fine, vbi post exaggeratam gratiam vocationis gentium, & diuini luminis beneficium, ad cooperandum diuinæ gratiæ exhortatur, dicens, *Et nos de cordibus nostris quæ sunt Deo digna promamus*, & addit, *Quamuis enim omnium bonorum sit ipse largitor, etiam nostræ tamen fructum quærit industriæ. Non enim dormientibus prouenit regnum cœlorum, sed in mandatis Dei laborantibus, atque vigilantibus, vt si dona illius irrita non fecerimus, per ea quæ dedit mereamur accipere quod promisit.* Hæc enim Sancti Leonis doctrina non solùm in operibus quæ post iustificationem facere debemus, sed etiam in illis, quæ post vocationem facere oportet, vt iustificemur, verum habet. Vtraque enim sunt dona Dei, & ex efficaci vocatione, seu excitatione procedunt, & tamen de illis ait non obstante præmotione Dei necessariam esse nostrâ industriam, seu consensionem, esseque in nostra potestate præuenientia Dei dona irrita facere, ac proinde in illis præuenientibus donis non contineri auxilium prædeterminans voluntatem nostrâ, cùm illud nec possit à nobis tũ fieri, nec expectet nostrâ industriã, sed omnino ad cooperandũ quasi cogat.

Leo I.

Tertiò expendo nonnulla Ambrosij testimonia. Nam lib 1. in Lucam in §. *Visum est, & mihi*, sic ait. Potest etiam non ipsi soli visum esse, quod visum sibi esse declarat. *Non enim voluntate humana tantum reuelatur, sed est, sed sicut placuit ei, qui in me loquitur Christus, qui vt id, quod bonum est, nobis quoque videri bonum posset, operatur.* Quòd ad operantem, seu præuenientem gratiam, & sanè efficacem pertinet, quomodo autem detur, sic declarat. *Quem enim miseratur, & vocat*, vbi non prædeterminationi, sed vocationi id tribuit. Vnde subiungit, *Et ideo qui Christum sequitur, interrogatus, cur cùm voluerit, Christianus respondere potest: Visum est mihi. Quod cùm ducit, non negat Deo visum, à Deo enim præparatur voluntas hominum: vt enim Deus honoretur a Sancto, gratia Dei est.* Est ergo hæc secundùm Ambrosium, non gratia prædeterminationis, sed vocationis, quæ per eandem vocationem fit, & relinquit in homine potestatem, qua possit dicere, *Visum est mihi* quod propriam determinationem à se factam significat, non à solo Deo immissam. Est etiam egregius locus apud eundẽ Ambrosium, in expositione Symboli Apostolor. capite 4. vbi de Spiritu sancto ait, *Vbi vult in quos vult, & quantos vult, & quantum vult inspirat sua propria voluntate.* per quæ verba gratuitam præuenientem gratiam nobis tradit, eamque in diuina inspiratione constituit, & pro eadem Dei voluntate, esse efficacem demonstrat, subiungens, *Implet ergo gratia sua, quos vult, & quantos vult, & quantum vult.* Ex quo intelligimus præcedere quidem posse voluntatem præuenientem Dei, illam verò per inspirationem accommodatam secundùm diuinam

Ambros. *Expos. in Luc. 1.* *Ambros. lib. 1. de Spir. sanct. cap. 4.*

uinam sapientiam sine alia prædeterminatione efficaciter impleri. Vnde ad Roman. 9. §. *Quos & vocauit, Hos,* (inquit,) *quos vocauit, præparauit ad gloriam, siue eos, qui properabant, siue eos qui longè, sciens permansuros in fide.* Denique in lib. 4. in Lucæ 4. §. *Et repleti sunt,* de tudæis eiicientibus Christum ait. *Nec mirum, si perdiderunt salutem qui eiecerunt è suis finibus salutare. Moralis enim Dominus, & qui docuerat exemplo sui Apostolos suos, omnibus omnia fieri, nec volentes repudiat, nec inuitos alligat, nec eiicientibus reluctatur, nec rogantibus deest.* Certè non video cur Ambrosius *moralem Dominum* vocauerit, nisi quia morali modo, & liberis hominibus accommodato homines vocauit, ideoque sic homines inuitat, vt non *alliget ad vnum*, quod faceret prædeterminando; ille enim modus moralis non esset. Rectè ergo ad mentem Ambrosij dicere possumus Deum trahere homines per moralem gratiam quoad modum præuiæ inductionis, cooperando physicè cum illis, si ipsi velint: nam hæc physica efficientia, etiam ad moralem effectum necessaria est.

21. Additur Hieronymus.

Quartò addimus Hieronymum libr. 4. in Ieremiæ 18. in principio exponens, quod ibi ait per Prophetam Deus, sæpe prædici mala, vel bona, & non euenire, quia hominum voluntates immutantur, ait Hieronymus hoc dixisse Deum, *vt liberum significaret arbitrium*, & subiungit, *Et hoc dicimus, non quòd ignoret Deus hoc, vel illud gentem, aut regnum esse futurum, sed quòd dimittat homines voluntati suæ, vt vel præmia, vel pœnas sua voluntate, & suo merito recipiat.* Difficile profectò explicatur, quomodo Deus homines voluntati suæ dimittat, si in singulis actibus vel bonis, vel etiam malis ad vnum tantùm, & ad exercitium eius illam determinat. Ne autem per verbum illud gratiam excluisse videretur, subdit Hieronymus. *Nec statim totum erit hominis, quod euenit, sed eius gratiæ, cui cuncta largitus est, ita enim libertas arbitrij reseruanda est, vt in omnibus excellat gratiam largitoris.* Stante igitur hac gratiæ excellentia, & necessitate, ita concilianda est cum libertate, vt ea non obstante voluntas suæ libertati committatur, non ita vt prædeterminetur. Similia ferè habet Ierem. 24 circa finem, & cap. 26. in principio.

Ierem. 24. & 26.

24. Isai 49.

Item Isaiæ 49. in id, *In vacuum laboraui sine causa, & vane fortitudinem meam consumpsi*, dicens. *Hæc vniuersa dicuntur, vt liberum hominis arbitrium monstraretur, Dei enim vocare est, & nostrum credere, nec statim si nos credimus, impossibilis Deus, sed potentiam suam nostro arbitrio derelinquit, vt iustè voluntas præmium consequatur.* Quid quæso est; *Deum potentiam suam nostro arbitrio derelinquere*, nisi actionem suam ita temperare, & arbitrio accommodare, vt indifferentiam eius non auferat, neque ad vnum prædeterminet. Quam moderationem, seu accommodationem influxus diuini ponit etiam Hieronymus in illis actionibus voluntatis, ad quas Deus specialiter per gratiam præmouet. Et similia habet epist. 150. ad Hedibiam. quæst. 10. vbi post vocationem gratiæ absolutam potestatem consensus, vel dissensus voluntati tribuit. Et ex eiusdem liberâ facultate, rationem reddit, cur ex eisdem vocatis quidam veniunt, alij obdurescunt. *Quia non saluat,* (inquit,) *irrationabiliter, & absque iudicij veritate, sed causis præcedentibus, quia alij non susceperunt Dei filium, alij susciperè voluerunt.* Quam rationem nolunt defensores prædeterminationis admittere. Hieronymus verò illam censet necessariam saltem in ipsa executione, quia discretionem per solam prædeterminationem rationabilem non censuit. Tandem in epist. 146. ad Damasum de filio prodigo verba illa, *Diuisit illis substantiam*, exponit, id est, *dedit illis liberum arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem, & vt viueret vnusquisque, non ex imperio Dei, id est, non ex necessitate, sed ex voluntate.* Vbi per *imperium*, non *legem*, vt per se constat, sed *motionem physicam* intellexit Hieronymus, sicut dicere solemus, membra externa imperio voluntatis moueri, eàmque per *necessitatem* explicat, quia tale imperium necessitatem imponit, si omnino ad vnum determinat.

Denique meritò pro hac parte allegare possumus Tertullianum lib. de anim. cap. 21. & libro 2. contra Marcion. cap. 5. & sequentibus, & Cyprian. epist. 55. ad Concilium, & alios, qui agentes de arbitrij libertate, semper dicunt ita subijci gratiæ, vel ita moueri diuinis inspirationibus, seu vocatione, vt electio, seu, (quod idem est) determinatio eius potestati relinquatur, quod certè cum præuia, & totali determinatione ad vnum per solam Dei voluntatem immissa intelligi non potest. Vnde etiam dixit Tertullianus libro de exhort. ad castitat. capite secundo non esse soli Dei voluntati tribuendum, quod ab hominis pendet voluntate: quem locum cum alijs suprà libro 3. cap... satis expendimus. Possuntque hic adduci testimonia Patrum, dicentium suppositionem antecedentem repugnare libertati, quos partim in Prolegom. 1. agentes de indifferentia necessaria ad vsum libertatis, partim in Prolegom. 2. tractando de præscientia Dei adduximus. Item possent huc afferri Patres docentes cum eisdem auxilijs præuenientibus posse homines conuerti, & non alium. Nam illud pronuntiatum non potest cum alio prædeterminante subsistere, vt defensores eius fatentur, & ideo illud impugnat. Sed de illo puncto proprium caput postea instituemus.

23. Allegatur *Tertullian.* & *Cyprian.*

CAPVT XLV.

Antiquos Patres nihil pro physica prædeterminatione nobis tradidisse.

1. Respondetur ad obiecta.

IN hoc capite ad ea respondebimus, quę ex auctoritate eorundem Patrum aduersarij nobis obijciunt, simulque ab auctoritate negatiua eorundem Patrum argumentabimur. Nam certè verisimile non est, si tale genus auxilij efficacis necessarium est ad salutem, omnes hos antiquos Patres illud ignorasse, aut si illud cognouerunt, tanto silentio illud præterijsse: sed nulla mentio talis auxilij in his Patribus inuenitur; ergo vehemens coniectura est, vel nunquam dari, vel saltem non esse necessarium. Minorem non aliter probo, nisi quia neque in his, quæ in his Patribus legere potui, aliquid huiusmodi inueni, neque defensores alterius sententiæ, qui maiori fortasse diligentia illud quæsierunt, id nobis allegant, quod breuiter ostendam discurrendo per ea quæ allegata inuenio.

Primò enim allegatur Dionysius cap. 4. de diuinis nominib. dicit Deum vocari amorem, quia *generat, seu creat in nobis, & immittit amorem, & quia, ad illum pertinet quod moueat, & causet motionem in alijs.* Sed hæc omnia loquendo inordine gratiæ verissimè dicuntur propter infusionem charitatis tàm habitualis, quàm actualis per excitantem, & adiuuantem gratiam, neque aliud ex illis verbis colligit D. Thomas explicando illa in lect. 11. citatur etiam Dionysius in cap. 5. eiusdem libri, in vltima eius parte, vbi agit de diuinis exemplaribus, ac prædefinitionibus. Sed ille locus pertinet ad generalem prouidentiam, vel rerum creationem, vt alij volùt; & ideo illum sufficienter attigimus in lib. 3. cap...

I. Allegatur Dionysius.

D. Thom.

Secundò allegatur Ephrem, variis in locis. Primò in serm. de vita relig. satis post medium, vbi comparat

II. Ephrem.

comparat gratiam speculo, & inter alia dicit, *Absque gratiæ adminiculo, non prævalet ei cor placere viribus suis, verùm vt ipsi placeat, ab ea accepit.* & intrà, *Homo sine gratiæ adiutorio pauper est, & bonorum inops: si verò ipsam gratiam promeruerit, poterit illius ope virtutes exercere, atque perficere.* Hæc autem, & similia quid pertinent ad gratiam prædeterminantem? Allegantur præterea hæc verba, *Anima gratia, & eius adiutorio destituta, inefficax, & inutilis est.* Sed illa verba nec formaliter inueniuntur in Ephrem, nec quidquam referrent; nam solùm probant necessitatem gratiæ, non efficacem prædeterminationem. Est ergo illud testimonium egregium, ad commendandam gratiam, ad probandam autem, vel insinuandam physicam prædeterminationem, inutile omnino est. Imò si attentè legatur Ephrem, non minus commendat cooperationem, & liberam applicationem voluntatis, & nimium illi tribuere videretur, nisi ad fideles, & gratia præuentos loqueretur.

3. *Idē Ephrem* Deinde allegatur in serm. 3. de Compunct. cord. solùm, quia inter multiplices petitiones gratiæ hanc interponit. *Da mihi medicamentum efficax, quo plenissimè ab occultis meis curer vulneribus.* Sed quis non videat quam sit inefficax testimonium, nam ad literam postulat contritionem, quæ est medicamentum efficax peccatorum, vt licèt postularet auxilium efficax, non ideo postularet prædeterminationem physicam, sed illam, quam serm. 1. vocat *dulcem protectionem, & illuminationem*, & quam in opere diuin. grat. vocat *custodem animæ, magistram inuincibilem, & gubernatricem animæ.* Quibus verbis, & similibus moralem modum operandi præuenientis gratiæ demonstrat. Et quia illa non prædeterminat voluntatem, admonet. *Cum promptitudine igitur animi morem ipsi gerito, & cuncta tibi perspicua reddet.* Denique allegatur idem Sanctus in confessione, seu precatione ad Deum, quæ incipit, *Sana me Domine*, propter sequentia verba *Quemadmodum terra, licèt seminata nequit à se fouere germina, sine tuæ bonitatis visitatione, ita neque cor meum eloqui poterit beneplacita tibi beneficio gratiæ tuæ, nisi per ipsam fructificauerit iustitiæ fructuum.* Ex quo inferunt ex mente huius Patris necessarium esse, non solùm vt gratia fructificet, sed etiam vt faciat liberum arbitrium fructificare. Sed in primis Ephrem non dicit, an gratia faciet liberum arbitriũ fructificare, necne, sed solùm dicit, cor hominis nõ posse sine gratia fructificare. Deinde licèt id verum sit, non sequitur quòd gratia id faciat prædeterminando, sed moraliter inducendo, & cooperando simùlque efficiendo. Denique quod in illo loco intenditur, & optimè probatur, est, necessarium esse, vt Deus incipiat seminare in anima per gratiam præuenientem, non tamen id satis esse ad ferendum fructum, nisi gratia etiam adiuuet, & sæpiùs animam visitet, quod totum sine prædeterminatione physica fieri potest, & magis consentaneè ad naturã hominis liberam sit.

4. III. *Basilius.* Tertiò citatur Basilius libr. de Spirit. sanct. cap. 8. vbi tractans illud Apostoli ad Roman. 8. *In his omnibus superamus per eum, qui dixit nos*, ait, *Nequaquam hac voce humile quoddam ministerium indicat, sed auxilium potius, quod per imperium suæ potentiæ operatur in nobis, sicut & ipsum alligauit fortem, diripuitque vasa illius, videlicet nos quibus ad omnia mala operã fuerat abusus, fecitque vasa vtilia Domino, apparatos ad omne opus bonum, ob promptitudinem illius, quod erat in nobis.* Sed his etiam verbis nullum vestigium physicæ prædeterminationis inuenitur. Nam si illa colligatur ex verbo illo, *per imperium potentiæ suæ*, friuolum est, quia omne auxilium gratiæ, siue sufficientis, siue efficax, operantur Deus in nobis per imperium potentiæ suæ. Si verò id sumatur ex verbo illo, *fecitque vasa vtilia Domino*, iam sæpe dictum est, verbum *faciendi* generalius esse, & non limitari ad physicam prædeterminationem, quod magis significauit Basilius in sequentibus verbis, nam dicit *fuisse nos vasa Domino apparatos ad omne bonum ob promptitudinem*, &c. Nam longè aliud est, voluntatem reddi aptam ad operandum, ab eo, quod est physicè prædeterminari.

Apparentiùs possent ex Basilio citari verba, quæ Petrus Diaconus de Incarnat. & grat. cap. 8. refert, in oratione sacri Altaris, *quam*, (vt ait,) *penè vniuersus Oriens frequentat.* Suntque huiusmodi. *Domi Domine virtutem, ac tutamentum, malos, quæsumus, bonos facito, bonos in bonitate conserua, omnia enim potes, & non est qui contradicat tibi, cùm enim volueris saluas, & nullus resistit voluntati tuæ.* quæ verba formalia in operibus Basilij non inuenio, tamen in Missa hæc habet æquiualentia. *Deus omnis consolationis inclinantes tibi suæ capita custodi, muni, conforta, ab omni opere malo discedere fac, in omni autem opere bono coadiuua, & idoneos fac indamnabiliter accipere incontaminata, & viuifica mysteria in remissionem peccatorum, & Spiritus sancti communionem.* Et priùs pro Cartechumenis sic orat. *Fac eos membra Ecclesiæ, & idoneos fac lauacro regenerationis, & remissione peccatorum*, &c. Et infrà pro ministris Altaris: *Idoneos nos fac virtute tua sancti Spiritus in ministerio isto, vt indamnabiliter stantes in conspectu sanctæ gloriæ tuæ offeramus tibi sacrificium laudis: tu es enim operans omnia in omnibus.* At verò ex prima oratione solùm colligit Petrus Diacon. docuisse Basilium per illam precem *non à seipsis, sed à Deo malos homines fieri bonos, nec sua virtute, sed diuina gratiæ adiutorio in ipsa bonitate perseuerare.* Vtrumque autem sufficienter fit per excitantem, & adiuuantem gratiam sine prædeterminatione, idemque de cæteris orationibus dicimus. Similesque orationes inueniuntur in Missa Chrysostomi, & æquiualentibus nunc Romana Ecclesia vtitur.

Quartò allegatur Nazianzenus orat. 31. vbi tractans illud ad Roman. 9. *Non est volentis*, &c. ait. *Ipsum etiam rectè velle diuino auxilio indiget, imò, vt rectius loquar voluntas quoque ipsa, & electio eorum quæ recta, & cum officio coniuncta sunt, diuinum quoddam beneficium est, atque à Dei benignitate manans. Itaque quoniam velle quoque ipsum à Deo est, optimo iure totum Deo assignatur.* Sed mirum est Nazianzenum in illo loco afferri pro illa sententia, cùm ibi exponat verbum Pauli, *Non est volentis*, &c. id est, *non solùm volentis hominis, sed etiam miserentis Dei.* quam expositionem non probauit Augustinus, non quia falsam doctrinam contineat, sed quia non explicat primarias vices, quas Deus in opere gratiæ habet etiam circa ipsam voluntatem. Alioqui tamen verum est, velle ita esse Dei, vt sit etiam nostrum iuxta regulam eiusdem Augustini lib. 1. de Retract. cap. 23. & alijs locis.

Nazianzenus ergo in illo loco non solùm non docet necessitatem auxilij prædeterminantis, verùm etiam nec de certo modo auxilij loquitur, sed solùm dicit, voluntatem ad rectè volendum diuino auxilio indigere, & propterea rectam voluntatem diuinum esse beneficium, & à bonitate Dei manans, quod tam ratione auxilij adiuuantis, quàm excitantis verum est. Quod verò ait totum esse assignandum Deo, ideo dixit, quia non tantùm operari, sed etiam ipsum velle à Deo est, quamvis etiã sit nostrum; vel id dixit, quia principaliter est ex Deo. *Nam cuius est quod est amplius, eius dicitur esse totum*, vt aliàs dixit Chrysostomus homil. 12. ad Hebræos. Vnde in oratione 1. quæ est apologetica profuga sua, dixit idem Gregor. singularis, & eximiæ Dei benignitatis argumentum esse facere, *vt nostra quoque aliqua ex parte sit virtus, & animi proposito excolatur, arbitrioque libertate parem in vtramque partem motum habente.* Imò oratione 38. quæ est in sanctam Natiuitatem, de primo homine dicit, ita fuisse arbitrij libertate donatum, *vt bonum non minus illius esset, quæ electio esset quàm eius, qui semina præbuisset.* Intelligendum autẽ est, non

non minus quoad absolutam vtriusque influxus necessitatem, non quoad perfectionis, seu efficaciæ gradum.

8. Quintò refertur Cyrillus Alexandrinus libro 1. de Adoratione in Spiritu, pag. 15. vbi exponens verba illa Genes. 10. *Cum verò manè factum esset, vrgebant Angeli Loth, dicentes: Accipe vxorem tuam, & duas filias, quas habes, & exi.* Ex illis sic colligit. *Iudicium autem tibi sit valde manifestum, dum non solis verbis nos stimulat, & adhortationibus menti immissis, vt discedamus à peccato, sed tantam etiam benignitatem nobis exhibet vniuersorum Saluator Deus, vt efficaci subsidio adiuues, secundum quod scriptum est: Apprehendisti manum dexteram meã, & in consilio tuo deduxisti me. Nam quoniam hominis natura non valde generosa est, neque satis idonea, vt malum effugere queat, simul quodammodo nobiscum certat Deus, & duplex beneficium concedere videtur persuadens admonitionibus, vt subsidium inueniamus, & fortius illud præstans, quam vt malam præsens, & violentum præualere possit.* Hæc enim sunt eius formalia verba quæ optimè confirmant necessitatem gratiæ excitantis: quid verò faciant ad causam non video. Nam quod Cyrillus dicit dare nobis Deum auxilium, vel *subsidium efficax*, nemo nostrûm negat, sed quale illud sit, inter nos controuertitur. Cyrillus autem ibi non tractat de auxilio necessario ob concursum primæ causæ, sed ob humanæ naturæ fragilitatem.

9. Vnde verisimile est solùm loqui de efficacia in actu primo, id est, de illa qua reddimur potentiores tentatione ad vincendam illam. Hic enim est, vt alibi notauimus, frequens modus loquendi Sanctorum, maximè quando loquuntur de auxilio abundantiori, quod dat Deus homini, quem vult potentiorem, seu valentiorem reddere, quàm sit tentatio. Quod auxilium quantum ad consequendum effectum sæpe est tantùm sufficiens, quia homo illi cooperatur: nam de se solùm est quoddam præueniens auxilium, quod per internas adhortationes, & admonitiones menti immissas datur, vt Cyrillus explicat, adiuuans verò, ac simultaneum auxilium indicat, dum ait, *Simul quodammodo nobiscum certat Deus.* Quòd autem neutrum eorum prædeterminet voluntatem, significat, cùm subdit, nihilominus, *paucos esse qui virtutem exerceant, sed qui talis est electus, & diuinam gratiam non perfunctorie assequutus.* Vnde paulo superiùs exemplo vocationis Abrahæ ordinem gratiæ in nobis describit, dicens. *Vbi vocati fuerimus, & diuinis obedierimus legibus, & ad promptitudinem, ac desiderium transierimus, quasi in terram omnibus bonis excelsam tunc Deus suæ cogitationis claritatem immittit.* Vbi post vocationem non prædeterminationem, sed obedientiam requirit non sine coadiutore Deo, vt postea declarat. Et hæc sententia Cyrilli est optima ad intelligendum vera esse quæ suprà de mente Chrysostomi dixi.

10. Sextò allegatur Athanasius super cap. 2. ad Ephes. in illa verba, *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis*, &c. eo quòd ibi dicat Deum immutare voluntatem nostram, eiusque bona opera præparare, ac prædefinire. Hoc verò testimonium, neque auctoritatem habet, neque efficaciam. Dico non habere auctoritatem, quia illud opus non est Athanasij, vt omnes docti sentiunt, vnde inter eius probata opera non collocatur. Et quamuis soleat tribui Theodoreto, aut Theophylacto, nihilominus illa verba in eorum commentariis super illum locum non inueniuntur, neque alia quæ ad rem præsentem aliquid faciant. Addo verò etiam non habere efficaciam, quia longè diuersum sensum habet quod dicitur Deus immutare *mentem nostram, & præparare, ac prædefinire bona opera eius.* Ad verò Deus immutat voluntatem per auxilia excitantia, & adiuuantia, & præparando hæc auxilia quantum est ex se, præparat bona opera, vel efficaciter, vel sufficienter, præparatione vtique æterna, vt dixit D. Thomas 1. parte, quæstione 23. artic. 2. ad 3. & eodem modo illa prædefinuit, de quo verbo plura in superioribus. *D. Thom.*

11. Septimò refertur Cyprianus libro 3. ad Quirin. cap. 4. vbi habet illam sententiam. *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.* Et in expositione orationis Dominicæ circa illa verba, *Fiat voluntas tua*, quia licet his verbis nos postulare opem, & protectionem Dei, & in alijs non credentibus hat voluntas Dei per conuersionem ad fidem. At verò tractans hæc loca Augustinus lib. 4. contr. duas epistolas Pelagianorum cap. 9. & lib. de prædestinat. Sanctor. cap. 3. ex illis solum colligit nihil boni, & pietatis posse ab homine fieri sine dono gratiæ Dei. Et orandum esse non solùm pro fidelibus, vt boni fiant, sed etiam pro infidelibus, vt conuertantur, & vt liberè conuertantur, non quidem ex sola sua libertate, sed ex auxilio, & vocatione diuina etiam congrua, & efficaci, quæ omnia optimè subsistunt sine physica prædeterminatione, cùm tamen illa cum vera libertate componi non possit. VII. *Cyprian.* *Augustin.*

12. Octauò allegatur Ambrosius lib. 10. in Lucam, ad illa verba capite 22. *Conuersus Dominus respexit Petrum*, vbi sub verbo *respexit*, intelligit internum gratiæ auxilium, & ait, quandiu Dominus non respexit Petrum, illum non fleuisse. *Respexit*, (inquit,) *Iesus, & ille amarissimè fleuit.* Vnde generaliter refert, *quos Iesus respicit, plorant delictum.* quam expositionem, & doctrinam probat Augustinus libro de Grat. Christi, capite 45. Sed quidquid sit de expositione, de qua dixi alibi, doctrina est verissima, non propter physicam prædeterminationem, sed propter congruam, & efficacem internam excitationem, quam & verba Scripturæ, & ipsius Ambrosij, & aliorum Patrum indicant. Ait enim Lucas, *Dominus respexit Petrum, & recordatus est Petrus verbi Domini.* Primus ergo effectus illius respectus fuit memoriam Petri excitare. Vnde etiam Ambrosius dixit. *Respicit vt recorderis, & fatearis errorem.* & Augustinus libro tertio de consensu Euangelistarum capite sexto *Mihi*, (inquit,) *videtur illa respectio diuinitus facta, vt ei veniret in mentem quoties iam negasset, & quid ei Dominus prædixisset, atque ita misericorditer Domino respiciente, pœniteret eum, & salubriter fleret.* Et libro de Gratia Christi, capite quadragesimoquinto de eadem respectione loquens, *Dominus*, (inquit,) *latenter subuenit, cor tetigit, memoriam reuocauit, interiori sua gratia viuificauit Petrum.* Et similia habet Leo Papa sermone tertio de Passione, dicens, *In illum conuersa est veritatis inspectio, vbi erat cordis facienda correctio, quasi illi quædam vox Domini insonaret, ac diceret, Quid habes Petre*, &c. & sermone nono *Diuino*, (inquit,) *vidit intuitu, & pauentis animum mox, vt inspexit, erexit, & in fletus pœnitudinis incitauit.* Hic ergo est modus quo Christi respectio cor conuertit, illud excitando, & illuminando non physicè prædeterminando. VIII. *Ambrosius.* *Luc. 22.* *Ambros.* *August.* *Leo PP.*

13. Neque plus probant alia verba quæ ex eodem Ambrosio allegantur libro de Fuga sæculi, capite 1. *Non est in potestate nostra cor nostrum*, &c. & infrà, *Quis autem tam beatus, qui in corde suo semper ascendat? sed hoc sine auxilio qui fieri potest? nullo profecto modo.* Duobus enim modis intelligi potest non esse in potestate nostra cor nostrum; scilicet, vel quantum ad consensum; vel quantum ad excitationem aliquam, vel tactum cordis per antecedentem cogitationem. Ambrosius ergo non loquitur priori modo, nec loqui potuit; cùm absolutè loquendo fidei repugnet. Loquitur ergo in posteriori sensu, vt ex verbis eius euidenter constat. Dixerat enim, *Frequenter irrepit terrenarum illecebra voluptatum, & vanitatibus* *Ambros.*

tum offusio mentem occupat, vt quod euitare studeas, mente voluas, quod cauere difficile est homini, exuere autem impossibile. Et postea subdit. *Non enim in potestate nostra est cor nostrum.* Et adiungit. *Sed nostræ cogitationes, quæ improuiso offusæ mentem animumque confundunt, atque aliò trahunt quàm tu proposueris, ad secularia reuocant.* &c. Ad superandas autem, & vincendas has cogitationes requirit Ambrosius speciale gratiæ auxilium, non physicam prædeterminationem. Vnde Augustinus lib. de bono perseueran. cap. 8. & lib. 2. contra Iulianum, cap. 8. & lib. 4. contra duas epistol. Pelagianorum, cap. 11. tractans hæc verbis Ambrosij nihil aliud ex illis colligit, nisi necessitatem diuini auxilij, & illud inchoandum esse per sanctam cogitationem, quæ in nostra potestate non est, ac denique dicta verba explicat per illa Pauli, *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Augustin.

2. Cor. 3.

14. Obiicitur Hieronym.

Tandem obijcitur nobis Hieronymus, primò in Epistola ad Cresiphontem, vbi postquam retulit argumentum Pelagij, quòd si voluntas indigeret diuino auxilio, non esset libera, illud improbat tanquam blasphemum, & impium. *Nam per arbitrij libertatem,* (inquit,) *asserunt se nequaquam vltra necessarium habere Deum, & ignorant Scripturam: Quid habes quod non accepisti,* &c. Verumtamen argumentum ab hoc testimonio sumptum eundem habet defectum quem sæpe notauimus, quia ex necessitate auxilij diuini infert necessitatem physicæ prædeterminationis, quæ illatio nullius momenti est, vt per se constat. Sicut è contrario peccabat Pelagius ex necessitate diuini auxilij inferendo tolli libertatem quæ nulla illatio est, quia auxilium excitans, & adiuuans, seu concomitans, non repugnat libertati, aliàs etiam dependentia quoad generalem concursum libertati repugnaret, quod sensisse Pelagium in vltimo Prolegomeno diximus; & valde probabile est, illud etiam ab Hieronymo impugnari, secus autem esset si argumentum Pelagij fieret contra solam physicam prædeterminationem: nam si illa esset semper necessaria, frustrà diceretur voluntas libera, cùm nunquam posset se determinare. Quia verò contentio Pelagij cum Catholicis non erat de prædeterminatione physica, ideo friuolum erat argumentum Pelagij, cui etiam Hieronymus tractando verba Pauli, *Non est volentis, neque currentis,* &c. occurrit, dicens: *Velle, & currere meum est,* (vtique per meam determinationem,) *sed hoc ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum.*

Rom. 9.

15. Hieronym.

Et eundem sensum habent alia verba Hieronymi ad Ephes. 2. quæ non meliùs pro physica prædeterminatione afferuntur, cùm vel illi nullo modo faueant, vel potiùs repugnent: nam circa illa verba, *Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis,* addit Hieronymus, *Hæc ipsa fides non est ex vobis, sed ex eo, qui vocauit vos,* vbi apertè significat illud esse dictum à Paulo ratione vocationis, non ratione physicæ prædeterminationis. Et in eodem sensu subiungit. *Addidit itaque, & dixit, fidem quoque ipsam non nostræ voluntatis, sed Dei muneris,* quod ipsemet exponit, dicens, *Non quòd homini liberum tollatur arbitrium, & secundùm illud Apostoli ad Romanos, non sit volentis, nec currentis, sed miserentis Dei quòd ipsa arbitrij libertas Deum habet auctorem, & ad illius beneficium cuncta referantur, cùm etiam bonum nos velle ipse permiserit.* vbi maximè pondero verbum *permiserit,* directè enim opponitur verbo *prædeterminandi,* & vsurpatum est ab Hieronymo in generali significatione explicando nobis quomodo diuina gratia præueniens per vocationem, (ratione cuius dictum est illud, *non est volentis, neque currentis,* & illud *hoc non ex vobis,*) voluntatem non determinet, sed sinat operari bonum, si velit. Denique similia sunt verba eiusdem Hieronymi, in illa verba Hieremiæ 24. *Dabo eis cor vt sciant me.* quæ comparat cum illis Pauli, *Deus est qui operatur in nobis velle,* & vtrinsque doceri dicit, quod *non solùm opera, sed etiam voluntas nostra Dei vtantur auxilio;* & capite 26. circa principium. *In nostra quidem potestate positum est facere quid, & non facere, vtinam taxat, vt quidquid boni operis volumus, ad Dei gratiam referamus, qui iuxta Apostolum dedit nobis velle, & perficere.*

Hieronym. ep. 9. ad Ctesiphont.

Hieronym. in Ephes. 2.

Hieronym. in Hieremiæ 24.

CAPVT XLVI.

Augustinum in vocatione congrua sine physica prædeterminatione efficacem præuenientem gratiam constituisse.

TRia in hoc titulo proponimus. Primò enim dicimus Augustinum posuisse gratiam efficacē in quadam vocatione, & hoc probauimus latè supra cap. 5. Secundò affirmamus illam vocationem quæ efficax esse dicitur, talem dici, & esse, quia infalliliter consensum obtinebit, idque habere ex congruitate quadam ad eum cui datur, quam congruitatem præsciuit Deus, & obseruauit, vt illam daret, & cum illa non solùm potestatem, sed etiam velle homini donaret. Tertiò negamus posuisse Augustinum efficacitatem vocationis sine aliquo auxilio prædeterminante ipsi vocationi adiuncto, & ab omni auxilio excitante distincto. Et hæc duo probanda à nobis sunt, & quæ præcipua loca, ex quibus sumuntur, eadem ferè sunt cum illis, quibus primum punctum probauimus, ideo breuiter in singulis designabimus verba, quæ ad rem præsentem faciant, & illis alia testimonia, si occurrerint, adiungemus.

Lib. 5. cap. 5.

Primò igitur Augustinus explicat efficaciam vocationis per congruitatem ad hominem, qui vocatur in lib. 1. ad Simplician. q. 2. vbi postquam distinxit vocationem efficacem, quam vocat *efficacem bonæ voluntatis* ab inefficaci, sic concludit, *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Deus, qui hoc modo vocauit quomodo aptum erat eis, qui secundùm propositum vocati sunt vocationem.* Vnde subdit inferius. *Illi electi qui congruenter vocati.* Et infrà, *Non volentis, &c. quia etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis aptum est vt sequantur.* Et infrà, *Cuius miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat.*

Tract. 26. in Ioan. 9.

Rom. 9.

Ad hoc testimonium quidam ex defensoribus alterius sententiæ, cùm non posset negare in illo esse sermonem de congrua vocatione, ausus est dicere, in omnibus quæ ibi tractat Augustinus de vocatione congrua, non loqui ex propria sententia veritatem definiendo, sed solùm disputando, & inquirendo vsque ad illa verba, *& tamen intueamur superiora, & inde nostram quantum ipse Dominus dederit, sententiam proferamus.* Nam interrogando, & respondendo, ac replicando processerat, vsque ad illa verba, quæ præ se ferant initium definitæ sententiæ, vnde, & in margine notatur, *conclusio quæstionis.* sed hoc audiendum nō est. Primò, quia Doctor idem Augustinus lib. de prædestinat. Sanctor. cap. 4. per totum & lib. 2. de retract. cap. 1. recognoscens, & allegans quæstionem illam, simpliciter illam approbat, & laboratum, inquit, in ea esse pro libero arbitrio, & vicisse gratiam Dei. Secundò, quia ille modus interrogandi, quò Augustinus vtitur, non est indicium dubitantis, quin ex alterius sententia loquentis: nam ille est ordinarius modus procedendi

dendi Augustini subtiliter inquirentis veritatem. Vnde ad singulas interrogationes statim adhibet responsionem, & in ea propriam sententiam ad talem interrogationem pertinentem satis declarat, & ita ad quæstionem principaliter propositam resoluendam progreditur. In illa autem quæst. cùm principaliter proposuisset exponere verba Pauli ad Rom. 9. *Cùm enim nondum nati essent*, &c. statim illa ex propria sententia explicare aggreditur, dicens. *Quo adiutorio fidentior factus aggredior. Et primò intentionem Apostoli, quæ per totam epistolam viget, tenebo.* Nimirum, *quòd gratia non detur ex meritis, sed ex liberalitate Dei.* Et ad declarandum, & defendendum hoc fundamentum vtitur variis interrogationibus, per modum obiectionum, quibus satisfacit distinctione vocationis congruæ, & non congruæ, seu singularis, & communis ex proposito, vel ex generali prouidentia. Et ita totam illam doctrinam affert, vt maximè propriam, & quasi denuo sibi reuelatam, vt in citatis locis significat Tertiò hæc mens Augustini ex aliis eius locis colligitur, in quibus per eandem vocationem explicat mysterium diuinæ gratiæ, & prædestinationis, & quia in prioribus operibus suis parum de illa differuerat, hoc ipsum tanquam proprium defectum ipse notat lib. 1. retract. cap. 23. Qui ergo credibile est, in illa præcipua quæstione non esse loquutum de vocatione ex propria sententia? Quartò si expositionem illam admittamus, tota doctrina, quam Augustinus tradit in illa quæstione per septem columnas, à principio vsque ad dicta verba, *& tamen intueamur superiora*, erit inutilis, ac nullius auctoritatis, quod absurdissimum est, & contra omnes, qui postea scripserunt, & quæstionem illam allegarunt. Quintò verba illa, *& tamen intueamur superiora*, nihil colligunt imò, verum sensum dictum confirmant. Nam si per illa *superiora* totam doctrinam præcedentem intelligamus, potiùs inde colligimus, illa omnia tanquam vera, & certa Augustinum supponere, & ex illis tanquam ex veris fundamentis à se iactis principalem quæstionem resoluere, & definire; si verò particula *superiora*, (quod verius est,) ad sola verba Pauli, quæ proximè tractabat, referatur, ex illis nihil colligitur contra doctrinam in eadem quæstione priùs datam. Deuenerat enim Augustinus ad interrogandum, quomodo Deus iustè de hominibus conqueratur, si cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat, & non potiùs de Deo iustè conqueri possunt, quod tam inæqualiter cum eis segerat. Et vt respondeat, dicit intuenda esse superiora verba vtique Pauli, nam subiungit. Ait enim paulo ante. *Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas est apud Deum?* Et his respondet non iniquè agere Deum, cùm de peccatoribus conqueritur, quia ille non cogit ad peccandum, nec sufficientem vocationem negat. Neque etiam posse eosdem peccatores iustè de Deo conqueri, quod eos non congruè vocet, sicut alios, quia neque in hoc iniquè agit, cum nihil eis debitum neget, & dona sua possit cui voluerit gratis donare. Ex quo verò sensu, non solùm non infirmantur superiora, sed potiùs confirmantur, quia nullũ aliud medium expediendæ quæstioni attulit, sed ex iactis fundamentis illam resoluit. Sextò deniq; hoc fit euidens, quia etiam post illa verba, *Et intueamur superiora*, ad idem expresè reuoluitur, nam paulo pòst dicit. *Conqueritur autem iustè de peccatoribus tanquam de his, quos peccare ipse non cogit. Simul etiam, vt hi quorum ipse miseretur, hanc quoque habeat vocationem, vt dum Deus de peccatoribus conqueritur, compungantur corde, atque ad eius gratiam conuertantur.* Et paulò inferiùs. *Hæc demonstratio potentiæ Dei, & annunciatio nominis eius in vniuersa terra prodest eis, vt timeant, & vias suas corrigant, quibus vocatio talis congruit.* Et inferiùs in Epilogo quæst. *Præcipimur*, (ait,) *vt credamus, sed quis potest credere, nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua rerum testificatione tangatur.* Vbi non solùm redit ad vocationem, sed etiam declarat in quo consistat vtique in actu cordis, non in prædeterminatione. Quia verò non omnis tactus est efficax, subdit, *Quis habet in potestate, talibus viso tangi mentem suam, quo eius voluntas moueatur ad fidem.* Et vsque ad finem quæstionis eandem doctrinam eisdem ferè verbis sæpius inculcat: quomodo ergo de illa in superioribus verbis ex propria sententia non est loquutus? Non potest itaque de mente Augustini in illo loco dubitari.

4. Aliud testimonium priori non dissimile. Notandum

Secundum testimonium non dissimile præcedenti sumimus ex lib. de dono perseuer. ca. 14. Nam de Tyriis & Sidoniis dicit. *Etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent.* Vbi oportet semel notare, loqui Augustinum de potestate, quæ reduceretur in actum, vt ex contexu apertè constat, & est frequens eius phrasis tam ibi, quàm in dicta quæst. ad Simplician. & aliis. Vnde in prædicto loco paulo pòst subiungit. *Nec sic induratum erat cor Tyriorum, & Sidoniorum, quoniam credidissent, si qualia viderunt, isti signa vidissent.* Et tamen de eisdem addit. *Sed quoniam vt crederent non erat eis datum,* (vtique per prædestinationem) *etiam vnde crederent est negatum.* (silicet, vocatio congrua Et ideo subinfert, *Ex quo intelligimus habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Non poterat certè clarioribus verbis explicare quomodo efficacia vocationis ex congruitate ad vocatum pertineat. Et tam in hoc, quàm in præcedenti testimonio oportet aduertere, docere Aug. eandem vocationem esse posse congruam vni, & non alteri, non certè ex coniunctione, vel defectu auxilij prædeterminantis, iam enim non esset eadem vocatio, si sub vocatione congrua tale auxilium comprehenditur; ergo ex congruitate ad vocatum. Vnde dicit alibi idem Augustinus vocationem interdum differri, vt fit congrua in vno tempore, quæ non esset in alio: sic enim in expositione Psalm. 142. circa illa verba, *Citò exaudi me Domine*, inquit, *pluuiam differebas, vt hauriens imbiberem, non respicerem, quod influeres. Sic ergo ideo differebas, iam da, quia anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Captat ergo Deus secundum Augustinum occasiones vocandi congruè quod certè non esset necessarium, si in prædeterminatione necessitas posita esset.

Aduertendum, eandẽ vocationẽ posse esse congruam vni, & non alteri.

Tertiò idem probatur ex 1 b. de prædest. Sanctor. cap. 16. vbi ponẽs vocationem in interna doctrina, qua homines sunt interius docibiles Dei, efficaciam eius declarat, in fine dicens. *Ad hanc vocationem omnes qui pertinent, sunt docibiles Dei, nec potest quisquam eorum dicere? Credidi, vt sic vocaret; præuenit enim cum misericordia Dei, qua sic vocatus est, vt crederet,* id est, vt congruebat audienti, vt disceret, & cap. 19. similiter ait, *Illa vocatione id prorsus agitur, & peragitur, vt credamus,* & cap. 20. dicit. *Hoc donum gratiæ in illam purpurariam descenderat, cui, sicut Scriptura dicit in Actibus Apostolorum, Deus aperuerat sensum eius, vt intenderet in ea quæ dicebantur a Paulo: sic enim vocabitur, vt credevet.* In ipsa ergo vocatione ponit illum modum accommodatum recipienti, ratione cuius dicitur, *sic vocari, vt credat*; quem modum aliis locis per congruitatem ad eum, qui vocatur, declarat. Et in Epistol. 107. ad Vitalem exposuit per illa verba *sic eius agis sensum, vt accommodet assensum* quod inferiùs dicit fieri, *per occultam inspirationem Dei.* Inspiratio ergo ipsa quæ est vocatio, quatenus ita datur homini, vt accommodet assensum, quod est dare cum congruitate ad suscipientem, est auxilium efficax.

Quartò idem probari potest ex omnibus locis dicto cap. 5. allegatis, in quibus Augustinus docet, dare Deum efficacem gratiam præparando voluntatem

tatem, per vocationem occultam, & secretam, adiungendo alia loca, in quibus ait hanc præparationem voluntatis fieri per reuelationem internam, & spiritualē delectationem quā infundit, vt sumitur ex l. 2. de peccator. merit. c. 17. & l. de grat. Christi c. 10. & 14. & de prædestinat. Sanctor. cap. 8. Et similia sunt loca, in quibus ait, hoc fieri per internam Spiritus sancti persuasionem, quando enim suasio fit modo ita accommodato, audient vt persuadeatur, tunc rectè dicitur persuasio. Vnde in lib. de natur. & grat. cap. 25. *Magnus est Dominus qui persuadet, quomodo ipse nouit.* Et In l. de spirit. & liter. cùm priùs in cap 33. rationem, cur ex duobus audientibus Euangelium vnus credit, & alius non credit, & arbitrij libertate, quia vnus vult, & alius non vult, reddidisset, quia per hoc non satis explicatur donum gratię, addit in ca. 34. *Non ideo tantum ista voluntatem diuino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est, verum etiam quòd visorum suasionibus agit Deus, vt velimus, vt credamus. siue extrinsecus per Euangelicas exhortationes, & siue intrinsecus, vbi nemo habet in potestate, quod ei veniat in mentem, sed consentire, vel dissentire propriæ voluntatis est.* Vbi expendimus in primis non alium modum suasionis internæ ponere Augustinum, nisi moralem, & per actus vitales mediis objectis potentias nostras excitantibus. *Et his modis,* (ait inferiùs,) *agit Deus cum anima rationali, vt ei credat,* quia credere non potest, *nisi sit aliqua suasio, vel vocatio cui credat, & sic,* ait, *ipsum velle Deus operatur in nobis.* Totum erga negotium ex parte antecedentis tribuit vocationi, & suasioni, & specialem misericordiam, & profunditatem mysterij in hoc solùm ponit, *quòd huic ita suadeatur, vt persuadeatur, illi autem non ita.* Et nihilominus concludit, *Consentire, & dissentire propriæ voluntatis est,* non quia consentire sit solius voluntatis sine adiutorio concomitantis gratiæ, sed quia vocatio quantumuis congrua, non adigit voluntatem ad alterutram partem, quam doctrinam habet etiam in lib. 83. Quæstion. q. 68. & lib. de grat. Christi cap. 10. & in l. 7. Confession. cap. 6. notari possunt illa verba, *Tu Domine iustissime moderator vniuersitatis, cōsulentibus, consultisq; nescientibus occulto instinctu agis, vt dum quisque concludit, hoc audiat, quod eum oportet audire.*

5. Solutio.

Impugnatur.

At potest aliquis dicere, suasionem tranfire in persuasionem, quando illi adiungitur nouum auxilium prædeterminans, vel intellectum, vt iudicet ita esse credendum, vel voluntatē, vt velit credere. Sed contra hoc est in primis, quòd numquam Augustinus in omnibus dictis locis hoc insinuauit. Est q; profectò mirabile, quod iubeant nos credere Augustinum posuisse discrimē, & rationem in sola physica prædeterminatione, cùm Augustinus in illis locis, in quibus principaliter hoc agit, vt declaret quomodo Deus in nobis faciat, vt velimus, semper id per internam suasionem, & vitalem excitationē declaret, nulla facta mentione prędeterminationis & cùm rursus inquirit, vnde habeat suasio illa, quòd tunc persuadeat & non illum, numquam id tribuit soli voluntati, vel prædeterminationi Dei, sed alijs modis per congruitatem ad suscipientem id explicare conatur. Accedit quòd ipsum verbum *persuadendi*, vel nomen *persuasionis*, non nisi impropriissimè potest applicari physicæ prædeterminationi, cùm persuasio fiat vitalis, & humano modo, illuminando intellectū, & excitando affectum; prędeterminatio autē fiat vi quadā de se communi facultatibus non vitalibus etiam non sentientibus, nedum intelligentibus. Deniq; probando secundā partem propositā, quod nimirum Augustinus non in auxilio physico, præuio addito vocationi, sed in ipsamet vocatione, & modo illius ipsiusmet efficaciam posuerit, apertè concludemus, nō in alio modo, quàm in congruitate vocationis ad quam immediatè sequatur consensus cum auxilio concomitante, ac physicè adiuuante efficacitatem præuenientis gratiæ posuisse.

Altera ergo pars negatiua, quam proposui probandam, ex eisdem ferè locis alijs eorum verbis ponderatis eruenda est. Nam in primis in dicta quæst. 2. ad Simplician. semper docet, ratione vocationis tribui Deo nostrum velle, sic enim ait. *Quia non procedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo rectè tribuitur, quod bene volumus, nobis verò tribui non potest, quòd vocamur. Non igitur dictum est putandum: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia nisi eius adiutorio non possemus adipisci, quod volumus, sed ideo potiùs, quia nisi eius vocatione non volumus.* Igitur ex sententia Augustini necessarium non est aliquod auxilium præueniens præter vocationem, ratione cuius tribuitur soli Deo bona voluntas hominis, sed sufficit vocatio congrua, quam ipse quibus vult, ex sua misericordia confert. Confirmatur valde hoc testimonium, quia vocatio quæ in aliquo non est efficax, esset efficax, si ille vellet, & quòd sit inefficax, eius duritiei, & resistentiæ tribuitur: hæc autem vera esse non possent, si efficacia vocationis penderet ex sola voluntate Dei, vel, (quod perinde est,) à nouo auxilio præueniente, ac prædeterminante, quod Deus pro suo arbitrio dat, vel negat quibus vult; ergo ex mente Augustini non est necessarium tale auxilium. Consequentia euidens est, nisi quis velit dicere Augustinum illam non vidisse, & repugnantia docuisse. Minor autem latè probata est in cap... Maior verò patet ex verbis illis, *Noluit Esau, & non cucurrit, sed etsi voluisset, cucurrisset.* Haberet ergo auxilium efficax si voluisset: nam sine auxilio efficaci, nec velle, nec currere potuisset; & ideo subdit, *Quia et etiam velle, & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret;* ergo inefficacia vocationis ex culpa hominis procedit; non ex defectu auxilij prædeterminantis secundùm Augustinum.

Confirmatur vlteriùs idem testimonium ex illis verbis; *An forte illi qui hoc modo vocati, non consentiunt vocationi, possent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, & vt illud verum sit, Multi vocati, pauci verò electi, vt quamuis multi vno modo vocatifint, tamen quia non omnes vno modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem, qui ei suscipiendæ inueniuntur idonei: & illud non minus verum sit, Non volentis, sed Dei miserentis, qui hoc modo vocauit, quomodo aptum erat eis, qui sequuti sunt vocationem.* Vbi interrogo, quisnam sit ille modus vocationis, de quo his verbis loquitur Augustinus. Nam si auxiliū prædeterminans necessariū est, nullo alio modo potest vocatio esse efficax, nisi quia præter excitationem habet adiunctam prædeterminationem, neque inefficax, nisi quia datur sine prædeterminatione. Augustinus autem non potest de hoc modo intelligi, quia secundùm modum illum omnes vocati sine vlla alia consideratione, & quomodocumque affecti sint, consentiunt vocationi, si illo modo vocentur, & non consentient si tantùm excitentur, & non prædeterminentur, quod consequenter concedunt aduersarij: si autem hoc verum est, impertinens est tota illa doctrina Augustini, quam millies repetit, & videbimus. Item quia non rectè diceret Augustinus, quòd qui nunc consentit, alio modo vocatus, accommodaret fidei voluntatem, sed potiùs dicere debuisset, quòd Deus determinaret eius voluntatem ad fidem. Cùm ergo dicit, *accommodaret fidei voluntatem*, apertè sentit post vocationem congruentem, sine alia præueniente determinatione Dei ipsam voluntatem cum cooperante auxilio sese fidei accommodare. Præterea expressè dicit, ex pluribus vno modo vocatis, quos dam sequi vocationem, alios non sequi, & misericordiam singularem Dei erga eos, qui sequuntur vocationem, esse, quia illo modo vtrosq; vocauit potius,

Confirmatur secundò ex eodem testimonio

Confirmatur ex eo

Potiùs, quàm alio, ergo ille modus non potest consistere in prædeterminatione, quia vocatio adiunctam habens prædeterminationē, non est data omnibus illis, nam si talis data esset omnibus, omnes consentirent, quocumque modo essent affecti: & sine illo modo in nemine haberet effectum, inxta illā sententiam. Est ergo euidens Augustinum loqui de vocatione eodem modo collata intra propriam rationem excitationis.

8. Aliud notandum ex Augustino.

Ethoc ipsum his verbis paulo inferiùs explicat. *Cùm ergo alius sic, alius verò sic moueatur ad fidem, eademque res sæpe alio modo dicta moueat, alio modo dicta non moueat, aliumque moueat, alium non moueat, quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatémque coniungeret, in qua Iacob iustificatus est.* Vbi obiter notari potest vocationem congruam secundùm Augustinum talem esse, vt relinquat vocato potestatem applicandi, & coniungendi voluntatem suam ad fidem, seu, prout antea dixerat, *accommodandi voluntatem suam fidei.* Nam his verbis satis significatur etiam post vocationem efficacem manere determinationem in libera potestate voluntatis, ac subinde non interuenire prædeterminans auxilium, quod inde etiam fit perspicuum, quia si in tali modo auxilij posita esset efficacia, nec dubitari posset, an talis modus futurus esset efficax in Esau, nec in illo haberet locum, quod subdit, *Quòd si tanta esse potest obstinatio voluntatis, vt contra omnes modos vocationis obdurescat*, &c. nam contra prædeterminationem euidentissimum est neminem posse obdurescere; quia tamen Augustinus non prædeterminationi, sed vocationi moraliter inducenti efficaciam antecedentem tribuebat, ideo illi dubitationi locum esse considerauit. Et nihilominus adiungit, *Quis dicat modum quo ei persuaderetur, vt crederet, etiam omnipotenti defuisse?* vbi etiam vis verbi *persuaderetur*, ponderanda est, iuxta alia quæ diximus. Certè qui sincerè, & sine affectione quæstionem illam, & seriem doctrinæ, & Augustini discursum considerauerit, dubitare non poterit, quin ad vocationem efficacem nullum auxilium prædeterminans, vel distinctum à vocatione ipsa, & interno modo persuasionis eius postulauerit.

9. Confirmatur testimonio Augustini.

Secundò hoc confirmat aliud testimonium ex lib. de perseuer. cap. 14. nam certè si differentia substantialis, vt sic dicam, inter vocationem efficacem & non efficacem consisteret in adiuncto, vel non adiuncto alio auxilio prædeterminante, malè Augustinus ex eo, quod Tyrij crederent visis illis signis cum quibus non crediderunt Iudæi, intulit, fuisse diuersitatem aliam antecedentem inter Iudæos, & Tyrios, vel in lumine naturalis intelligentiæ, vel in cordis obduratione, seu dispositione. Nam sine tali diuersitate cæteris omnibus æqualibus antecedenter hi crederent, & illi non crederent, solùm, quia hoc voluit Deus prædeterminare, & non illos. quod quidem consequenter concedunt Aluarez, Ledesma, & alij contrarium opinantes, vt suprà retuli, & infrà etiam in capite speciali dicam. Quantum verò id repugnet Augustino, constat ex verbis illis, *Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio*, &c. nihil enim tale apparet, si sola prædeterminatio consummat illam differentiam, & ad eam sufficit, imò est tota causa illius. Est ergo talis prædeterminatio aliena à mente Augustini.

10. Confirmatur ex eodē.

Tertiò est magnum argumentum quòd vbique Augustinus in operibus gratiæ non tribuit soli Deo nisi vocationem, & nunquam nisi ratione illius tribuit Deo, quòd faciat nos velle, neque inter vocationem, & consensum factum cum auxilio cooperante ponit medium auxilium præueniens voluntatem, & faciens eam facere: incredibile autem est hæc omnia prætermisisse, si hæc omnia in auxilio prædeterminante posita essent. Assumptio probatur ex eisdem locis, nam in quæst. 2. ad Simplician. *Velimus*, (ait,) *suum voluit esse, & nostrum, suum vocando, & nostrum sequendo.* Certè si prædeterminatio necessaria est, potiùs dicere debuisset, suum prædeterminando, quia quidquid est in vocatione præter prædeterminationem, est etiam in eo, in quo de facto Deus non operatur ipsum velle; & quia iuxta illam sententiam prædeterminatio sola est, quæ dat vocationi illam efficaciam. Augustinus autem nihil tale dixit, sed vocationi immediatè adiunxit consensum. Optimèque idem probatur ex lib. de Grat. & liber. arbitr. cap. 5. vbi de Paulo ait, *Quòd conuersus fuerit, nec gratia erat sola, nec voluntas erat sola; vt autem vocaretur, gratia fuit sola.* Nec aliquam gratiam præuiam ponit, quam Deus solus in illo effecerit. Item probatur ex Enchirid. capite 32. dubitans enim quomodò sit verum illud, *Non est volentis*, &c. cùm nemo salutem operetur, & consequatur, nisi volens respondet. *Non nisi quia ipsa voluntas, (vt scriptum est,) à Deo præparatur.* Quod vt in alijs locis tum hîc, tum cap. 5. citâ is docet, non fit nisi per vocationem & auxilia excitantia. Vnde in eodem loco concludit, *Detur ergo soli Deo qui bonam voluntatem, & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam.* Neutrum autem horum facit Deus prædeterminando, sed adiuuat cooperando, & præparat excitando. Vnde lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum capite 10. sic inquit. *Studium hominis quod dicitur bonum, quamuis cùm esse cœperit, adiuuetur gratia, non tamen incipit sine gratia, sed ab illo inspiratur, de quo dicit Apostolus, Gratias autem Deo qui dedit idem studium in corde tibi*, vbi notanda sunt illa verba, *cum esse cœperit, adiuuatur gratia*, optimè enim explicant concomitantiam gratiæ adiuuantis sine præueniente. Alia verò, *sed ab illo inspiratur*, apertè declarat præuenientem tantum esse per inspirationem, & ab illa duci initium boni studij, & ratione illius dici dare huiusmodi studium in corde. Et similem doctrinam habet locis allegatis de prædestinat. Sanctorum capite 5. 16. & 19. epistola 107. ad Vitalem, & de Natur. & Grat. capite 32. lib. 83. quæstionum, quæst. 68. & serm. 13. & 15. de verbis Apostoli.

rr. Notandum.

Quartò notari potest in doctrina Augustini, non ponit efficaciam præuenientis gratiæ in vno modo mouendi vniformiter, (vt sic dicam,) & eiusdem rationis in omnibus, qui inuertuntur, sed in variis, & morabilibus modis; ergo signum est non ponere illam efficaciam in auxilio prædeterminante: nam illud eiusdem modi esset in omnibus. Antecedens patet ex dicta q. 2. ad Simplician. ibi, *Si tanta potest esse obstinatio voluntatis, vt contra omnes modos vocationis obdurescat*, & ibi, *Quis potest credere nisi aliqua vocatione tangatur*, & statim, *Quis habet in potestate tali viso tangi?* Quia nimirum hic tactus potest esse multiplex, Item de spirit. & liter. capite 24. *His modis agit Deus, vt velimus.* Expressiùs libro 3. de liber. arbitr. capite 18. & libro de Natura & Grat. capite 67. *Cum vbique sit præsens*, (ait,) *qui multis modis per creaturam sibi Domino seruientem doceat credentem.* & libro 1. contr. duas epist. Pelagian. capite 19. *Quis trahitur si iam volebat? & tamen nemo venit nisi velit; trahetur ergo miris modis, vt velit ab illo, qui nouit intus in cordibus hominum, operari.* Et eandem doctrinam habet libro 2. de peccator. mer. capite 5. Item libro de Corrept. & Grat. capite 5. *Quare isti sic, illi aliter, atque alij aliter diuersis, atque innumerabilibus modis vocantur, vt reformentur? absit, vt dicamus*, &c. & libro quarto Confession. *Conuerte nos*, (dicit ad Deum,) *miris modis.* Et libro 5. capite septimo Deo dicit. *Egisti mecum miris, & occultissimis modis,*

modis, tu illud egisti Deus, nam à Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet. quibus verbis efficaciam gratiæ per moralem directionem declarat, & miris, & occultissimis modis à Deo fieri profitetur. quod in cap. 8. eleganter prosequitur, & libro 7. cap. vlt.

12. Sed instant, quia potiùs dicens Augustinus *miris modis*, indicat altiorem modum mouendi, quàm moralem, nam moralis motio non est tam admirabilis. Sed hoc non eneruat testimonium; fatemur enim, si Deus prædeterminaret physicè voluntatem, futuram esse motionem satis mirabilem, sed præterquam quòd esset necessitans, esset vna singularis, & ita non posset in ea verificari illud *multis, & mirabilibus modis*. Vnde falsum est, & apertè contra mentem Augustini dicere, in morali modo trahendi voluntatem, non posse Deum operari multis, & mirabilibus modis, nam ad persuadendos, & trahendos homines, multa, & mirabilia operatus est, & interiùs in cordibus hominum quotidie operatur, *habens inclinandorum cordium omnipotentissimam potestatem*, vt idem Augustinus dixit de corrept. & Grat. capite vigesimo quarto. Et hic sensus euidentissimè conuincitur à fortiori, ex eo quod libro vigesimo contra Iulian. capite quarto. *In cordibus impiorum*, dicit, *facere Deum miris ac ineffabilibus modis*, etiam tunc quando peruersè agunt, & obdurantur, quamuis non simili intentione, nec voluntate tunc Deus operetur; & ideo certum sit, tunc non operari prædeterminando, sed ea operando, quæ de se bona sunt, sciens homines ex malitia sua illis bonis esse prauè vsuros.

13. Ponderatur quod suprà notatũ, non ponere Augustinum efficaciam auxilij gratiæ in modo agendi.

Vnde potest quintò ponderari id, quod iam in superioribus notauimus, non ponere Augustinum efficaciam auxilij gratiæ in modo agendi Dei bonis, & malis actibus communi, ne inde sequatur ita posse Deo tribui actus non bonos, sicut actus pietatis, & gratiæ, vt contra Pelagian. arguit libro de Grat. & liber. arbitr. cap. 17. & 27. & lib. 2. de peccator. merit. cap. 18. & docet lib. de Spirit. & liter. cap. 33. & 34. Inde ergo rectè colligimus Augustinum non posuisse auxilium efficax inefficacia præuij concursus de se generalis omnibus operibus voluntatis, vt actiones positiuæ sunt, cuiuscunque ordinis existant, quoniam aliàs æquè Deus faceret, vt homo velit infirma, & suprema, mala, & bona, quod & est contra excellentiam gratiæ, & alienum à diuina voluntate, vt in libro 3. latè argumentati sumus.

14. Ponitur argumentum, non operari Deum per gratiam efficacem in voluntate, hominis modò communi animantibus, brutis, & rebus insensibilibus.

Sextum, & simile argumentum ex eo sumitur, quod Augustinus sæpe etiam repetit, non operari Deum per gratiam efficacem in voluntate hominis, modo communi animantibus, brutis, & rebus insensibilibus. Sic enim in dicto libro 2. de peccator. merit. cap. 5. cùm dixisset petendam esse à Deo gratiam, adiungit, *Nec tamen de hac re solis votis agendum est, vt non subinferatur admittendo etiam nostræ efficacia voluntatis. Adiutor enim noster dicitur, nec adiuuari potest, nisi qui etiam aliquid sponte conatur*, & rationem subdit. *Quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis, in quorum natura rationem voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis.* Modus autem ille efficaciter applicandi potentiam per auxilium efficax communis dicitur esse omnibus agentibus naturalibus, brutis, & insensibilibus. Et certè si tale auxilium necessarium est, & solùm sufficit voluntatem inflectere, vt velit, solis votis agendum est, vt tale auxilium detur; imò nec vota adhiberi potuerunt, nisi ad illa facienda prius aliquid tale auxilium detur. Neque ab homine postulare oportebit, vt suæ voluntatis efficaciam adiungat, quoniam nisi ita in illo operetur Deus, nõ potest illam adhibere; si verò ita Deus operetur in homine, non poterit illum nõ adiungere, & ita nõ aliter applicabitur volũtas eius à Deo, quàm applicetur appetitus bruti quantum est ex parte hui⁹ determinationis. Est ergo hoc val de alienum ab Augustini mente, & doctrina.

Vnde septimam considerationem addimus, quia vbicunq; Augustinus loquitur de hac præuia gratia, quam *præparationem voluntatis* appellat, suum locum libertati voluntatis reseruat, sentirque semper posse resistere, & contemnere voluntatẽ, ideòq; illi imputari ineffi cacia vocationis. quæ omnia non stant cum prædeterminatione, vt suprà oste dimus. Assumptum probatur primò ex generali doctrina Augustini, quoties voluntas cedit alicui mouenti illam quia non potest illi resistere, non illi imputari ad culpam, vel ad præmium. Ita habet lib. 3. de liber. arbitr. cap. 18. quod recognoscit, & confirmat lib. de Natur. & grat. cap. 6. *Quæcunque*, ait, *ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur.* Quod ideo verũ est, quia tunc voluntas sine libertate consentit, nulla enim alia causa potest ita illã excusare à culpa, si aliàs actio de se peccaminosa sit; igitur perinde fuit dicere, *sine peccato ei ceditur*, ac dicere, *sine libertate ei ceditur*, id est; causa inducens hominem ad volendum, vel facit eum velle, si ei resisti non potest, sine libertate ei ceditur. Vnde infrà iterum interrogat. *Potest ergo ei causa, quæcunque illa sit resisti?* Et respondet, *potest plane*. Vt autem dixi, licèt id tradatur de potestate resistendi tentationi, tamen ratio in qua fundatur in motione ad bonum, locum habet. Nam sicut tentationi sine culpa ceditur, si eiuõ possit resisti aliquo modo saltem per gratiam, ita motioni ad bonum sine laude cedetur: ac proinde sine libertate, si ei resisti non possit. At verò, qui cedit vocationi Dei, est dignus laude, vt fides docet, & Augustinus passim; ergo talis motio ita est causa voluntatis, id est, volitionis hominis, vt possit homo ei resistere.

15. Et ideo frequenter repetit Augustinus, vocare hoc, vel illo modo esse solius Dei, *venire autem semper esse in voluntate, vel sola si non venit, vel adiuta si venit*, vt dixit de grat. Christi, cap. 14. & dicto cap. 34. de spirit. & litera. His modis, (ait scilicet, vocatione, & persuasione) *ipsum velle credere operatur Deus in ipso homine, ex ago consentire autem vocationi Dei, vel dissentire, propriæ voluntatis est.* quæ verba faciunt sensum compositum, & includunt potestatem resistendi, vt circa Concilii Tridentinum explicaui. Et ob eandem potestatem & libertatem dicit in q. 68. ex 83. licèt homo vocatus & vemens non possit sibi tribuere, quòd vocatus sit, posse nihilominus sibi tribuere, quòd veniat sibi, inquam non soli, sed adiuto, vt in alio loco declarauit. Et in eodem sensu dixit tract. 4. in Ioannẽ. *Eo quòd adiungis voluntatem tuam Deo, castificas te ipsum, castificas te, non de se, sed de illo, qui venit, vt habitet in te. Tamen quia agit ibi aliquid voluntate, ideo & aliquid tibi tributum est, ita vt dicas, Adiutor meus esto.* Denique in lib. de Ecclesiast. dogmat. cap. 21. Augustino attributo, sic habetur. *Manet ad quærendam salutem arbitrij libertas sed admonente prius Deo, & inuitante ad salutem, vel eligat, vel sequatur, occasione salutis, hoc est, inspiratione Dei.* Vbi aliqui *inspiratione* exponunt, id est, *prædeterminatione*, contra vim verbi, & contra omnem vsum, & contra contextum; quia per illa verba *inspiratione Dei*, exponit illa *occasione salutis*, vt patet ex illa particula, *hoc est*, occasionem autem salutis appellat quod dixerat, *monente, & inuitante Deo.* Inspiratio ergo nihil aliud est, quàm ipsa motio, & inuitatio, quæ per illuminationem, & piam affectionem à Deo interiùs fit. Vnde concludit ille Auctor, seu Augustinus. *Initiũ ergo salutis nostræ Deo miserante habemus, vt acquiescatiũ ergo salutis nostræ Deo miserante habemus, vt acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est.* At certè acquiescere prædeterminationi non esset potestatis nostræ, sed necessitatis.

Confirmari potest antecedens, in principali ratione

tione assumptum, quia Augustinus locis suprà citatis dixit, cum eadem vocatione hominem interdum nolle, & alium non velle, vel eundē in diuersis temporibus, vt ex Psalm. 142. allegaui, & de Tyrijs, & Sidonijs comparatione Iudæorum dixit de don. perseuer. cap. 14. & suprà tractatum est; ergo ex sententia Augustini illa vocatio ex natura sua talis est, vt ei resisti non possit. Vnde non solet explicare Augustinus efficaciam gratiæ, aut vocationis per impotentiam resistendi, aut dissentiendi, sed per certā effectus consecutionē, sicut de don. perseu. c. 14. dixit, media prædestinationis esse illa, *quibus certissimè liberantur, quicunq; liberantur.* Et in lib. de Prædestinat. Sanctor. c. 8. de hac gratia loquēs, ait, *A nullo duro corde respuitur*, quia ex intentione Dei est, vt nō respuatur, vt subdit dicens, *Ideo enim tribuitur, vt cordis duritia penitus auferatur*, & ideo etiā tribuitur, *sicut aptū est ei, qui vocatur, seu sicut scit ei congruere, vt vocantē non respuat.* Sicut dixit q. 2. ad Simplician. ergo ponit Augustin. efficaciā salua potestate resistendi: talis autem efficacia non potest esse prædeterminationis, vt suprà ostendi, etiā ex aduersariorum confessione; est ergo congruentiæ præcognitæ à Deo, vt satis expressè in verbis proximè citatis Augustinus declarauit.

Confirmatur 1.

18. Confirmatur 2.

Denique confirmari potest idem antecedens ex alio principio suprà posito in doctrina Augustini, homini sufficienter vocato, & non consentiēti, culpæ attribui, quòd vocationem contemnat, eiq; resistat, vt expressè dicit de Esau dicta q. 2. ad Simplician. & de Pharaone dicta q. 68. & 83. & vniuersaliter ibi ait *Qui noluerunt venire, non debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniā vt venirent vocati, erat in libera eorū voluntate.* Idē habet 2. de peccator. merit. & remiss. c. 17. & in Enchiridion. c. 64. & de natur. & grat. c. 67. Hinc ergo colligimus vocationem sufficientē quātum ex se est, esse efficacē, nisi homo ei resistat, ac proinde illi eidem auxilio quod est efficax, quando ei non resistitur, posse resisti. Probatur hæc illatio, quia si vocationi sufficienti resistere culpa est; ergo illa vocatio dat proximam potestatem efficiendi, ita vt possit reduci in actum sine alio præuio auxilio, si voluntas velit. Nam si alia motio esset necessaria, cùm hæc non detur, nec sit in hominis potestate, non habet homo per solam vocationem priorem proximam potestatem consentiendi illi, ac subinde homini non consentienti tali vocationi, non potest id ad culpam illi imputari; quia non habet in potestate sua consensum, & quod non est in potestate nostra, etiamsi non fiat à nobis, non imputatur nobis, vt proxime ex Augustino dicebamus. Et augetur hęc ratio in eadem doctrina Augustini, quia auxilium efficax est necessarium, vt det potestatem agendi, & consentiendi, quia præparat voluntatem, vt velit, vt patet per Augustinum epist. 107. & alijs locis suprà citatis: per illam autem præparationem datur voluntati potestas piè operandi, teste eodem Augustino lib. 1. Retractat. c. 22. & lib. 2. cap. 1. & in Enchirid. cap. 32. & serm. 10. de verb. Apostoli. Imò lib. de grat. & liber. arbitr. c. 16. dicit dare vires efficacissimas voluntati; ergo vocatio efficax dat potestatem agendi, & consentiendi; ergo si non est in potestate hominis facere, vt vocatio efficiens sit efficax, non potest illi tribui, quod resistat.

19. Sumitur ex eo quòd in doctrina Augustini, quòd neque Angelis, neque homini-bus in statu innocentiæ fuit necessaria prædeterminatio physica ad suam conuersionem, vel ad resistendum tēr ationi; ergo per se non est necessaria ad actus supernaturales, neq; ex vi præuij concursus Dei, neq; propter actuum excellentiam, seu supernaturalitatem; ergo neq; in statu naturæ corrupta est necessaria illis titulis, neque etiam propter correptionē naturæ; tum quia sicut tentationes, & difficultates insurgentes ex hac naturæ corruptione, non physicè, sed moraliter inducunt ad malum, ita contra illas efficax esse potest in eodem genere moralis inductio gratię illuminantis, & inspirantis; tum etiā, quia illa necessitas non posset esse ad singulos actus iuxta doctrinam in lib. 1. & 2. datam, quod etiam est contra rationē auxilij efficacis, vt ex dictis in principio huius libri constat. Ergo si verū est illud principium, manifestum est non posuisse Augustinum prædeterminationem physicam vt necessariam ad opera gratiæ, ac proinde non posuisse in illa efficaciam auxilij, seu vocationis. Principium autem illud, seu antecedens probamus ex lib. de corrept. & grat. ca. 11. & 12. vbi Augustinus ait, Adamo in statu innocentiæ datam esse gratiam, qua posset perseuerare, vitando peccatum, non tamen esse datam gratiam, qua illud vitaret, & perseueraret. Et idem dicit de Angelis. Dices hoc verum esse de Adamo, & de Angelis malis, quia illis nō est data gratia efficax non verò de Angelis bonis, quibus est data. Sed cōtrà: nam de omnibus Angelis sentit Augustinus nō esse illis datam gratiam de se efficacem; ait enim voluisse Deum in illis experiri libertatem arbitrij, & subdit, quòd sicut mali Angeli per suum arbitrium ceciderunt, ita boni per suum arbitrium steterunt; ergo non ex prædeterminatione gratiæ steterunt, alias nihil in eo discrimine libertas arbitrij ostenderetur, nec esset differentia inter homines, & Angelos, quam ibi Augustinus ostendere vult. Scio in nostra sententia etiam esse difficilem illam differentiam, quam difficultatem in superioribus tractauimus, & infrà iterum tractando de dono perseuerantiæ euoluenda est, nunc nobis sufficit, quòd si Angelis bonis fuit necessaria prædeterminatio, sicut nobis esse dicitur, non potest subsistere quod Augustinus ait, in Angelis, & primo homine voluisse Deum experiri libertatem magis, quàm nunc in hominibus lapsis experiatur. Quòd si locus hic cogere alicui non videatur, profectò superiora videntur satis superque sufficere: multa enim, vt existimo, conuincunt, posuisse Augustinum auxilium efficax præueniens in vocatione congrua non prædeterminante, sed modo accommodato inducente hominem infallibiliter ex præscientia Dei. Et omnia simul sumpta hanc fuisse mentem Augustini satis ostendunt, nec que id euidentius expendendo loca Augustini, in quibus contrariæ sententiæ Auctores opinionem suam fundare conantur.

determinatio physica ad suam cōuersionem, vel ad resistendum tentationi.

Instantia.

Euertitur.

CAPVT XLVII.

Vtrùm Augustinus physicæ prædeterminationi aliquando faueat.

1. Respondetur. Probatur responsio.

REspondemus nullam inueniri apud Augustinum testimonium, in quo id doceat, vel ex quo satis probabili coniectura talis mens Augustini colligi possit. Hanc assertionem probamus discurrendo per omnes modos loquendi Augustini, quos vel ab alijs nobis obiectos inuenimus, vel nos notare, & inducere potuimus: non enim semel, sed sæpiùs, totā Augustini doctrinam, præsertim ad hanc materiam pertinentem, euoluimus, non quidē ex præiudicio, & animo defendēdi propriam sententiam, sed omnino inueniendi mentem eius, nihilque occultandi, quod ad illam indagandam conducere posse videatur.

2. Obiectio ex errore Pelagij.

Primam obiectionem sumunt ex errore Pelagij, contra quem Augustinus disputauit, supponuntq; Pelagium non erasse in gratia excitante, sed in adiuuante, qua Deus efficaciter præuenit voluntatem eij & effecit, vt liberè consentiat. Nam omnem gratiam excitantem, quam D. Aug. ponit, dicunt, ad-

misisse Pelagium, necasse autem præuenientem physicè efficacẽ, & contra hoc aiunt; direxisse Aug. totam disputationem suam, vnde concludunt, in contrario sensu docuisse, necessarium esse auxilium de se efficax, ac subinde prædeterminans. Ita argumentatur Aluar. disp. 99. nu. 2. & suppositionem illã probat ex Aug. epistol. 107. ad Vitalem, refertque verba vbi dicit, *inter eos agi de Gratia quæstionem, vtrùm præcedat, vel subsequatur hæc gratia hominis voluntatem, hoc est, vtrùm ideo nobis detur, quia volumus, an per ipsam hoc etiam efficiat Deus vt velimus.* Secundò àdducit Augustinum lib. de Grat. Christi. cap. 10. qui refert sententiam Pelagij fuisse, *non adiutorio Dei, sed ex nobis ipsis in nobis effici voluntatem bonam*, & verba Pauli, *Deus est, qui operatur in nobis velle.* exposuisse de operatione per illuminationem, *& excitationem stupentis voluntatis* & cap. 47. nihil aliud Augustinus à Pelagio exigit, nisi vt Dei adiutorium admittat. Alias coniecturas adducit ille Auctor, quas omitto, quia parui momenti mihi videntur, & quia superfluum est indicijs vti, vbi factum fide dignis testimoniis comprobatur.

Argumentatur. *Aluarez.* *Augus.*

Soluitur dicta obiectio ex *Augustino*

Respondemus ergo primò obiectionem hanc falsum supponere. Nam Augustinus libro 1. contra duas epistolas Pelagianor. c. 19. ad illos sic loquitur. *Vos autem in bono opere sic putatis adiuuari hominem Dei gratia, vt in excitanda eius ad ipsum bonum opus voluntate nihil eam credatis operari.* In quibus verbis apertè refert August. Pelag. absolutè negasse excitantem gratiam, seu excitationem voluntatis per gratiã, cùm tamen adiuuantem aliquo modo saltem nomine admitterent. Vnde excitantem, & re, & nomine negasse videntur, quia licèt doctrinam, legem, & promissiones, quæ excitatem, sub nomine gratiæ admitterẽt, in illis solis gratiæ adiutorium ponebant, vt in Prolegom. 5 c. 2. & 3. ex variis locis Aug. ostensum est. Secundò dicimus obiectionem factã etiam in illatione peccare: nam licèt Pelagius admitteret auxilium sufficiens per veras internas excitationes, & negasset efficax, & in hoc secundo ab Aug. impugnetur, non sequitur August. pugnasse pro auxilio prædeterminante, sed pro vocatione congrua, & efficaci, vt in omnibus suis libris declarauit, sicut iam vidimus. Et præterea quod caput est, maximè errauit Pelagius negando adiutorium gratiæ concomitans, & physicè adiuuans voluntatem, & in hoc sensu dixit, *Non adiutorio Dei, sed ex nobis effici voluntatem bonam.*

3. Instantia.

Sed instant, qui Pelagiani tribuebant Augustino, quòd libertatem tolleret, vt patet ex epistolis eorum, contra quas quatuor libros Augustinus scripsit, præsertim lib. 1. cap. 2. & cap. 5. & lib. 4. cap. 9. Item libr. 4. contra Iulian. cap. 8. Ergo signum est Augustinum posuisse auxilium efficax prædeterminans, aliàs nulla virisimilitudine potuissent Pelagiani id inferre ex sententia Augustini.

Respondetur 1.

Respondetur primò, si nunc Catholici inferunt ex verbis Augustini prædeterminationem physicam cùm eam in scriptis suis non solùm nunquam nominauerit, vel intinuauerit, sed etiam multa illi contraria docuerit, quid mirum est quòd hæretici apertè intulerint Augustinum posuisse necessitatem auxilij repugnantis libertati? Malè ergo intellexerunt Augustinum, & ideo, vel per ignorantiam, vel per calumniam malè argumentati sunt. Addo etiam esse valdè probabile putasse Pelagianos, dependentiam humanæ voluntatis in agendo à diuina etiam quoad concursum simultaneum esse contrariam libertati; & ideo etiam concursum generalem negasse, vt in dicto Prolegom. c. 2. & 3. latè dixi. Semipelag. verò quantum ex epistolis Hilarij, & Prosperi colligitur, ex alio capite putarunt Aug. doctrinam de Grat. esse contrariam libertati, quia ponebat vocationem altam, & secretam necessariam esse ad opera pietatis, eamque dicebat dari ex sola electione diuina gratuita, nesciebant enim hoc componere cum potestate operandi in eis, qui non ita vocantur, nec cum potestate non operandi in his qui vocantur. At verò eos in hoc errasse, & libertatem arbitrij optimè cum illis principijs consistere ostendit Aug. in libris contra illos, non quidem tribuens Deo physicam prædeterminationem, seu potiùs virtute ostendens illam non esse necessariam ad efficaciã gratiæ, cùm congruitas vocationis satis sit, vt ex locis allegatis in capite præcedenti constat.

Et per hæc responsum est ad testimonia ex libro de Gratia Christi. Aliud verò ex epistola ad Vitalem nihil facit ad causam. Nam Vitalis ille ad quem scripsit Augustinus præcipuè negauit præuenientem gratiam, nam ob eam rem negabat directè esse orandum pro infidelibus, vt crederent, sed tantùm esse illis veritatem proponendam, vt bene notauit Baron. tom. 5. ann. 419. numer. 54. Vnde ex verbis Augustini citatis magis videtur Vitalis fuisse Semipelagianus, quàm Pelagianus, negabat enim voluntatem credendi esse donum Dei, sed ex solo libero arbitrio, solùmque requiri, vt doctrina fidei hominis proponatur. Vnde Augustinus illum impugnat, quia vt velimus Deus facit in nobis, & modum, quo facit, declarat, dicens. *Sic ita præpararet atque operaretur Deus hominis voluntatem, vt tantummodo legem, atque doctrinam libero eius adhiberet arbitrio, nec vocatione illa alta, atque secreta sic eius ageret sensum, vt eidem legi, atque doctrinæ accommodaret assensum, non opus esset orare*, &c. Non erat ergo illa quæstio de auxilio prædeterminante, sed de tota gratia necessaria ad voluntatem credendi, & maximè de interna vocatione accommodata ad actualiter credendum, & ita ex illo testimonio potiùs nostra sententia confirmatur, vt in capite præcedenti visum est.

Respon. 2.

Augus.

Secundam obiectionem sumunt ex errore Semipelagianorum, dicunt enim errasse *in hoc, quòd* initium bonæ voluntatis ex nobis esse dicebant, & Deum iuuare voluntatem, quia ipsa incipit velle: & hoc in eis impugnat Augustinus libro de Prædestinat. Sanctor. cap. 2. & sequentibus, vbi soli Deo tribuendum esse dicit initium bonæ voluntatis. Ergo ex sententia Augustini necessarium est, vt in efficiendo ipsomet consensu priùs solus Deus verè, ac physicè influat efficiendo, & inchoando actum, vt ita verum sit, nos consentire, quia Deus facit nos consentire, & non è contrario. Nam si contrarium dicatur, incidit in Semipelagianum errorem, & consequenter Augustino contradicitur. Et confirmatur hæc obiectio ex illo modo loquendi, quo Augustinus in eodem loco vtitur contra Semipelagianos, dicens, *Detur totum Deo*, quia nimirum etiam ipsum initium consentiendi, ex Deo est, vtique prædeterminante voluntatem, vt in actum prodeat. Et sic etiam dixit libro 4. contra duas epistolas Pelagianorum capite 9. *Nunquid Christianus liberum arbitrium negat esse in hominibus, quia Deo totum tribuit, quòd rectè viuimus?*

Obiectio ex mente Semipelag. notata.

Idem.

Hæc verò obiectio sæpe in superioribus refutata est; Et in primis peccat sicut præcedens. Semipelagianorum errorem malè interpretando. Illi enim errarunt, dicentes, ante omnia gratiæ initium præcedere in nobis affectum aliquem liberum, seu bonum salutis desiderium, aut propositum fidei solis viribus liberi arbitrij conceptum, & hoc dicebant esse initium salutis. Et hic est error, contra quem scripsit librum de prædestinat. Sanctor. Augustinus, demonstrans initium fidei non esse ex nobis, sed ex gratia, vtique in eodem sensu de illo initio loquens, vt constat ex epistolis Prosperi, & Hilarij ad illum, & ex omnibus, quę circa canonẽ 5.

Explicatur sensus dictorum Augustini, quod detur totum Deo.

Con-

Concilij Arauſicani ſuprà vidimus. Ex quibus etiã conſtat hoc initiũ, de quo Auguſtinus contra Semipelagianos loquitur, nõ eſſe influxũ volũtatis cooperantis gratię vel gratiæ cooperantis cum libero arbitrio, vt inter ſe comparantur ſecundùm ordinẽ prioris, vel poſterioris natura: hæc enim ſpeculatio valde aliena eſt ab intentione Auguſtini, & impertinens ad illum errorem confutandum. Nam Maſſilienſes loquebantur de actu voluntatis facto à libero arbitrio, ſolo ſuis viribus, qui non ſolum natura, ſed etiam tempore poteſt præcedere omnia gratiæ auxilia, & eſſe meritum primi auxilij, & hoc ſenſu ſubiiciebant gratiam obedientiæ humanæ, & in eodem ſenſu dicuntur ab Auguſtino feciſſe gratiam pediſſequam arbitrij, quæ omnia non poſſunt ad cauſam de qua tractamus adaptari, vt in citatis etiam locis latè oſtenſum eſt.

Deinde dicimus quòd licèt loquamur de initio fidei, aut ſalutis in illo ſenſu, id eſt, de primo influxu voluntatis in ipſummet conſenſum ſemper ſubſiſtit, veraque eſt ſententia Auguſtini, ſcilicet, etiam hoc initium eſſe tribuendum Deo, & eſſe donum eius, non quia prædeterminet voluntatem ad illum, ſed quia præparat voluntatem ex ſola miſericordia, vt dicit in eodem libro de Prædeſtinat. Sanctor. cap. 6. & aliis locis, vbi declarat hanc præparationem facere Deum per gratiam congruam, vt vidimus, & quia voluntatem prę paratam adiuuat, vt dixit in Enchirid. c. 32. Hoc autem initium ſecundùm Auguſtinũ, ita eſt donum Dei, vt ſit eius ſolius, & nihilominus adiungenda eſt efficacia voluntatis, vt idem Auguſtinus dixit l. 2. de Peccator. merit. c. 5. & ideo non ſoli Deo, ſed etiam liberę voluntati actus liber tribuitur, vt dixit tract. 4. in epiſtolam Ioann. & q. 68. & 83. Neque hinc fit, hoc initium ita eſſe à voluntate, vt ab illa ſola ſit prius natura quàm à Deo, vel à gratia, quanquã enim aliqui Catholici ita interdũ loquantur, & nõ pertineat ad errorem Semipelagianorum, nõ eſt tamen, vt ſæpe diximus, quia inuoluit repugnantiam, cùm in vna indiuiſibili actione nõ poſſit eſſe cauſalitas. Nec ex parte voluntatum Dei, & hominis ordinem conſiderando, poteſt antecedere voluntas hominis, ſed potiùs voluntas Dei antecedit, quanuis non prædeterminando, ſed offerendo concurſum poſt excitantem gratiam, vt iam etiam explicauimus. In ipſo autem actuali influxu ad extra non eſt ordo prioris, aut poſterioris natura, ſed ſimultas, vt ex doctrina Auguſtini de gratia adiuuante, & cooperante in libro 3. probatum eſt. Ac denique etiam in hoc ſenſu non eſt vera illa cauſalis, quam Maſſilienſes in ſuo, & longè peiori admittebant, quia homo incipit, Deus perficit, vel quia homo operatur, Deus illum adiuuat, quia influxus hominis nullo modo eſt cauſa concurſus, vel adiutorij diuini, cùm non antecedat, ſicut dictum eſt, ſed eſt concauſa, ſine qua Deus non adiuuat, & ita ſolum dici poteſt, quòd Deus non adiuuat, niſi voluntas coadiuuet, nec voluntas influit, niſi Deus influat, & iuuet illam, quæ ſunt veriſſima.

Et hinc etiam patet ad confirmationẽ, quo ſenſu dictũ ſit ab Auguſt. *Detur totum Deo.* Hanc enim ſententiam idem Sanctus explicuit in eodem l. de Prędeſt. Sanctor. c. 3. & clariùs in Enchirid. c. 32. dicens, *Detur totũ Deo, qui hominis voluntatẽ bonam, & præparat adiuuandã, & adiuuat præparatam.* Modus ergo ille loquendi eſt contra Semipelagianos, qui initiũ bonæ volũtatis tribuebãt homini, perfectionẽ autẽ Deo; contra hos ergo ait Auguſt. *totum*, id eſt, vtrumq; & quidquid boni eſt in homine, dandũ eſt Deo principali auctori, non tamen eodem modo, (vt ibidem ſtatim explicat,) quia initium ſolus Deus operatur, præparando voluntatem per ſanctam inſpirationẽ conſenſum autem, ſeu bonam voluntatẽ operatur adiuuando illam, & principales partes habendo in illa, non tamen liberi arbitrij cooperationem excludendo. Et ideo aliis locis ſæpe dicit, rectè tribui voluntati, quod veniat vocata, licèt vocari ſit ſolius Dei ſerm. 15. de verb. Apoſtol. & de Spirit. & litera. cap. 34. & aliis locis ſuprà citatis. Et ideo in eodem lib. de Prædeſtinat. Sanctor. cap. 3. ait, *Vtrumque noſtrum eſt,* (id eſt, velle, & operari,) *propter arbitrij libertatem, & vtrumque Dei,* (non propter prędeterminationem,) *ſed propter Spiritum fidei, & charitatis.* *Auguſtin.*

8. Obiectio 3. ex eo quod ait Auguſtinus, hominem agi à Deo in operibus bonis.

Tertia obiectio ſumi ſolet ex eo, quod frequenter ait Auguſtinus, hominem agi à Deo in operibus bonis, vt lib. de Grat. Chriſti cap. 25. & alibi ſæpe: perinde autem eſſe videtur agi, quod determinari. Et poteſt augeri hęc obiectio ex libro de Actib. Cõcilij Palæſtini, quem in 6. Prolegom. retulimus, vbi cap. 2. dicit, *plus eſſe agi, quàm regi, nam qui regitur, aliquid agit, qui autem agitur, vix videtur agere.* Reſpondemus Auguſtinum in hac locutionẽ imitatum eſſe Paulum ad Roman. 8. dicentem, *Qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei,* quod à Paulo certè non eſt dictum propter prædeterminationem phyſicam, ſed propter Spir. S. inſtinctus, & inſpirationes, quibus gubernantur illi, quos ipſe inhabitat, & gubernat, vt cap.. declaui. Non igitur Auguſtinus in alio ſenſu loquutus eſt, neque alium peregrinum ſenſum à Paulo affingere voluit. Quod ipſe ſatis in Enchirid. declarauit, dicens cap. 64. *Quamuis filij Dei Spiritu Dei agantur, ſic tamen Spiritu Dei excitantur, & tanquam filij Dei proficiunt ad Deum, vt etiam Spiritu ſuo interdum deficiant.* Vbi pondero verbum *aguntur*, per verbum *excitantur*, ab Auguſtino exponi, & ideo non ita agi, vt prædeterminentur, cùm interdum Spiritu ſuo reſiſtant. Et ſic etiam dixit lib. de Gratia Chriſti c. 25. *Vt agant quod bonum eſt, ab illo aguntur, qui bonus eſt.* Et paulo antea. *Non quia nos non volumus, aut quia nos non agimus*, vtique propriè, & moraliter, *ſed quia ſine ipſius adiutorio, nec volumus aliquid boni, nec agimus.* Et de corrept. & Grat. cap. 2. hoc declarat per alia verba Pauli 2. Corinth. 13. *Oramus ad Deum, ne quid faciatis mali*, per quam orationem ait, *poſcebat Apoſtolus inſpirationem bonæ voluntatis, atque operis.* Et ſubdit inferiùs, *Intelligant filij Dei Spiritu Dei ſe agi*, inſpiratione nimirum bonæ voluntatis, & per ſuauitatem, *quam dedit Dominus, vt terra eorum daret fructum ſuum.* quæ omnia non certè phyſicam prædeterminationem, ſed morale, & diuinum regimen declarant. Ac denique ſerm. 13. de Verb. Apoſt. eandem ſententiam declarans, verbum *agendi* per verbum regendi exponit, & modum regiminis his tribus verbis explicat, *Non lege præcipiente, minante, promittente, ſed Spiritu exhortante, illuminante, adiuuante.* Quod ergo in alio loco dicit, *plus eſſe, quam regi*, quoad vocis energiam, & emphaſim, intelligendum eſt; nam in re ipſa Spiritus ſanctus non agit homines niſi regendo, & iuuando illos, per verbum autem *agendi*, ſignificatur hoc regimen eſſe potentiſsimum ad rectè dirigendum hominem, & vt illum reddat obſequentiſsimum, & hoc ſignificauit Auguſtinus illis aliis verbis, *Qui agitur, vix aliquid agere intelligitur*, nam dicendo *vix*, locutionem correxit, ne liberam actionem & determinationẽ voluntaria tollere videretur, & gratiæ abundantiam, & ſingularẽ protectionem, non phyſicã prædeterminationẽ ſignificauit. *Auguſtin.* *Rom. 8.* *2. Cor. 13.* *Idem. Auguſt.*

9. Obiectio 4. locorũ Auguſtini, in quibus gratiã requirit efficacem,

Quartò obiiciuntur vulgares loci Auguſtini, in quibus gratiam requirit efficacem, imò & efficaciſſimam de grat. & l. arb. c. 5. 8. & 16. de qua aliis locis dicit, per eam inclinare Deũ voluntatẽ hominis in nobis mirabili, & ineffabili modo operando noſtrũ velle, & agendo quod vult in cordibus hominũ vt dicit in l. de prædeſtinat. Sanct. c. 20. vbi etiã ait, *Deũ ad vitam æternã parare, & conuertere hominum voluntates*, imò & efficaciſſimam, & l. de don. perſeuer. cap. 6. ait. *Potens eſt, & à malo in bonum* *Idem Aug.*

bonum flectere voluntates, & ad malum pronas conuertere & dirigere in sibi placitum gressum. & de gratia & libero arbitrio capite vigesimo *Voluntatem*, ait, *per gratiam ex mala in bonam mutari.* Et addit, *Voluntates creatas ita esse in Dei potestate, vt eas quò voluerit faciat inclinari.*

10. Diluitur obiectio. Respondemus hæc, & similia valde generalia esse, omnes enim fatemur, hæc omnia esse in potestate Dei, cùm ab illo petamus, *Conuertere nos Deus salutaris noster*, & similia. De modo autem est controuersia. At de hoc numquam Augustinus dixit esse per *physicam prædeterminationem*, nec per generalem concursum debitum creaturis, sed per ineffabilem Dei prouidentiam, qua Deus illuminat, excitat, mouetque interius, & exterius hominum mentes. Quod ex eisdem locis manifestum est, tum quia his eisdem verbis *dirigendi*, & *gubernandi* vtitur, tum quia testimonia Scripturæ, quæ adducit, de hoc genere prouidentiæ loquuntur, tum ex locis suprà allatis, in quibus hanc conuersionem, seu mutationem per vocationem congruam fieri dicit. Et ideo quæst. 2. ad Simplician. eam vocat *effectricem bonæ voluntatis.* Vnde lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 9. exponendo verba orationis Dominicæ, iuxta sententiam Cypriani, ait illam orationē fieri non solùm pro volentibus, sed etiam pro repugnantibus, & oppugnantibus, *vt fiant ex nolentibus volentes, & ex repugnantibus consentientes*, & addit, *A quo, nisi ab illo, de quo scriptum est, præparatur voluntas a Domino?* Ecce modum, quo Augustinus putauit, illud fieri à Deo, præparari autem voluntatem non est prædeterminari, sed est congruè vocari, & vt verba ipsa præ se ferunt, & aliis locis ipse Augustinus explicat, vt capite precedenti ostensum est. A signo potest etiam hoc declarari, quia interdum idem Augustinus declarat hanc efficaciam per eam, quam habet Dæmon ad inclinandam voluntatem hominis per tentationes, & instigationes prauas, vt lib. de grat. & liber. arbitr. cap. 20. libr. 5. contra Iulian. Nam licèt declaratio non sit ab æquali, vel omnino simili, vt suprà etiam dixi, nihilominus, vt sit apta, oportet, vt in modo sit inter eas saltem generalis conuenientia quoad moralem inductionem. Quatenus ergo Deus voluntatem præmouet, inducendo illam efficaciter, moraliter eam mouet secundùm Augustinum, licèt vt cooperetur cum illa non solùm moraliter, sed etiam physicè consensum ejus efficiat.

Augusti.

11. Obiectio 5. Augustinū vbique tribuere hanc efficaciam omnipotentiæ Dei, cui nihil denegandum est. Quintò ponderant Augustinum vbique tribuere hanc efficaciam omnipotentiæ Dei, cui nihil negādum est. Sic dixit lib. de grat. Christi cap. 24. *Legant, & intelligant, intueantur, atque fateantur, non lege, atq; doctrina insonante foris secus, sed interna, atque occulta, mirabili, atq; ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras reuelationes, sed etiam bonas voluntates.* Et latissimè idem docet lib. 5. contra Iulian. c. 3. & de grat. & liber. arbitr. cap. 20. & de Corrept. & grat cap. 5. vbi ait, *sine correptione posse Deum, quem velit, ad pœnitentiam, & potentissimo suæ mediatinæ potestate conuertere.* Et epist. 107. dixit. *omnipotentissima facilitate.* Ac denique in Enchirid. cap. 95. dicit, efficacissimam esse voluntatem Dei, quæ nihil vult, quod non faciat, quia omnia quęcumque voluit, fecit. *Quod vtique*, ait, *non est verum si aliqua voluit, & non fecit, quoniam ne fieret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impediuit*, vt subdit cap 98. *Quis tam impiè desipiat, vt dicat*, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, vbi voluerit in bonum non *posse conuertere.* & similia repetit c. 102. & 103.

12. Respondetur. Respondemus, procul dubio esse opus omnipotentiæ Dei efficaciter conuertere voluntatem hominis quo voluerit: hanc verò omnipotentiam non minus, imò magis quodammodo ostendi faciendo hanc mutationem per vocationem congruam, cooperante liberè humana voluntate, & secum Deo determinante nondum prædeterminata, quam si fiat per physicam prædeterminationem, quia maioris virtutis, & sapientiæ est, ita mouere, & inducere voluntatem, vt liberè, & infallibiliter consentiat, seipsam determinando, quam ita illam mouere, vt ex necessitate consentiat, quod per prædeterminationem fit. Itaque hoc opus meritò tribuitur omnipotentiæ Dei, quia solus ipse potest mentem humanam intrinsecè mutare, vel intellectum mirabili modo instruendo, & illuminando, vel voluntatem bonis affectibus, & congruentibus imbuendo. Non est tamen opus solius omnipotentiæ, sed præeunte infinita sapientia, & præscientia Dei, qua solus nouit vnicuique congruentem adhibere medicinam, quia solus præscit, quod vnicuique creaturæ, vel facultati eius congruat, vel quomodo suadere debet vt persuadeat, vel mouere voluntatem, ita vt non resistat, vt in locis præcedenti capite allegatis ipsemet Augustinus declarat, præsertim dicta q. 2. ad Simplician. de don. perseuer. cap. 4. & de Corrept. & grat. cap. 12.

Aug.

Et hinc etiam est, vt ad eandem omnipotentiam pertineat non vno tantùm, sed innumeris, & infallibilibus modis posse efficaciter conuertere hominum voluntates, quia per infinitam sapientiam nouit omnes modos possibiles, quibus suauiter voluntas, & efficaciter in consensum trahi potest, & diuina omnipotentia omnes complectitur, & quem vult facillimè exequi potest. Ergo ex omnipotentia non certè colligitur physica prædeterminatio, imò nec colligitur quòd sit possibilis cum vsu libertatis, quia non extenditur ad repugnantiam, sed solùm colligitur, quòd sit possibilis, si Deus velit necessitare voluntatem, vt suprà dictum est. A signo etiam potest hæc responsio confirmari, quia interdum extendit Augustinus illum effectum omnipotentiæ & actus etiam malos, ad quos sine vlla dubitatione non prædeterminat Deus *voluntatē*, nec etiam directè inducit: magna autem vis omnipotentiæ illius est, quòd solùm permittendo malum, & inducendo ad obiecta de se bona, vel quæ sine peccato possunt amari, conuertit voluntatem hominis infallibiliter, quo vult, etiamsi præsciat talē voluntatem non esse id facturam sine aliqua culpa Quę efficacia ita est etiam diuinę omnipotentię, vt non sit sequenda à diuina sapientia, & præscientia ergo in hoc sensu loquitur de omnipotentia respectu actuum bonorum, vt sermonis consecutio sit vniformis, quamuis non sit necesse in omnibus seruari similitudinem, vt in lib. 3. latiùs declarauī.

Sextò solet nobis obiici, quia si Augustinus ita de auxilio efficaci sentiret, non diceret esse occultissimum mysterium, cur ex duobus vocatis vnus suadeatur, & non alius, cur Deus hunc trahat, & illum non trahat, quia facilè posset reddi ratio, quia iste vult, & ille non vult: at verò Augustinus non ita respondet, sed raptus in admirationem ad iudicia Dei occulta negotium remittit, nobisque ne curiosiùs illa inuestigare velimus, consulit, vt videre licet tract. 26. in Ioan. de spirit. & liter. cap. 34. lib. de prædestinat. Sanctor. cap. 6. & 8. & sæpe alibi. Ad hoc verò in superioribus responsum est, & nunc etiam dicimus, optimè nouisse Augustinum, quòd *in hac arca Ecclesia pro voluntate quisque vel palea, vel frumentum est*, vt ipse dixit in libr. de vera Relig. cap. 7. Neque ignorauit ex duobus vocatis, vnum credere, & alium non credere, quia ille vult, & iste non vult, & iste non vult credere. Sic enim dicto 6. de prędestinat. Sanctor. referens verba Matthiensium, *Multi audiunt verbum veritatis, sed alij credunt, alij contradicunt; volunt ergo isti credere, nolunt autem illi.* Respondet. *Quis hoc ignoret? quis hoc neget?* Et dicto l. de spirit. & liter. cap. 33. eandem tractans quæst. primò

13. Obiectio. Sexto

Augustinus

mò sic respondet. *Primò igitur illud dicamus, & videamus, vtrùm illi satis faciat quæstioni, quòd liberum arbitrium naturaliter attributum à creatore animæ rationali, illa media vis est, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest. Et ideo nec istam voluntatem, qua credit Deo, dici potest homo habere, quam non accepit, quandoquidem vocante Dei surgit de libero arbitrio,* vtique à Deo adiuto. Et ita in toto illo capite rationem illam prosequitur, quòd vnus sit reus, quia contemnit vocationem, alius iustificatur, quia illam amplectitur.

15. Addit verò statim in cap. 34. *Hæc disputatio, si quæstioni illi soluendæ sufficit, sufficiat.* Vbi illam non reprehendit, sed permittit iudicari sufficientem, quod dicere potuit, vel quia vlterior inuestigatio, & resolutio non pertinet ad fidem, sed ad illas subtiliores quæstiones de quibus dixit Cælestinus, *sicut non est necesse adstruere, ita nec licet contemnere*; vel certè, quia in aliquo ordine ratio illa sufficiens est, vtique in ordine executionis, vt nos explicamus, licèt secundùm ordinem prædestinationis quæstio maneat, cur huic Deus congruam præparauerit vocationem, & non illi. Cælestinus.

Aug. Ethæc est quæstio, quam Augustinus admiratione dissoluit, & ad iudicia Dei occulta reseruat. Et ideo dicto capite sexto de prædestinatione Sanctorum post illam responsionem, *Quis hoc neget, addit, sed cùm alijs præparetur, alijs non præparetur voluntas à Domino, videndum est vtique quid veniat de misericordia eius, quid de iudicio.* Iam verò in superioribus ex doctrina eiusdem Augustini ostendimus præparari voluntatem à Domino per inspirationes, & illuminationes, non per concursum, seu per physicam prædeterminationem. Et simili modo in libro secundo de peccator. merito & remiss. capite 5. dixit; *Cur istum illo, illum isto modo adiuuet, penes ipsum est, & æquitatis tam secretæ ratio, & excellentia potestatis.* Ac denique in capite 14. de dono perseuer. in mysterium diuinæ prædestinationis reuocat, quòd his congrua suis mentibus verba, vel signa, quibus moneantur ad fidem, offerantur, alijs verò non offerantur. Ergo propter hanc Augustini admirationem non est necessaria prædeterminatio: nihil ergo in doctrina Augustini inuenimus, aut nobis hactenus propositum est, ob quod illi possit talis sententia attribui, etiamsi defensores illius sententiæ quòd sit expresè Augustini, frequentissimè, & asseueranter affirment. Ideòque prudentem Lectorem admonemus, vt non verborum exeggerationes, sed vim testimoniorum attentissimè meditetur.

CAPVT XLVIII.

Quid post Augustinum Patres Latini de Gratia efficaci senserint.

1. Recensentur Patres Latini, qui de hac controuersia scripserunt.

PRopono quæstionem de solis Patribus Latinis, quia in Græcis, qui post Augustinum scripserunt, nihil in hac causa dictum inuenio, præter ea, quæ ex illis, qui prope tempora Augustini fuerunt in cap... adduxi. Solùm posset referri locus Damasceni lib. 2. de fide, cap. 29. & 30. & contra Manichæos, vbi prædefinitionem actuum liberorum negat, de quo satis in alijs locis dictum est. Alia verò, quæ in illo capite dicit, vt *nihil boni fieri à nobis posse sine auxilio Dei, liberum tamen nobis esse Deum vocantem sequi*, & similia, valde generalia sunt.

1. Prosper inter Latinos Augustino propinquissimus fuit Prosper, grætiæ Dei, & Augustinianæ doctrinæ acerrimus propugnator. Ille igitur in libro secundo de vocat. gent. capite nono aliàs 26. & 27. *Gratia*, (inquit,) *Dei in omnibus iustificationibus principaliter præeminet.* Modum autem declarat dicens, *suadendo exhortationibus*, & alijs externis motionibus, quos recenset, quibus adiungit internas, dicens, *Dando intellectum, inspirando consilium, eòque ipsum illuminando, ac fidei affectionibus imbuendo.* Et hic terminat motiones præuenientis gratiæ, & statim subiungit. *Sed etiam voluntas hominis subiungitur ei, atque coniungitur*, scilicet, subiungitur præuenienti gratiæ, coniungitur adiuuanti, seu cooperanti. Et abdit de voluntate. *Quæ ad hoc prædictis est excitata præsidij, vt diuino in se cooperetur operi.* Vbi ponderandum est inter excitantia auxilia, & consensum nullum ponere auxilium prædeterminans, sed ipsi voluntati cooperanti diuino operi tribuere, quòd se coniungat præuenienti gratiæ Dei, de qua paulo post dicit. *Quæ opitulatio per innumeros modos siue occultos, siue manifestos omnibus adhibetur, & quòd à multis refutatur, eorum est nequitiæ, quòd autem à multis susipitur, & gratiæ est diuinæ, & voluntatis humanæ.* In quibus verbis imitatur Prosper Augustinum, ideòque eisdem modis ponderanda sunt, quibus similia in Augustino consideràmus, quos hìc repetere necessarium non iudico. Prosperi Aquitanici discipulo pinquissimus.

3. Eiusdem Prosperi loco contra Collator. arguitur legendus.

Est etiam attentè legendus Prosper contra Collator. ferè per totum, præsertim cap. 5. 8. & 16. vbi per illuminationes, inspirationes, & bonos affectus declarat modum quo Deus præuenit, & trahit voluntatem, & in eis ponit initium salutis contra Semipelagianos, & post illas motiones immediatè illis subiungit liberam cooperationem voluntatis humanæ ad consensum cum adiuuante gratia. Et in capite 14. id latè prosequitur, vbi verba illa notari possunt, *Quis perspicere, aut enarrare possit, per quot affectus visitatio Dei animum ducat humanum, vt quæ fugiebat, sequatur, quæ oderat, diligat*, &c. Non ergo per *physicam prædeterminationem*, sed per internos affectus, illuminationes, ac motiones declarat Prosper mirabiles mutationes, quas per gratiam suam facit Deus in cordibus hominum. Et his modis adiungit statim, factas esse conuersiones Matthæi, Pauli, Zachæi, & boni Latronis, de quo ait, *In Latronis quoque iustificatione, etiamsi nulla operantis gratiæ intelligerentur indicia, nonne cum omnibus credentibus etiam ipsum acciperemus attractum?* vtique per illas illuminationes, & affectiones, quibus Deus animum humanum visitat, quas homine operantis gratiæ in his verbis intellexit. Et in eodem capite expendo quod in fine dicit, *Cum Deus sit qui operatur omnia in omnibus, siue alios sic, alios sic attrahere velit, ad eum nemo nisi aliquo modo attractus venit.* Certè si attractio est prædeterminatio, non *alios sic, alios sic*, sed omnes *sic*, nec quilibet aliquo modo, sed omnes vno modo attrahit; ergo modus ille alienus est à sensu Prosperi, modus autem tractionis per affectiones, in quibus ineffabilis varietas cernitur, est illi maximè consentaneus.

4. Adhucalius

Eandèmque doctrinam indicat in cap. 26. dicens *bonam voluntatem, qua adhæretur Deo, nec negandum est hominis esse propriam, & confitendum est Deo inspirante conceptam.* Quid, quæso aliud nos dicemus? Fortasse si aliquis nostrùm id dixisset, tanquàm Semipelagianus ab aduersarijs damnaretur. Denique in cap. 6. responsionum ad Gallos ita concluditur. *Prædeterminationem autem Dei, siue ad bonum, siue ad malum in hominibus operari ineptissimè dicitur, vt ad vtrumque homines quædam necessitas videatur impellere, cùm in bonis voluntas sit intelligenda de gratia, in malis autem voluntas sine gratia*; quia verba videntur adeò expressa, vt non videam quid amplius desiderari possit. Nam quod non *prædeterminationis*, sed *prædestinationis* nomen posuerit, nullum subterfugium præbet dictis auctoribus; cùm ipsi dicant, decretum ipsum, quo

Deus

Deus prædestinat, seu efficaciter prædefinit talem actum esse id, quo vel immediatè prædeterminatur voluntas, vel à quo prædeterminatio totam suam efficacitatem accipit, per quam in homine efficacissimè operatur. Neque etiam hîc possunt distinguere necessitatem compositam, vel diuisam: nam Prosper euidenter loquitur de necessitate prouenient ex prædestinatione, quæ est necessitas composita, vt ipsi fatentur, & tamen ait, ineptissimè poni talem necessitatem, per quam prædestinatio impellat ad bonum, vel malum, illud efficacissimè in homine operando.

5. Non ignoro hæc eadē ferè loca contra nos citari, quia in eis dicitur Deus *potenti, & occulta virtute hominum corda conuertere.* Nam cap. 26. contra Collator. de liberō arbitrio, ait Prosper, *non à seipso, sed à creatore mutatur.* & ibidem, *Agit hoc occulta, & potens gratia Dei,* & alijs locis dicit, *gratiam esse creatricem bonæ voluntatis,* eámque in nobis generare, vt in epist. ad Ruffin. & in carmin. de Ingratis, & alibi sæpe. Et specialiter ponderatur, quod libro 1. de vocat. gent. cap. vltimo, vbi quæstionem illam, cur ex duobus æquè reis, vnum Deus iustificet, & non alium, dicit esse impenetrabilem, *& per liberi arbitrij velle, & nolle non solus.* Verumtamen propria verba non sunt contraria præcedentibus, & in sensu à Prosperō intento verissima sunt. Dicitur enim homo non à seipso, sed à creatore mutari, quia mutatio non incipit ab homine, nec eius propria, & principali virtute perficitur, quamuis non fiat sine ipso. Vnde immediatè post illa verba, *sed à creatore mutatur,* addit Prosper, *Vt quidquid in eo in melius reficitur, nec sine illo sit, qui sanatur, nec nisi ab illo sit, qui medetur, cuius sumus noua creatura,* &c. Vnde eadem ratione vocat gratiam genitricem, & creatricem bonæ voluntatis, quia à Deo solo incipit, & sine vllo nostro merito, quamuis non fiat sine nostra determinatione libera quoad consensum, nec sine coefficientia physica quoad initium boni effectus, de quo initio loquebatur, cùm dixit, *fieri in nobis occulta, & potenti gratia Dei,* sic enim ait, *Nec propria virtute ad initia salutis emittur, sed agit hoc occulta & potens gratia Dei, quæ dimotis terrenarum opinionum, & operum mortuorum fauillis torrem obruti cordis exagitat, & desiderio veritatis inflammat, non vt inuitum hominem subigat, sed vt subiectionis cupidum faciat, nec vt ignorantem trahat, sed vt intelligentem sequentemque præcedat.* Hæc est ergo potens, & occulta gratia Dei, per quam Deus in nobis inchoat salutem, quamuis illam sine libera determinatione non perficiat. Vltima denique sententia de quæstione illa profunda, & impenetrabili, eodem sensu à Prospero traditur, quod ab Augustino doceri, suprà diximus. Et ipsemet Prosper exposuit, dicens, *Quia licèt insit homini bonum velle, vel nelle, tamen nisi donatum non habet bonum velle.* Dicitur autem *donatum* ratione vocationis congruæ, in qua, vt diximus, tota admiratio posita est.

6. Post Prosperum scripserunt eodem tempore in gratiæ defensionem, & iuxta doctrinam Augustini Fulgent. & Petrus Diaconus, in libro de Incarnat. & Grat. Et præterea Fulgent. lib. 1. ad Monimum à cap. 14. & epist. 2. per plures sequentes, sed sicut in illis nullum vestigium prædeterminationis physicę inuenitur, ita neque aliquid habent, quod specialiter in nostrum fauorem afferri possit, præter argumentum negatiuum, quo sæpe vsi sumus. Quia cùm doctrinam D. Augustini latè declarent, & defendant, nullam mentionem faciunt auxilij physicè prędeterminātis, nec per verba expressa, nec per æquiualentia, sed per auxilia præuenientia excitando, & per concomitantia adiuuando, totum negotium gratiæ, & necessitatis eius declarant. Ergo dignum est non inuenisse apud Augustinum tale auxilium, nec illum necessarium esse existimasse. Exēplum adhiberi potest in verbis Fulgentij epist. 6. ad Theodor. cap. 6. qui locus solet nobis obiici, quia in eo docet superbos esse, qui aliquid boni sibi tribuunt. Vnde sic concludit. *Vt ergo quedam in deteriora non recidant, gratia eius gubernat, vt quedam ad meliora conscendāt, gratia eius eleuat, & vt in æternum permaneant, ipsa gratia viuificat & conseruat.* Talia sunt testimonia, quæ nobis obiiciuntur, nos autem clamamus hanc esse doctrinam, quam de gratia profitemur. Nam ibidem attingendo modum, *quomodo hæc bona non dat natura, sed gratia* ait Fulgentius, *Sed ex benignitate diuinæ illuminationis acquiritur.* Sic ergo non propter prædeterminationem, sed propter illuminationem, & inspirationem diuinam hæc omnia operatur in nobis Deus, & facit, vt eadem cum illo cooperemur & qui hoc modo recognoscit hæc omnia esse dona Dei, licèt simul fateatur necessariam esse liberam hominis determinationem, non est superbus, sed cautus & fidelis.

Tertiò possumus simili modo vti Gregorij auctoritate, non quia de prædeterminante auxilio quicquam expressè docuerit, sed quia nulla illius mentione habita per auxilia excitantia declarat totum negotium prævenientis gratiæ, etiam efficacis, voluntatem hominis ad se trahentis & conuertentis. sic lib. 18. moral. cap. 22. aliàs 24. tractans verba illa, *Gratia Dei sum id quod sum,* addit, *Ex cuius aspiratione gratiæ, quia virtutum opera prouinus in corde generantur, vt ex libero quoque arbitrio subsequatur actio, cui post hanc tam retributio æterna respondeat, illico adiecit, & gratia eius me vacua non fuit.* Vbi solùm ponderamus tantum aspirationi gratiæ initium tribuere virtutum omnium, & per ipsam interiùs dicere, *facere Deum in homine meritum quod remunerat.* Et optimè eandem doctrinam de prævenient, & subsequente gratia tractans libro 33. capite 20. inter alia dicit. *Liberum arbitrium in bono formatur electis, cùm eorum mens æternis desiderijs gratia aspirante suspenditur.* Et iterum Pauli locum tractans libro 16. capite 11. habet illam sententiam Gregorio dignam. *Si superna gratia nocentem non præuenit, nunquam profectò inuenit, quem remuneret innocentem.* Quam declarans subiungit, *Superna igitur pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, vt subsequente quoque nostro libero arbitrio, bonum quod appetimus agat nobiscum.* Vbi apertè declarat illud, quòd Deus priùs agit in nobis sine nobis, esse aliquem effectum excitantis gratiæ, quo iam aliquid boni appetimus, quod subsequente gratia liberè facimus, nulla vtique alia prædeterminatione interueniente. Et in confirmationem huius doctrinæ exponit verba Pauli dicentis, *Non ego,* quia non ex se, sed ex gratia operante, *Et tamen,* (inquit,) *quia se esse aliquid, cum gratia inuenit, adiungit: sed gratia Dei mecum.* Non ergo in se gloriantur, qui se aliquid, nimirum ipsam liberam determinationem cum gratia Dei facere profitentur. Imò addit, *non enim diceret, mecum, si cum præueniente gratia subsequens liberum arbitrium non haberet,* quod certè non haberet si gratia illa præueniens, etiam prædeterminans esset. Eandemque doctrinam repetit libro 24. capite 7. aliàs 12. vbi est etiam notanda illa sententia, *Quia præuenientem diuina gratia in operatione bona nostrum arbitrium sequitur, nosmetipsos liberare dicimur, qui liberanti nos Domino consentimus.* Non est ergo alienum à sententia Gregorij dicere, hominem vocatione præuentum determinare se cum diuina gratia, nam hoc modo à malo se liberat.

Quartò maiori fiducia nostram sententiam tribuimus Anselmo, qui clarius quàm cæteri principium illud, huiusque materiæ fundamentum quòd necessitas etiamsi sit ex suppositione extrinseca, si sit omnino antecedens vsum libertatis,

tatis, illi est contraria, eumque destruit, declarauit in lib. de Concordia. Ex quo principio subintuli in secunda parte huius operis, *etiam aliqua præscita, & prædestinata non euenire ea necessitate, qua præcedit rem, & facit, sed ea, quæ rem sequitur*, & rationem subiungit, dicens: *Non enim Deus quamuis eam prædestinet, facit voluntatem cogendo, aut voluntati resistendo, sed in sua illa potestate dimittendo.* In quibus verbis necesse est eum loqui de gratia efficaci præueniente, quia per eam facit Deus ea quæ prædestinat. Illa ergo *gratia* ex Anselmi sententia talis est, vt voluntatem in sua potestate dimittat; quomodo autem dimitteret illam in sua potestate, quæ de se indifferens est, si illam ad vnum, & ad exercitium determinaret? Vnde ideo dicit prædestinationem relinquere voluntatem in sua potestate, quia aliàs inferret necessitatem antecedentem, quam dixerat contrariam esse libertati, & prædeterminatio physica infert necessitatem antecedentem, vt & probatum est, & aduersarij non negant, Anselmi sententiam contra eius verba inrerpretando, vt in secundo Prolegom. ostendi. Et ne quis putet hoc esse contra Dei gratiam, vnico verbo soluens obiectiones, quæ contra nos fieri solent, adiungit. *Quamuis autem sua voluntas vtitur potestate, nihil tamen facit in bonis, quod Deus non facit in bonis sua gratia, in malis non sua, sed eiusdem voluntatis culpa.* Et in p. 3. exponens modum quo Deus inducit voluntatem, inter alia dicit. *Adiuuat gratia liberum arbitrium, mitigando, aut penitus remouendo vim tentationis impugnantis, aut augendo affectum eiusdem rectitudinis. Denique cùm omnia subiaceant dispositioni Dei, quidquid contingit homini, quod adiuuat liberum arbitrium ad accipiendum, vel seruandum hanc rectitudinem, sua gratiæ imputandum est.* Et postea dicit corda humana ex se proferre inutiles cogitationes, & noxias, *illas verò, sine quibus ad salutem animæ non profumus, nequaquam sine generis sui semine, & laboriosa cultura concipiunt, & germinant.* Quod quidem cùm ex Dei prouidentia fit modo apto, & commodo suscipienti, tunc gratia est congrua, & effectum consequitur: hunc ergo modum, & non alium efficacis gratiæ Anselmus indicauit.

9. Eiusdem Anselmi locus super Matth.

Huic concordat alius eiusdem Anselmi egregius locus super 6. cap. Matth. circa verba orationis Dominicæ, *Fiat voluntas tua.* vbi duas in Deo distinguit voluntates. *Vna est*, (inquit,) *misericordiæ, qua non est cogens, neque aliquid libero arbitrio aufert, qua omnes homines vult saluos fieri, quod tamen in libera voluntate illorum positum est.* Et hanc distinguit à voluntate, quam dicit esse de effectibus rerum, & illam infra vocat voluntatem iustitiæ, & priori voluntati dicit posse resistere, non posteriori. In citatis autem verbis solùm pondero, ideo dicere Anselmum voluntatem misericordiæ non cogere voluntatem quia relinquit in libera hominis potestate id, quod vult, sentiens quidquid tollit indifferentiam voluntati, cogere illam. Verbum autem *agendi* ibi non sumitur in eo rigore, quo dicitur coactum id, quod est omnino contra elicitam volitionem, sed eo modo, quo repugnat naturali modo agendi voluntatis, qui est, habere suum velle in sua indifferente potestate. Dicet fortè aliquis illam voluntatem misericordiæ esse tantùm antecedentem, nam ponit exemplum in voluntate, qua Deus vult omnes homines saluos fieri. Sed vt verum sit voluntatem misericordiæ sæpe esse antecedentem & illam includere Anselmum, non tamen potest ad illam solam Anselmi sententia limitari; tum quia aliàs valde diminuta esset distinctio, & tota doctrina nec satis explicaret, quomodo voluntas absoluta circa electos non cogeret illorum voluntates. Tum maximè, quia statim sibi obiicit hoc modo. *In Paulo tamen videtur cogens voluntas Dei, sed non est, quia licèt sit percussus, tamen voluntas erat libera, vt resisteret, si vellet.*

Obiectio.

Solutio.

Supponimus autem voluntatem Dei de conuersione Pauli, & fuisse voluntatem misericordiæ, & non fuisse tantùm antecedentem, seu conditionatam, sed beneplaciti, seu consequentem, & absolutam, & tamen illi, vtique vt operanti ad extra affirmat Anselmus potuisse Paulum resistere; ergo planè dicit talem voluntatem Dei non prædeterminare physicè voluntatem humanam, esto illam ita moueat, vt in effectu nunquam resistat.

Suppositio pro voluntate Dei de Pauli conuersione.

10. Obiici verò solet ex eodem Anselmo, quod in eodem libro de Concord. p. tertia non longè à principio dicit. *Totum imputandum est gratiæ, quia neque volentis est, quod vult, neque currentis est, quod currit, sed totum est Dei.* Omnibus enim, excepto Deo solo, dicitur. Quid habes, quod non accepisti? Et infrà dicit per illa verba, *Non est Volentis*, &c. non negare Paulum *in voluntate, vel currente aliquid prodesse liberum arbitrium, sed significare non esse imputandum libero arbitrio, quod vult, vel quod currit.* Respondetur

Alia obiectio.

Respondetur

Respondemus in his omnibus loqui Anselmum in more Augustiniano, & in eodem sensu dicere totum esse gratiæ, non quia excludat propriam determinationem liberi arbitrij, sed quia gratia est, quæ inchoat bonum opus, ad illud perficiendum adiuuat. Itaque verba Anselmi abundè hoc declarant, si integrè referantur; sic enim ait. *Quamuis non omnibus det, quia cuius vult miseretur, & quem vult indurat: nulli tamen datur pro aliquo præcedenti merito, quoniam quis prior dedit illi, & retribuetur ei. Si autem voluntas per liberum arbitrium seruando, quod accepit, meretur augmentum iustitiæ, aut præmium aliquod, hæc omnia fructus sunt primæ gratiæ, & gratia.* Et tunc addit: *& ideo totum imputandum est gratiæ*, vbi apertè loquitur non solùm de prima conuersione, sed etiam de fructibus iustitiæ, & ad omnia applicat verba Pauli; *Non est volentis*, &c. & solùm dicit non imputari homini, *quia sunt gratia pro gratia*, id est, quia & per gratiam adiuuantem fiunt, & ducunt primam originem à gratia; sic ergo totum imputatur gratiæ, & in eodem sensu infrà dicit, *non imputari libero arbitrio*, vtique tanquam merenti principium, & radicem talis boni. Alioqui paulo superiùs idem Anselmus loquens de rectitudine, seu sanctitate voluntatis dixerat. *Sicut illam nullus accipit, nisi gratia præueniente, ita nullus eam seruat, nisi eadem gratia subsequente. Nempe quamuis illa seruetur per liberum arbitrium, non tamen est tantum imputandum libero arbitrio, quantum gratiæ, cùm hæc rectitudo seruatur.* Non ergo absolutè negare intendit, imputandum esse libero arbitrio, *sed non tantum quantum gratiæ*, &c. Et rationem addit. *Quoniam illa liberum arbitrium, non nisi per gratiam præuenientem, & subsequentem habet, & conseruat.* Vnde cùm hanc reddit tanquam adæquatam rationem, virtute excludit gratiam prædeterminantem, quæ longè diuersa est à præueniente, vt ex alijs verbis Anselmi satis ostensum est, & pluribus aliis verbis idem Anselmus repetit, explicando *cooperationem liberi arbitrij cum gratia.* Eandemque doctrinam habet ad Ephes. secundo vbi ratione gratuitæ vocationis dicit omnia bona speciali modo gratiæ attribui. Et ita explicat verba Pauli, *Creati in operibus bonis*, & alia quæ omitto ne sim prolixior.

11. Quintò docet non minus apertè eandem sententiam Bernard. in libro de Grat. & liber. arbitr. vbi non longè à principio necessitatem antecedentem dicit destruere libertatem, si non illam relinquat indifferentiam, vt posset, vel ad malum conuerti, consentiens appetitui, aut malo spiritui suggerenti, vel ad bonum gratiam sequens. Et infrà de bono Angelo dicit, liberè permansisse

5. Bernardus.

propria voluntate, non aliqua extrinseca necessitate; vnde ita concludit, *Manet ergo libertas voluntatis, vbi etiam sit captiuitas mentis, tam in bonis, quam in malis, sed in bonis ordinatior. Tam integra quoque pro suo modo in creatura, quam in creatore, sed in creatore potentior.* quæ verba sunt valde notanda, quia in prioribus. vt clarum supponit Bernardus, *voluntatem* in malis supponi omnino indifferentem, & seipsam determinare; & affirmat eandem habere in bonis libertatem, licèt per gratiam meliùs ordinetur. In posterioribus verò apertè sentit, non magis prædeterminari ab alio voluntatem creatam quoad liberum actum, quàm increatam, aliàs non video quomodo vera sit æquiparatio quam in libertatis integritate facit Bernardus. Vnde tacitè & vno verbo occurrit obiectioni, quòd voluntas creata esset primum liberum, negat enim sequelam, dum addit; *sed in creatore potentior.* Nam de ratione primi liberi, est, non quod vt possit determinari, ab alio non prædeterminatus; quod etiam habere debet secundum liberum, vel non erit liberum, sed ad rationem primi liberi vlterius necesse est, vt per se possit determinari sine dependentia ab alio, quod non habet secundum liberum. Item est de ratione primi liberi, quòd ita sit liberum, vt ab alio non possit necessitari, nec impediri, quominus determinetur, quo velit: at secundum liberum licèt habeat connaturalem indifferentem potestatem, à superiori libero potest necessitari, tam vt velit, quàm vt nolit, vel non velit, quia pendet ab illo; & ideo licèt voluntas creata imitetur diuinam in integritate libertatis, diuina habet semper potentiorem libertatem, (vt sic dicam,) & ideo in sola illa est libertas per se, & quasi in primo fonte, quod est esse primum liberum.

12. Alius locus Bernardi.

Est etiam insignis locus eiusdem Bernardi, distinguens enim illa tria, *cogitare, velle, & perficere*, quæ Deus *operatur in nobis*, adjungit. *Primum profectò sine bonis, secundum nobiscum, tertium per nos facit.* Vnde iterum concludit. *A Deo ergo sine dubio sit nostræ salutis exordium, nec per nos vtique, nec nobiscum*, quia, (vt inquit,) in sancta cogitatione consistit, sub qua etiam motum præuium voluntatis, qui ex tali cogitatione sine libertate nascitur, comprehendit. Neque aliam præmotionem gratiæ, quæ à Deo sine nobis in nobis fiat, agnoscit. Nam iterum infrà dicit, *Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, vt tantum illud in primo præueniat, in cæteris comitetur.* Vbi particula exclusiua *tantum*, attentè consideranda est. Neque etiam inter illam præuiam cogitationem, & consensum aliquam solius Dei prę operantem gratiam interponit, neque in ipso consensu aliquid à Deo putat fieri sine nobis, sed absolutè dicit, *Verum consensus, & opus etsi non ex nobis, non iam tamen sine nobis.* Ita, (sicut infrà subdit,) *quod à sola gratia cœptum est, pariter ab vtroque perficitur.* Et infrà, *Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere indiuiduo peragunt*, Multaque alia in hanc sententiam docet, quæ in eo videri possunt, & in superioribus sæpe sunt inculcata.

13.

Quia verò in fine ita concludit, *Deus igitur auctor est meriti, qui & voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntate.* eo ipso verbum *applicat* per verbum *prædeterminat* physicè explicandum censetur, nobisque obijcitur, cùm tamen euidenter cum toto contextu constet, ipsum loqui de modo applicationis, quo voluntas per cognitionem mouetur, & applicatur. Quod etiam in libro de interior. domo cap. 68. idem Bernardus declarauit, vsurpans sententiam illam libri de Eccleiast. dogmarib. *In nobis manet arbitrij libertas ad quærendam salutem, sed admonente prius Deo, & inuitante ad salutem vel vt diligamus, vel sequamur, potestatis nostræ est diuinæ inspirationi acquiescere, & quæ ad salutem nostram pertinent, eligere, & sequi.* Alia item ex eodem Bernardo in eodem libro de grat. & liber. arbitr. contra nos expendit Cumel. sed generalia sunt, scilicet, gratiam præuenire hominem, & non tollere libertatem, & similia, quæ omnes dicimus, sed modum inquirimus, & hunc ostendimus explicasse Bernardum iuxta doctrinam, quam sequimur.

Ephes.

Sextò fauet multum Richardus de Sancto Victor. tract. 1. de stat. interi. homin. cap. 13. vbi rationem *libertatis* ita declarat. *Libertatis est, quod consensus eius extorqueri, vel cohiberi nō potest. Potest enim consentire, vel non consentire aspirationi diuinæ, similiter, & suggestioni diabolicæ. Vtrumque quidem ex libertate, neutrum autem oportet ex necessitate.* In quibus verbis expendat in primis Lector, an *prædeterminato physica* extorqueat consensum, nam profectò id negari non potest; ergo iuxta prædicta verba libertatem euacuat, eique repugnat. Deinde aduertat comparationem inter inspirationem Dei, & suggestionem dæmonis. Item tacita illatio notanda est, nam ex eo quòd diuina inspiratio non extorquet consensum, tacitè infert Richardus, Deum non extorquere illum, aliàs nec probatio esset efficax, nec exemplum accommodatum; vnde fit, vt non aliam præuenientem Dei motionem agnoscat, præter inspirationem moraliter inducentem, sicut facit suggestio dæmonis, licèt altiori modo, & potentiori faciat Deus, vt in superioribus vidimus. Denique expendo, quòd libertati opponit necessitatem etiam compositam, quæ ex antecedente necessitate possit præuenire. Quæ omnia prædeterminationi physicæ planè contraria sunt. Præterea libro 3. de contemplat. capite 24. *Absque dubio*, (inquit,) *quidquid boni in bonorum cordibus agitur, septiformis ille spiritus per inspirationem gratiam operatur.* Et infrà, *saluo humanæ voluntatis arbitrio, & omnino absque vlla vocatione quælibet bona voluntas per inspirationem gratiam in diuinæ voluntatis complacitum instatur, & ideo homini ad retributionem gloriæ cumulatur, quidquid ex liberamenti consensu in ipsa diuinitus agitur.* Vbi & omnem coactionē excludit, id est, necessitatem ex trinsecus prouenientem, iuxta communem morem loquendi Patrum, vt explicaui sæpe, & per diuinam inspirationem fieri arbitrij promotionem, & mirabilem inductionem, apertissimè sentit. Nec possunt alij auctores *inspirationem* prædeterminationem interpretari, quia nec proprietas sermonis id permittit, vt iam sæpe dixi, aliàs & ipsi cogentur dicere, etiam actus malos fieri inspiratione diuina, cum prædeterminatione fieri dicant: illud autem absurdissimum esse ipsi etiam non diffitebuntur.

Septimò his adiungo Laurentium Iustinian. de quo quidam asseruit multa docere, in lib. de Grad. perfect. cap. 5. quæ nobis repugnant. Citat autem in primis verba quæ expendo, illud Roman. 5. *Charitas Dei diffusa est*, &c. adjungit, *Non inquit exturbetur violenter, nec sollicitudine hominis reperitur, sed diffunditur ex alto in cordibus electorum, quoties, & quando eidem spiritui placet, qui (Domino perhibente) vbi vult spirat, auditur que vox eius, ignoratur tamen vnde veniat, aut quo vadat. Porrò Spiritus iste sanctus quem ad modum est potens in opere, in sermone efficax, in dilectione feruidus: ita est in consolando promptus, in exhortando intentus, & in se communicando munificus.*

Sed quidquid in his verbis nobis repugnet, non video, multa autem, quæ non parum faueant, considero: nam primum illud, quod *diuinus amor non extorquetur violenter*, satis repugnat physicæ prædeterminationi ab extrinseco prouenienti, & nonnihil inquienti in voluntate indifferentiam, vt se omnino liberè ad amandum determinet. In proximè autem sequentibus verbis, *nec sollicitudine hominis reperitur*, sermo est de solicitudine, quæ sola propriatur, sermo est de solicitudine, quæ sola propriatur industria, & libertate fiat, procedatque sancti Spiritus assis-

tòque minus negatur solicitudo cooperãdi diuinę
Ephes. 4. gratiæ in vsu charitatis, cùm Paulus dicat, *soliciti seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis.* Et ideo fortasse non dixit Sanctus, *nec solicitudine habetur*, aut exercitu, *sed reperitur*, quia loquitur de tota infusione eius, vt ab inspiratione diuina incipit, sic enim non reperitur solicitudine, sed incipit inspiratione diuina, quam, (præsertim congruam,) Spiritus sanctus præbet, prout vult. Loquendo verò de ipsa iustitia, vel libera conuersione, ait idem Sanctus cap. 6. *Hæc est thesaurus intus absconditus, hæc est pretiosa margarita cum solitudine, & sudore reperta.* In reliquis autem citatis verbis docet Laurentius diuinam inspirationem consistere, vel in auditu interiori, vbi vox Spiritus sancti percipitur: & ratione illius dicitur Spiritus sanctus *efficax in sermone*, quia loquitur ad cor, & modo illi congruo, quando vult, & ita est efficax etiam in operando, consolando, exhortando, & cætera quæ ibi dicuntur, in quibus nullum vestigium physicæ prædeterminationis reperio. Et vlteriùs pondero, quod paulo inferiùs ait, *Homo autem virtutis amator, & gratiæ cooperator ratione trahitur, charitate informatur, boni & honesti delectione allicitur, bellum quoque sibi ipsi inducit, in quo non licet terga vertere, nec in propria virtute confidere.*

17. Ex cap. verò 6. allegantur hæc verba *Omnes quoque prauenit donis, excitat clamoribus, & præoccupat promissis.* At quis hoc neget? Certè hæc verba potiùs confirmant quod docemus, præuenientem gratiam in diuinis excitationibus, & internis clamoribus positam esse. Maximè verò spectanda sunt omnia antecedentia, in quibus idem Sanctus docet hanc gratiam sufficientem, & omnibus offerri, & homini imputari, quòd vel illam non recipiat, vel quòd illi pulsanti non pareat, & similia quæ cum physica prædeterminatione non posse subsistere à nobis ostensum est. Addit verò inferiùs hæc verba, quæ doctrinam nostram valdè confirmant, cum Spiritu sancto enim per admirationem loquens, ait, *Vt errantium mortalium attraheres corda, quotidie per aspirantem gratiam, & veritatis lumen, atque internam vocem, & cotidiè facis vt conuertantur ad cor*, & iterum, *Interioris hominis pulsas ad ianuam*, &c. *vt tibi pulsanti per obedientiæ virtutem spiritualis habitaculi sui patefaciat aditum.* Ad eundem modum explicat gratiæ efficacitatẽ idem Pater serm. de Epiphan. vbi inter alia dicit, *Est autem gratia gratum faciens quasi mutatiua stella præfulgida, quæ electum quemque præcedens corde ducit ad Christum.* Ac denique cum frequentissimè in suis operibus de gratia loquatur, semper modũ operandi eius iuxta doctrinam, quam sequimur, declarat.

18. Octauò inter hos Sanctos Patres recensemus
Abulensis. Abulensem, qui ob insignem eruditionẽ, & sanctitatem id sibi promeruit. Ille igitur punctum hoc attigit in cap. 19. Matth. q. 174. quem locum contra nos quidam obiicit, dicens sibi Abulensem docere, Deum præmouere, & inclinare liberum arbitrium saltem eius libertate. Verumtamen Abulensis verba inspiciamus. Primò igitur sic ait. *Homo secundum naturam habet libertatem arbitrij, nisi ad eum pertineret determinatio sui operis, vt ex proprio iudicio eligeret hoc.* Sæpiùsque in discursu illius quæstionis repetit rationem libertatis in hoc consistere, quòd possit voluntas se ad vtramque partem, seu ad volendum, vel ad non volendum determinare, nullamq; in tota illa quæst. specialem prædeterminationem gratiæ tribuit, neque in generali concursu præuiam motionem in causa agnoscit, solùm enim in solut. ad 2. dicit, *Sine Deo gratis donante, nihil possumus facere; cùm ipse sit causa vniuersalis, & principiũ omnis boni, nõ solũ in hominibus, sed etiã in omnibus creaturis.* Idemq; repetit in solut. ad 3. dicens. *Deum agere interius in ipsa voluntate, sicut in aliis rebus.* Agit enim de concursu ad volendum, qui est in voluntate, quia in illa recipitur actus volendi.

At verò in q. 175. ad 1. fusè explicat in quo liberum arbitrium se moueat, & determinet, & in quo moueatur ab alio, & in summa dicit proposito sufficienter obiecto per suam libertatem flectere in hanc partem, vel aliam. *Et non est quærenda*, (inquit,) *alia causa, neque dependet quantum hoc liberum arbitrium ab aliquo, sed per naturam suam hoc potest*, vbi non excludit dependentiam à concursu generali Dei, quam iam docuerat; excludit ergo solùm causam prædeterminantem, seu quæ flectat arbitrium ad hanc partem potius quàm ad illam, nisi cooperando cum illo. Quia verò ad hanc determinationem necesse est, vt præcedat cogitatio, quæ non potest semper esse ex motione ipsius voluntatis, concludit necessarium esse, deuenire ad motorem extrinsecum, qui præmoueat voluntatem ad deliberandum. Et quoad hoc ait, ità voluntatem esse dominam sui actus, vt indigeat moueri à Deo, vtique præuia motione, quæ per *cogitationes fit, & alios motus similes his, quos Deus in mente nostra facit*, qui certè motus non sunt, nisi motus gratiæ excitantis. Deinceps verò latè explicat, quomodo per hunc modum Deus faciat voluntatem eligere, vel non eligere aliquid, non ex parte ipsius voluntatis, prædeterminandò illam, sed ex parte obiecti immutando intellectum, & inter alia dicit. *Propositis duabus partibus contradictionis Deus facit, quod vna earum eligatur, non quidem determinando liberum arbitrium ad hoc, & distrahendo ab illo, quia hoc, esset contra conditionem libertatis, & nihil relinqueretur libero arbitrio, per quod esset liberum.* Sed ex parte intellectus, vt latè prosequitur, semperque in hoc insistit, quòd Deus non determinat voluntatem directè, id est, ex parte intellectus. Quæ quidem doctrina directè repugnat cum physica prædeterminatione, quamuis multa alia, quæ ibi Abulensis attingit, maiori explicatione indigerent, & tamen omitto, quia nihil ad præsentem causam referunt.

19. Explicatur in quo liberum arbitrium se moueat, determinet & moueatur ab alio.

Præterea est locus notandus in Abulense Matth. 25. q. 62. vbi tractans illa verba parabolæ de decem virginibus, *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ*, eaque accommodans ad conuersionem, sic ait: *Verum est, quòd præcedente clamore, id est, pulsatione Dei, omnes excitantur, quia quando Christus efficaciter vult pulsare, nemo est, qui non excitetur. Verum est enim, quòd multi vocantur, qui non obediunt, quia pulsatio illa non est efficax, saltem respectu illorum, nam si Deus vult fortiter pulsare, necesse est, quòd exaudiat homo, quia cor hominis in manu Dei est, & quocunque voluerit, vertet illud*, Prouerb. 21 *In pulsationibus autem minoribus quidam obediunt, & quidam non. Vnde ab æquali pulsatione quidam mouetur, & alius non, scilicet, quia non sunt æqualiter dispositi, & talis modus est quantum ad augmentationem charitatis per actus nostros; quod autem velit Deus quosdam pulsare efficaciter, & alios non, ab eius libertate prouenit, quia vult quibusdam potius benefacere, quàm aliis, cum nulli teneatur*, ad Roman. 9. *quòd cui vult miseretur.* Vbi duo expendo. 1. quòd ponit efficaciam in gratia excitante, 2. quòd non ponit illam in efficacia physica, quam excitatio ad determinandam voluntatem ex se habeat, sed in congruentia ad personam cui datur, nam ideo dicit, eandem excitationem in vno esse posse efficacem, & non in alio.

20. Locus notãdus in Abulense.

His addere possumus Thomam VValdensem libro 1. doctrinal. fidei antiquæ capite 25. & sequentibus, præsertim in 25. Nam & tempore æqualis est Abulensi, & eruditione ac auctoritate, præsertim in confutandis hæreticis non inferior. Non oportet autem verba eius referre, aut ponderare, quia & rem ex professo disputat, & acriter inuehitur in quosdam Magistros, qui periculosè, vt ipse ait, necessitatem antecedentem ex efficacia diuinæ voluntatis prouenientem in actibus voluntatis humanæ, iam tunc introducere conabantur, & per

21. Thomas VValdensis

hoc, vt ipse iudicat, concordiam libertatis humanæ, cum operatione diuinæ gratiæ, & voluntate impossibilem reddebant. Et ideo quanuis in libris de auxilijs, huius viri testimonio vsus fuerit, nihil contrà ab aduersarijs dictum, vel obiectum est.

CAPVT XLIX.

Quid D. Thomas de hac controuersia, seu de auxilio gratiæ efficacis senserit.

1. Sedes capitis de auxilio gratiæ efficacis.

PRæcipuum auctoritatis nomen quo defensores physicæ prædeterminationis nos premunt, & sub cuius vmbra defendi student, est nomen, & auctoritas D. Thomę, & ideo nihil ferè in hac materia docent, nec conclusionem ponunt, quam non dicãt esse ex mente D. Thomæ, vel frequentius esse expressam. D. Thomæ, ita vt licèt ipsi semper inter se contraria doceant, vnusquisque intrepidè affirmet suam sententiam esse expressè D. Thomę. Nos verò credimus in hoc puncto à nobis stare D. Thomam, vel saltem non repugnare, & ideo ad eius sententiã accuratiùs indagandam, hunc locum, & caput hoc integrum designaui. In quo priùs proponam loca quę pro contraria sententia afferri solet, deinde producam, quæ nobis fauere videntur, & vtraque diligenter expendam, ac explicabo. Aduerto autem quatuor præcipua capita, seu ordines testimoniorum posse in doctrina D. Thomæ spectari, in primo sunt generalia in omnibus causis secundis, quatenus à concursu causæ primæ in agendo pendent, & de his dixi libr. 3. cap. 38. In secundo ordine sunt, quæ de libertate voluntatis generatim loquuntur, quæ tractaui in eod. lib. cap. 44. In tertio gradu pono illa, quæ sunt de modo quo Deus concurrit ad actiones peccaminosas, quatenus tales actiones reales sunt, & hæc attigi in eodem lib. c. 49. In quarto specialiter collocantur, quæ de auxiliis, & motionibus gratiæ tractant. Et hæc sola ad præsentem locum pertinent.

Aduertendum.

2. Præponuntur loca D. Thomæ, quæ pro contraria sententia afferri solẽt. Obiectio 1. soluitur.

Primò ergo allegatur D. Thomas 1. 2. q. 9. art. 6. quia in corpore affirmat, Deum solum, & non agentia creata mouere volũtatem, sed agentia creata vt Angeli possunt voluntatem moraliter mouere, ergo Deus altiori modo, atque adeò physicè potest mouere, & prædeterminare. Sed hæc obiectio non magis procedit de actibus gratiæ, quàm de actibus ordinis naturalis, nam doctrina ibi data à D. Thoma generalis est. Illatio ergo dupliciter deficit. Primò, quia non loquitur ibi D. Thomas de promotione voluntatis, sed de motione. Deus autem non solùm mouet voluntatem per auxilium præueniens, sed etiam per auxilium, seu concursum simultaneum, quem D. Thomas sæpe vocat motionẽ primi mouentis in eadem 1. 2. q. 109. Et ita nihil aliud est mouere voluntatem, quàm aliquid agere in ipsa, sicque D. Thomæ discursus eò tendit, vt probet ipsum motum voluntarium causari à Deo in voluntate. Concedimus ergo loqui de motione physica, negamus autem inde sequi loqui de motione prædeterminãte. Secundò verò damus illam doctrinam esse veram etiam de motione præueniente: in ea verò, vt suprà attigi, duo oportet distinguere, vnum est quomodo fiat, aliud quomodo causet liberum motum voluntatis. Ipsa ergo motio cùm sit aliquid reale inhærens voluntas, scilicet aliquis motus deliberatus eius, physicè fit, & imprimitur à Deo, qui in hoc superat omne genus creatum. Illa autem motio causat consensum moraliter modo, & in hoc etiam est differentia inter Deum, & Angelum, quia ipsamet causalitas moralis longè altiori modo est à Deo, & simile discrimen est ex parte intellectus, nam Angelus solum potest illum excitare, applicando obiecta, vel phãtasmata, Deus autem per se illuminando, & physicè efficiendo in ipsum. Et ita in præmotione est physica efficientia Dei propria eius sine physica prædeterminatione.

Secundum argumentum sumi solet ex solutione ad tertiũ eiusdem art. vbi cùm dixisset Deum vt vniuersalem motorem mouere hominem ad bonum, ipsum autem hominem per rationem se determinare ad hoc, vel illud determinare volendum, adiungit, *Sed tamen interdum specialiter Deus mouet aliquos ad aliquid determinatè volendum, quod est bonum, sicut in his, quos mouet per gratiam, vt infrà dicetur.* Respondeo tamen aliud esse prædeterminare voluntatem quoad exercitium actus, aliud mouere voluntatem ad aliquid determinatè volendum. Nam à priori prædeterminatione non potest separari consensus, ex intrinseca vi talis determinationis; ab altera verò motione potest consensus separari, quantum est ex vi talis motionis. Vnde per sufficientem gratiam præuenientem mouetur, id est, allicitur, & excitatur voluntas ad aliquid determinatè volendum; scilicet ad fidem, vel pœnitentiam, &c. & nihilominùs talis motio non prædeterminat voluntatem. Itaque ad aliud aduerbium *determinatè*, quod D. Thomas adiunxit, non opponitur indifferentię, vel potestati resistendi; sed opponitur generalitati motionis. Dixerat enim ibi quòd Deus mouet voluntatem, vt generalis motor ad vniuersale bonum; huic ergo vniuersali motioni opponit determinatam motionem, quæ fit per gratiam, tamen sicut illa motio vniuersalis non determinat physicè voluntatem ad exercitium actus circa vniuersale bonum, sed ad summum quoad specificationem, iuxta doctrinam eiusdem D. Thomæ ibi q. 10. art. 2. ita etiam motio gratiæ *ad aliquid determinatè volendum*, non determinat quoad exercitium actus, sed determinat ad certam speciem licèt non determinando absolutè, & simpliciter etiam quoad specificationem, qui cùm bonum sit particulare, potest voluntas aliud illi præferre pro suo arbitrio, in quo differt hæc motio ab alia, quæ est ad bonum in communi. Potest tamen illa motio dici determinare ad certam speciem actus, quantum est de se: nam si ex tali motione voluntas deliberatè operetur illi consentiendo, efficiet honestũ actum in tali, vel tali specie, & non alium. Vnde potest hæc motio esse, vel ex parte obiecti illuminando intellectum circa tale bonum, vel ex parte voluntatis simplicem aliquem affectum, vel suauitatem circa illud præbendo, manente semper indifferentia voluntatis ad talem motionem sequendam; sicut etiam habitus inclinat ad aliquid determinare volendum, relinquendo indifferentem voluntatẽ, vt illã inclinationẽ sequatur, vel ei resistat.

Obiect.

Et iuxta doctrinam ad intelligenda alia loca D. Thomæ oportet distinguere verbum *determinans*, nam intelligi potest, vel de determinatione quoad exercitium actus, & in hoc sensu nunquam inuenietur apud D. Thomam voluntatem in hac vita prædeterminari ab aliquo exteriori mouente. Alio modo significare potest verbum illud determinationem quoad speciem actus, vel necessitando quoad specificationem, vt respectu boni in communi, vel inclinando tantum, quantum est de se. Et hoc modo dicitur interdum voluntas determinari ab habitu, vel à passione, vel ab obiecto, & priùs dicetur moueri ad aliquid determinatè volendum, vt D. Thom. in illa solut. ad 3. loquutus est. Aliquando verò ita loquitur D. Thom. nam. 1. contr. gent. cap. 82. ad 4. dicit, *bonum apprehensum volun-*

voluntatem determinare vt obiectum proprium. Vbi Ferrariens. notat *determinare*, illo modo nihil aliud esse, quàm dare speciem actui, & ibidem distinguit duplex determinans, vnum efficiens, aliud specificans, & hoc posteriori modo dicit ibidem, voluntatem diuinam determinari ab intellectu, cùm tamen certum sit non determinari quoad exercitium actus, nisi ad dilectionem sui, ad alia verò solùm obiectiuè, vt voluntas possit ad hoc, vel illud suum actum terminare. Et in eadem significatione D. Thom. q. de illo art. vnic. distinguit exercitium actus à determinatione, & exercitium dicit esse à voluntate mouente seipsam, determinationem verò esse ab obiecto. Sic ergo in citato loco dicit Deum per gratiam mouere ad aliquid determinatè volendum, quia mouet ad particularia obiecta, quæ non possunt nisi per determinatos & particulares actus amari.

5. Obiectio 3 Eluitur. Tertiò obiiciunt totam quæstionem 109. D. Thomæ in 1. 2. in qua sæpe D. Thom. dicit indigere hominem ad opera gratiæ auxilio Dei mouentis. Sed illa loca non pertinent ad auxilium præuium, seu præueniens, sed ad concursum simultaneum, seu auxilium concomitans, quod cum proportione generale est omnibus rebus, vt in libr. 1. & 3. ostendi sæpiùs. Et ideò hanc obiectionem omitto, solùmque aduerto vbi D. Thom. in illa quæstione postulat auxilium gratiæ præuenientis præter rationem illam primi mouentis explicare illud per verba pertinentia ad excitantem gratiam, & moralem inductionem, & directionem, sic enim dicit art. 9. *Necesse est nobis vt à Deo dirigamur, & protegamur, quia omnia nouit, & omnia potest.* quæ verba sunt valde notanda, nam in eis P. Sanctus explicat gubernationem internam præuenientis gratiæ morali modo, & illius certum, & infallibile regimen non tribuit soli omnipotentiæ, sed adiungendo omnem scientiam sub qua necesse est conditionatam etiam comprehendi: nam debet esse talis, quæ sit præuia, & dirigat, (nostro modo loquendi,) omnipotentiam, & voluntatem vt certa & infallibilia media eligat, & exequatur. Scientia autem sic præuia potest esse de futuro effectu libero, nisi conditionata, vt in Prolegom. 2. dictum est. Et eodem modo loquitur D. Thomas in 2. d. 28. q. 1. art. ad 3. & 3. contr. gent. cap. 147. & 148. vbi solùm docet, auxilium gratiæ esse necessarium, & non tollere libertatem. Vnde immeritò hæc loca contra nos allegantur.

6. Obiectio 4 Quartò obiiciunt eundem Doctorem Sanctum in 1. 2. q. 111. art. 2. dicentem ad interiorem actum voluntatis dari auxilium gratiæ operantis, & reddit hanc rationem. *Quia quantum ad istum actum voluntas se habet vt mota, Deus autem vt mouens, & præsertim, cum voluntas incipit bonum velle, quæ prius malum volebat.* Dixerat autem suprà in eodem articulo, *in illo effectu, in quo mens nostra est mota, & non mouens, solum Deum esse mouentem, quia operatio alicuius effectus mouenti tribuitur, & non mobili.* Ergo sentit D. Thomas pium voluntatis actum, præsertim in primo consensu fidei, vel conuersionis in Deum, præcedere ex motione Dei, cui soli sit tribuendus sub aliqua ratione at hoc esse non potest, nisi per physicam prædeterminationem; ergo.

7. Respondetur obiectioni ex eodem D. Thoma. Respondeo concessa tota maiori propositione, negando minorem, loquitur enim ibi D. Thomas de actu interiori voluntatis, qui est intentio, vel simplex consensus in aliquod supernaturale bonũ propositum, vt propter se amandum, propter honestatem suam; ita vt talis actus eliciatur non per modum electionis, sed per modum intentionis, aut voluntatis primæ. De quo motu D. Thomas generaliter docet non homini, sed auctori naturæ esse tribuendum, vt supra lib. 3. cap. 44. tractauimus, vbi id explicuimus intelligendum esse non secundùm physicam efficientiam, sed secundùm moralem quandam attributionem, secundùm quam dicitur voluntas se mouere, cùm ex intentione medio consilio ad electionem progreditur, non verò in ipsa intentione finis. Illam ergo doctrinam accommodat ibi D. Thomas ad voluntatem in ordine operantem, nam in prima intentione, seu voluntate dicit moueri ab auctore gratiæ per gratiam operantem, quia nondum operatur ex electione, postea verò in electionibus etiam gratuitis iam se mouere per gratiam cooperantem. Ergo ad illum modum loquendi de gratia operante, (siue aliàs verus sit, siue non, de quo in eodem lib. 3. cap. 21. diximus,) non est necessaria prædeterminatio physica, sed sufficit specialis motio accommodata, vt voluntas possit intendere tale bonum, vel alio modo propter se, ac simpliciter in illud tendere, si velit, etiamsi ad illud non prædeterminetur. Nam licèt propter illam motionem talis actus voluntatis morali, & speciali modo tribuatur Deo, non excluditur, quin à voluntate, & liberè efficienter, ac proindè tam moraliter quàm physicè fiat, vt ibidem ad 2. D. Thomas fatetur. Et ideo in illo determinatio quoad exercitium ab ipsa pendet, etiamsi per gratiam operantem præmoueatur.

8. Confirmatur ex eod. Et potest hoc confirmari ex eod. D. Thoma quodlibet. 7. art. 1. vbi cùm in corpore eandem doctrinam tradidisset, & in argumento 2. obiecisset, quòd talis modus motionis repugnat libertati, respondet ad 2. quòd *Deus mouet omnia secundum modum eorum; & ideo diuina motio aliquibusdam participatur cum necessitate, à natura autem rationali cum libertate.* Explicans autem quid sit in rationali natura moueri secundùm modum suum, adiungit. *Et ideo sic Deus mouet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere, & sic ex Deo est, quòd homo se ad gratiam præparet, sed quòd careat gratia, non habet causam à Deo, sed ab ipso homine.* Ergo illamet motio gratiæ operantis talis est, vt possit homo ei resistere, quod repugnat auxilio physicè prædeterminanti. Et ita ex his simul sumptis oppositum apertè probatur, præterquam quòd saltem in electionibus gratiæ apertissimè in vtroque loco dicit D. Thomas voluntatem non prædeterminari à Deo, sed ipsam se mouere & determinare, licèt præmota per intentionem finis, certum est autem actus supernaturalium electionum esse ex auxilio efficaci gratiæ; ergo de ratione efficacis auxilij non est, quòd prædeterminet, aliàs semper & in omnibus actibus eam rationem seruaret; ergo nec voluntate simplici, seu intentione finis est necessarium tale auxilium prædeterminans. Probatur consequentia, tum quia efficacia auxilij eiusdem rationis quo ad hoc est in omnibus actibus, tum quia rationes sumptæ ex libertate, & sufficientia auxilij æquè in illis actibus procedunt, tum denique, quia isti actus solum differunt ab electione, quòd voluntas tunc non mouetur medio consilio, ex præuio actu proprio, sed ex vi obiecti apprehensi per cogitationem ab alio immissam. Hæc autem differentia saluatur optimè sine prædeterminatione physica, & ad summum declarat gratiam excitantem aliter esse necessariam in intentione finis, quam in electione mediorum; quia ante intentionem est voluntas quasi dormiens, & ideo debet ab alio incipere excitari, postquam verò iam excitata est, & intentionem liberè elicuit, per illam potest excitare intellectum ad consultandum, & ita se ad electionem mediorum mouere. Probatur Probatur consequentia.

9. Obiectio 5. Quintò obiiciunt quòd D. Thomas 1. 2. q. 112. art. 3. dicit, *Si ex intentione Dei mouentis est quòd homo gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequitur.* In quibus verbis sine dubio loquitur D. Thomas de motione per auxilium efficax, cùm dicat infallibiliter consequi effectum. Deinde clarè supponit tale auxilium dari

dari ex intentione absoluta, & prædestinatiua Dei aliàs non rectè inferret ad illam intentionem infallibiliter consequi effectum quia intentio Dei solum antecedens, seu conditionata, sæpe frustratur effectu; permittente ipsomet Deo. Vnde tandem colligitur auxilium, quæ ex vi illius intentionis datur, esse prædeterminationem, quia procedit ex quadã voluntate, cui nemo potest resistere.

10. Respondetur primò. Ad hoc argumentũ respondeti potest D. Thomã quidem loqui de absoluta intentione ex parte sua, non ex parte obiecti, id est, non de intentione dandi gratiã sanctificantem, de qua in titulo articuli loquitur, nec de intentione dandi præparationẽ illam quæ est per conuersionem perfectam ad Deũ, sed de intentione dandi gratiã sanctificantẽ illis, qui se ad illam præparauerint. Hanc enim necessariã consecutionem inter præparationem, & gratiam vult ibi probare D. Thom. vt patet ex titulo articuli, & ex conclusione, qua ad illũ respondet: & illã necessariã consecutionem gratię probat ex eo, quod est ab intentione absoluta Dei, nã ad hoc vocat hominẽ ad pœnitentiam, vt si per eum non steterit, sed actu se conuertat, ac præparet, infallibiliter gratiam consequatur. potéstque responsio confirmari ex eodem in 4. dist. 17. q. 1. art. 2. quæstiuncula 3. vbi eandẽ tenet ex codẽ ctans quæst. in hoc sensu illam definit, vnde verisimile sit in eodẽ sensu fuisse loquutum in alio loco.

Confirmatur ex D. Thoma.

11. Respondetur secundò Secundò verò concedimus priorem sensum esse etiã ibi à D. Thoma intentum, quia licèt supponat legem dandi gratiam se præparanti sufficienter, quę sicut generalis est, & infallibilis, ita fundamentũ habet in absoluta intentione, & promissione Dei, absoluta, (inquã,) respectu cõsecutionis: nihilominus non de illa tantũ loquitur, sed de illa infert, quòd si de intentione Dei est iustificare hominẽ, cuius cor mouet, ita mouebit illum, vt infallibiliter illam cõsequatur, & consequenter vt infallibiliter conuertatur. Et hoc etiam probat locus Ioan. 6. quem adducit. Hõc ergo sensu supposito concedimus duo prima, quę inde inferuntur, scilicet D. Thomam loqui de motione per auxilium efficax, & de intentione absoluta sanctificandi, vel conuertendi hominẽ, quem vocat. Negamus tamen tertiam illationem, nimirum auxiliũ, quod ex vi illius intentionis datur, esse physicè predeterminans, quia sufficit vocatio congrua, vt illa intentio infallibiliter impleatur. Quod probamus primò ex verbis eius, priùs enim dixerat ibi interuenire necessitatem non coactionis, sed infallibilitatis, vbi, vt diuisio sit adequata, includit omnem necessitatem antecedentem, & repugnantem libertati, quam prædeterminatio physica induceret, & postea repetit versum *infallibiliter*, quod dicit ordinem non ad causam, sed ad prescientiam. Secundò est hic sensus non solùm verus, sed etima necessarius, quia intentio illa includit, in obiecto, quòd homo sanctificetur liberè, & ideo postulat motionem, cui & homo possit resistere, vt præparatio ad gratiam sit libera, & infallibiliter non resistat, vt sit efficax motio. Hęc autem duo in physica prædeterminatione non coniunguntur, cum vocatione autẽ congrua optimè conueniant; ergo nõ est, cur limitemus indefinitam doctrinã D. Thomę admotionem prędeterminantẽ, cum quacętera repugnant; veritatem ergo habet propter cõgruam vocationẽ. Nec aduersarij habẽt, quomodo hanc responsionem inficientur, nisi diuertendo ad impugnandam sententiam mediam, quæ & per se satis defenditur, & in Prolegom. 2. satis, vt credimus nõ solùm eam defendimus, sed etima persuasimus.

12. Ex hac doctrina facilè respondetur ad alia testimonia D. Thomæ, in quibus docet homines saluari, credere, amare, aut mereri iuxta mensuram voluntate Dei prescriptam, vt ex p. 1. quæst. 19. & 23. & 2. 2. q. 24. art 3. & 3. contr. gent. c. 89. & 90. & aliis locis constat. Nam hæc omnia per vocationem congruam executioni mandantur, & optimè intelliguntur modo proximè explicato, & aliquid de reipsa in sequentibus addemus, vt omnibus satisfaciamus. Nunc verò sensus hic confirmari potest ex eodem D. Thoma q. 6. de Verit. art. 3. vbi licèt doceat, prędestinationem habere certitudinem in ratione causæ, nihilominus in corpore, & ad 3. declarat, non mandari executioni per media, quæ ex se sint infallibilia ex vi suæ causalitatis, sed ex modo, quo à Deo applicantur. *Nam liberum*, (inquit,) *arbitrium deficere potest à salute, tamen in eo, quem Deus prædestinat, vel si cadat, quod resurgat.* At profectò si certitudo mediorum consisteret in auxiliis prædeterminantibus, multo breuiùs expedisset D. Thomas difficultatem ad illa, & ad omnipotentiam, & efficaciam diuinæ voluntatis recurrendo, quod nunquam facit, quoties in particularibus mediis ordinem executionis declarat.

At potest obstare alter locus in q. 6 de Malo, art. vnic. ad 3. vbi differentiam constituit inter hominem, & bruta, quòd bruta determinatè mouentur ad vnum per instinctum. *Sed Deus*, (inquit,) *mouet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis mouentis, quæ deficere non potest, sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet, non inducitur necessitas, sed manet libertas.* Vbi illa verba *immutabiliter, & per efficaciam* statim explicat per verbum *infallibiliter* dicens, *sicut etiam in omnibus prouidentia diuina infallibiliter operatur* Vnde illa immutabilitas magis ex parte Dei, quàm ex parte hominis intelligenda est, Deus enim ita mouet prædestinatum modo libero, & contingenti, (vt in vtroque loco D. Thomas dicit,) vt nihilominus prædestinatio Dei immutabilis sit. Hoc autem prouenit ex efficacia voluntatis suæ, quæ non consistit in hoc, vt per physicam prædeterminationem ad liberum actum moueat. hoc enim repugnat, sed in hoc, quòd tot poterit adminicula adhibere, prout videt esse congrua prædestinato, vt infallibiliter obtineat, quod intendit.

Atque hæc tantùm inuenire potui in doctrina D. Thomæ, vel ab aliis allegata, vel ex parte aliqua à me obseruata, quæ colore aliquo possint in hoc puncto adduci. Existimo tamen illa sola sufficere ad ostendendum, D. Thom. nec agnouisse, neque fortasse cogitasse de aliquo auxilio gratiæ physicè prædeterminante, tum, quia si rem tanti momenti ex illo auxilio pendere existimasset, debuisset profectò aliquam disputationẽ de illo texere, illius naturam, & vim, & concordiam eius cum vi libertatis clarè & loculenter explicare: hoc autem numquam fecit, vt visum est, ergo magnum argumentum est illud non agnouisse. Tum etiam, quia in eisdem locis, vel similibus, quę pro illa sententia adducuntur, multa dicit, quæ cum tali modo auxilij non rectè subsistunt, vt obiter explicauimus.

Nouitas

Præsertimque notanda sunt duo, vnum est, quoties D. Thom. dicit Deum mouere voluntatem secundùm modum suum, explicare modum illum, vt sit modus indifferentiæ, & indeterminationis ad opposita. Iuxta quam interpretationẽ, illa duo, scilicet mouere voluntatem secundum modum suum, & prædeterminare illam, repugnantiam insuũm, & prædeterminare illam, repugnantiam inuoluunt secundùm doctrinam D. Thomæ, quam expresè tradit in dicto quodlibet 1. art. 7. ad 2. & dicta q. 6. de Malo, art. vnic. & satis indicat 1. p. q. 83. art. 1. ad 3. & 4. & præsertim ad 5. circa finem. Alterum notandum est, non aliter explicare D. Thom. Alterum cur Deus præmouendo voluntatem illam non necessitet, nisi quia ita mouet, vt voluntas possit motioni resistere, vt expresè dicit in dicto quodlibet. ad 2. Et idem sumitur ex dicto art. vnic. quæst. 6. de Malo, ad 15. vbi ait, *quòd licèt Deus faciat, voluntatem*

tem velle, non oportet, quòd ex necessitate hoc faciat, quia potest per ipsam voluntatem impedimentum præstari. Hoc autem quomodo fieri possit à voluntate, explicat D. Thomas dum addit, *vel remouendo cogitationem, quæ inducit ad volendum, vel ad considerandum oppositum, scilicet, illud quod proponitur vt bonum, secundùm aliquid non esse bonum.* In quo apertè supponit vt voluntas non inducatur ex necessitate per motionem præuiam gratiæ, oportere, vt possit illam impedire, vel remouendo illam, vel alio simili modo. Et apertè loquitur de potestate voluntatis in sensu composito, nam remouere cogitationem supponit cogitationem, vt per se patet. Cùmque doctrina illa formalis sit, & generalis, habet locum in omni præuia motione. Vnde ex doctrina D. Thomæ omne auxilium præueniens voluntatem, si à voluntate remoueri, seu illi resisti non potest, ex necessitate libertati contraria mouet. Et ideo in eodem articulo ait D. Thom. quòd si dispositio, per quam aliquid videtur alicui bonum, non subiacet voluntati, ex necessitate voluntas mouetur.

Omne auxilium præuenies voluntatem, si à voluntate remoueri, seu illi resisti nequit, ex necessitate libertati mouet contraria. D. Thom.

Est præterea optimus locus hanc D. Thomæ mentem ostendens in 1. p. q. 62. art. 3. ad 2. vbi sic ait. *Inclinatio gratiæ non inducit necessitatem, sed habens gratiam potest ea non vti, & peccare.* fateor quidem verba illa scripta esse de gratia habituali, nam de illa tractatur in articulo, & in argumento, nihilominus nos non consideramus materialiter, vt sic dicã, illa verba, sed formalem rationem eorum, nam ratio ob quam gratia non inducit necessitatem, ideo est, quia potestati habentis subditur, vt illa vtatur, vel non vtatur. Ergo si aliqua est gratia, quæ ita inclinat mentem hominis, vt non sit in potestate voluntatis ea vti, vel non vti, sed illa posita necessitetur ad vsum eius, talis inclinatio gratiæ inducit necessitatem, ex mente D. Thomæ. Et ideo in principio solutionis vniuersalem profert sententiam. *Omnis forma inclinat suum subiectum secundùm modum naturæ eius.* quod intelligitur non solùm de forma per modum habitus, sed etiam per modum motionis actualis, quæ, vt recipitur, in mobili forma eius est. Et ita etiam de actuali habet eandem propositionem D. Thomas in locis suprà citatis, & qu. 3. de Malo, art. 2. Quid autem sit formam recipi secundùm modum subiecti respectu rationalis naturæ, non est, nisi quòd in vsu, & effectu eius libertati subdatur, vt in aliis verbis allegatis D. Thomas declarauit, & in aliis locis notauimus.

16.

Et hinc etiam fit quod maximè intentionem nostram confirmat, vt quoties D. Thomas vult explicare, quomodo gratia, non obstante libertate habentis, illum inducit ad bonum, indeclinabiliter, & ineffabiliter in officio continet, non id tribuit motioni prædeterminanti, sed vel custodiæ diuinæ, eiusque excitationi, vt q. 24. de verit. 9. vbi de viatoribus etiam virtute perfectis ait, ita inclinari ad bonum, vt difficile cadant, subdit autem. *Sed totum, quod deficit ad confirmationem, completur per custodiam diuinæ prouidentiæ in illis, vt scilicet, quandocunque occasio peccati se inserit, eorum mens diuinitus excitetur ad resistendum.* Vel etiam vocationi hoc tribuit, vt in qu. 6. de verit. art. 1. vbi ex prædestinatione dicit sequi glorificationem, in qua est consecutio finis, & *collationem auxilij ad consequendum finem*, (vtique congruum, & efficax,) & illud declarans, addit, *quod est appositio gratiæ, quod ad vocationem pertinet.* In vocatione ergo constituit auxilium efficax, quod prædestinato confertur. Quod expressè dixit super Rom. 8. libro 6. vbi ait, prædestinatos trahi per vocationem internam, *quæ*, (dicit,) *nihil aliud est, quàm quidam mentis instinctus, quo cor hominis mouetur à Deo ad assentiendum, in his, quæ sunt fidei, & virtutis.* Et addit, *Et hæc vocatio in prædestinatis est efficax, quia huiusmodi vocationi assentiunt.* Vnde alibi hoc auxilium vocat *efficacem persuasionem per aspera, vel per leuia*, &c. vt quæstione 22. de verit. art. nono ad 8. vbi hoc modo exponit illud Luc. 14. *Compelle eos intrare*, & similiter Ioannis sexto exponens illud, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, dicit, Patrem trahere, *per illuminationem, & inspirationem internam, per quam*, ait, *si quis non trahatur, non est defectus trahentis, qui quantum est ex se, nulli deficit, sed est propter defectum eius qui non trahitur.* Quod certè nõ habet locũ si prædeterminatio physica est necessaria, vt ostendimus. Ex his ergo omnibus concludimus D. Thomam de prædeterminatione physica nihil formaliter decreuisse, nec aliquid de motione voluntatis à Deo per auxilia tradidisse, quod sine tali prædeterminatione non optimè subsistat. E contrario verò multa in eius doctrina inueniri de modo, quo Deus mouet voluntatem, siue per gratiam præuiam, siue per alios modos prouidentiæ suæ, quæ partim eundem modum excitandi, & trahendi homines contineant, quem nos dicemus, præ se ferunt, partim aliqua continent, quæ physicam prædeterminationem non compatiuntur. Nam si attentè considerentur, quæ diximus, hæc omnia satis probata ex illis relinquuntur.

Luc. 14. Ioan. 6.

CAPVT L.

Quid alij antiqui Scholastici in hac controuersia senserint.

IN libro 3. tractando hoc punctum, de concursu prævio, & præmotione primæ causæ in secundam, an necessaria sit ad omnes actiones causarum secundarum, præter concursum simultaneum, plures Scholasticos antiquos negantes talem præmotionem esse necessariam, allegauimus, applicando illam doctrinam ad punctum de concursu Dei ad actiones peccatorum. Illos ergo omnes soleo in præsenti puncto pro nostra sententia allegare, quia cùm potissimum fundamentum contrariæ sententiæ abnegent, ac euertant, meritò quidquid super illud ædificatum est, destruxisse, & negasse affirmare possumus. Et ita etiam plures illorum pro nostra sententia refert Ledesma in principio suæ quæstionis vnicæ, de Auxil. nimirum Alensem, Bonauentur. Marsil. Gabriel. Gregor. Henric. Capreol. & Caietanum. 1. Punctum capitis circa auxilium gratiæ efficacis.

Et Alensis quidem multum fauet 1. p. quæst. 26. memb. 4. art. 3. dum declarat, quomodo prouidentia sit de actibus liberis, *non secundùm acceptionem, sed secundùm concessionem*, vt ipse loquitur, id est, vt declarat, non secundùm modum, aut motionem, cui resisti non possit, sed ita, vt relinquatur voluntati potestas resistendi, & contradicendi, &c. & memb. 7. art. 2, vbi ait, Deum per suam prouidentiam circa actiones voluntatis, *non inducere necessitatem ab hoc*, id est, non necessitatem causæ efficientis, & impellentis, sed inducere necessitatem ad hoc, ordinando actiones ad debitos fines, quod bene declarat. Et q. 40. memb. 4. ad 3. excludit apertè prædeterminationem voluntatis diuinæ ab actibus liberis, & videtur loqui etiam de prædeterminatione ad intra omnino absoluta, & ita exponit Damascecum, vnde à fortiori sequitur Deum non prædeterminare ad extra voluntatem. 2. Fauet 1. notia sententiæ Alensis.

Secundò ac meritò allegatur Bonauentura, licèt soleat in contrarium citari in 2. d. 26. art. vnic. q. 2. 6. Sed ibi solùm tradit communem doctrinam, de 3. Fauet Bonauentura.

gratia operante, cooperante, & per vtramque dicit mouere Deum voluntatem, diuerso tamen modo: nam per operantem solus Deus præuenit, & præmouet voluntatem, per cooperantem autem mouet illam non sine illa se mouente, & priori gratiæ operanti solùm excitare, & præparare voluntatem. Quæ omnia sunt consentanea nostræ sententiæ, nihilque addit, in quo prædeterminationi physicæ ansam aliquam tribuat. Eandemque doctrinam repetit in dist. 27. dub. 1. literali. Addit verò vt gratiam præuenientem, seu operantem facere voluntatem bonam, & non fieri à libero arbitrio, sed infundi à Deo, quod dicere videtur propter gratiam habitualem, quæ ab Scholasticis *operans* vocatur, quatenus animam sanctificat. Si verò id applicetur est auxilium gratiæ prœuenientis, seu operantis, dicitur nos facere bonos initiatiue, & quia per illud facit Deus, vt velimus, modo in superioribus explicato, nam homo propriè non fit bonus, donec consentiat, & liberè operetur.

Allegatur etiam idem Sanctus pro physica prædeterminatione in 1. d. 40. art. 2. qu. 1. sed ibi potiùs ait, prædeterminationem, etiam vt est causa, non inferre necessitatem, *quia non est tota causa salutis*, sed cum alia causa contingenti, scilicet, libero arbitrio. *Quatenus verò* (inquit) *præter rationem causæ importat præscientiam, sic non potest discordare à libero arbitrio, non tamen infert illi maiorem necessitatem, quàm præscientia.* Et simili modo in d. 47. 1. q. 1. concordare conatur decretum voluntatis Dei cum libertate nostræ voluntatis, sed solùm dicit, non inducere necessitatem consequentis, sed consequentiæ. Quomodo autem id sit intelligendum, non declarat, semper tamen interponit præscientiam, dicitque non maiorem necessitatem per voluntatem induci, quàm per præscientiam, sentitque voluntatem Dei semper esse iuxta aliquam præscientiã, quam supponit, vt cùm ait, *bene sequitur, Deus vult hunc saluare; ergo saluabitur, nunquam enim vellet, nisi pariter præsciret esse saluandum.* Vbi profectò loqui videtur de præscientia, quæ secundùm rationem præcedat voluntatem, quia aliàs nulla esset illa ratio. Vnde in solut. ad vlt. ait, *quòd voluntas Dei secundùm conuenientia ad præscientiam, vult illa, quæ vult*, vbi satis indicat antecessionem præscientiæ, quæ certè non potest esse nisi conditionata Et similia habet, in dist. 47. art. 1. q. 1. Nam ait, Deum non velle absolutè salutem prædestinati, nisi per conuenientiam ad præscientiam. Quocirca ea, quæ in his locis Bonauentur. docet, vel sunt generalia verba, quibus omnes vtimur, vt sunt illa de necessitate consequentiæ, & consequentis, vel si quid speciale addit, in nostram planè sententiam inclinat. In alio verò loco 2. d. 37. art. 1. q. 1. quem in dicto ca. 41. lib. 3. tractaui, apertè tollit prædeterminationem, & in operibus gratiæ solam excitationem prœuiam, & simultaneum concursum agnoscit.

4.

3. Adducitur *Scotus.* Duplex quæstionis sensus.

Tertiò dicendum est de sententia Scoti, nam illum etiam vtriusque sententiæ defensores in suum patrocinium allegant. Sed vt breuiter, & distinctè rem proponam, distinguendus est duplex sensus quæstionis suprà tractatus, scilicet, an detur prædeterminatio physica in actu primo, quæ sit aliquid inhærens voluntati, distinctum ab actu secundo eius, vel an detur in ipsomet actu secundo, solùm per decretum absolutum voluntatis Dei, quo absolutè voluit, vt homo vellet, & virtute illius decreti influit in voluntatem hominis talem simultaneum influxum, cui illa non possit resistere. Priorem modum attigit Scotus in. 4. d. 49. q. 6. §. *Dico ergo*, & docet esse contrarium libertati voluntatis. Vtitur autem nomine *habitus*, & dicit esse contra libertatem voluntatis, quod determinetur ad vnam per habitum sibi inhærentem, qui non subiaceat quoad vsum potestati eius. Videturque loqui non solùm de libertate actus, sed etiam de libertate potentiæ, inquit enim, quòd si subiiceretur in agendo habitui sibi inhærenti, non esset superior illo, & consequenter non esset libera ex natura sua. Quam verò sit solida hæc illatio nunc non expendimus, id enim egimus in Prolegom. primo, sed solum assertionem Scoti contrariam prædeterminationi physicæ per modum actus primi inde colligimus. Nam vel nomine *habitus* intelligit entitatem creatam inhærentem potentiæ liberæ, quæ sit principium actus eius, & eius dominio in vsu non subdatur, vel certè si cum proprietate de habitu loquutus est, ex paritate rationis extendit ad omnem actum primum ab extrinseco impressum voluntati, licèt sit per modum entitatis, vel qualitatis actualis, quia non minus impelleret voluntatem informando illam. Et hoc confirmat generalis doctrina eiusdem Scoti in 1. d. 39. §. *De secundo dico*, vbi ad libertatem actus existimat necessarium quod voluntas in eodem instanti, quo actum elicit, vt est prius natura, in actu primo constituta, *ita ponat actum suum contingenter, quod vt prior naturaliter possit aquè ponere aliud oppositum in esse.* hoc enim principium apertè repugnat cum prædeterminatione physica in actu primo. Quod etiam repetit in 3. d. 18. circa finem, post solutionem ad secundum, & similiter in 2. d. 37. §. *Contra istud*, in fine, ait, quòd si voluntas agit secundùm pondus datum, ita vt illo accepto non possit non agere, non liberè agit. Et huc etiam spectant loca quæ suprà libr. 3. c. 41. adduximus, in quibus apertè negat necessitatem prœuiæ motionis ex vi generalis concursus Dei.

Prior docet esse contrarium libertati voluntatis.

Deinde alterum modum attingit Scotus in 4. vbi suprà, & indicat, fieri posse, vt voluntas humana determinetur ad vnum, & ad exercitum actus, salua eius libertate. Sic enim ait, voluntatem beati determinari per voluntatem Dei, vt perpetuò amet ipsum, nec possit ab illo actu cessare, confirmando nihilominus libertatem voluntatis, & potestatem, quam habet ad non amandum, vel etiam ad peccandum. Posset autem ille locus intelligi de libertate ipsius potentiæ, non autem de libertate actus. Nam priorem modum determinationis dixerat repugnare libertati ipsius potentiæ, *quia ipsa*, (inquit,) *non esset voluntas, nisi esset causa prior*, &c. Ergo è contrario cùm dicit posteriorem modum determinationis esse possibilem salua libertate voluntatis, intelligit de libertate ipsius potentiæ radicali, & remota, non de libertate actus. Nam primum indicant illa verba eius, *Non sic autem est contra libertatem, vel naturam eius, quod determinetur à causa priori.* Et præterea dicit illam determinationem auferre potentiam proximam agendi, & non agendi, & solùm relinquere remotam, vnde inquit. *Non est in potestate propinqua talis voluntatis peccare, quia non est in potestate eius, quod impediens cesset.* At verò illud posse remotum cùm non sit posse simpliciter, sed secundùm quid, licet sufficiat ad libertatem potentiæ, *non satis* est ad libertatem actus, vt in Prolegom. 1. ostensum est.

Iuxta quam expositionem doctrina illa Scoti non est nobis contraria, sed potiùs supponit vtramque determinationem esse contra libertatem, de qua nos agimus, licèt non vtraque sit contra naturam potentiæ liberæ de quo egimus in dicto Prolegomeno. Et mihi quidem placeret valdè expositio, nisi in responsione ad quoddam argumentum diceret ibidem Scotus, illum actum amoris, ad quem Deus sic beatum determinat, *esse laude dignum pro quanto*, (inquit,) *ipsa voluntas in suo ordine contingenter se determinat.* Idem autem est in illa materia *contingenter*, quod liberè, vnde non obstante prædeterminatione illa, admittit Scotus voluntatem se liberè determinare, adeò vt actus

eius

eius sit laude dignus. Propter quod fateor in his verbis multum fauere Scotum illi sententiæ, quæ affirmat esse possibilem prædeterminationem, quæ immediatè sit per voluntatem diuinam absolutam, & efficacem, immediatè influentem in actum voluntatis humanæ, salua libertate eiusdem actus voluntatis humanæ. Sed in hoc non probamus eius sententiam, & fortasse per libertatem solùm intellexit perfectum voluntarium ab intrinseco, quod credidit etiam sufficere, vt sit laudabilis actus, etiamsi fiat absque indifferentia. Sic enim solet aliàs loqui Scotus, cuius sententia in hoc etiam communiter non probatur.

In aliis verò locis expressè docuit Scotus illum modum prædeterminationis per voluntatem Dei absolutam, vel per influxum prævium ab illa procedentem, non esse necessarium, vt voluntas in actibus suis se determinet, quod in actibus peccatorum expressè declarauit in 2. d. 37. §. *Ad solutionem*, vbi his verbis rem comprehendit. *Quia Deus non solus, sed cum voluntate actus est facturus, ideo suum concausare posuit in potestate ipsius voluntatis humanæ.* quibus verbis nostram sententiam de solo concursu simultaneo oblato per voluntatem Dei omnino absolutam, sed includentem conditionem apertissimè docuit. Nec apud ipsum ego inueni, in quo de concursu ad actus bonos, vel ad actus gratiæ aliter loquatur, solùmque in actu beatifico tanquam singulari alium modum in priori loco insinuauit.

Difficultas in doctrina Scoti.

Duæ verò aliæ difficultates hîc obiici solent in doctrina Scoti. Prima est, quod ipse docet, quia si prima causa necessariò ageret voluntas hominis, non liberè ageret, vt patet in d. 2. q. 2. §. *Obsecro*, & d. 8 q. 5. *His rationibus*, versic. *Argumentor sic*, & d. 39. §. *Tertia propositio*. Illud autem videtur in hoc fundari, quòd causa secunda non agit, nisi mota à prima, nam inde infert, quòd si Deus necessariò causam secundam moueret, & consequenter causa secunda necessariò ageret. Sed hæc difficultas procedit per multas illationes, & potest in contrarium retorqueri: nam si libertas causæ primæ nunc est radix contingentiæ, ideo est, quia nunc non imprimit causæ secundæ motionem, quam imprimeret si necessariò ageret: nam si eandem motionem nunc imprimeret, æquè necessitaret illam, & libertas Dei solum induceret, vt effectus esset contingens respectu Dei, non verò vt sit liber ipsi causæ secundæ, vt rectè argumentatur Gabriel in 1. dist. 38. art. 1. Corduba in quæstionar. libr. 1. qu. 55. dub. 4. & 10. ergo nunc de facto non imprimit Deus voluntati talem motionem etiam ex sententia Scoti, nisi velimus illi attribuere contradictoria; præsertim, quia in eadem qu. 1. d. 8 §. *Ad argumenta pro opinione*, dicit voluntatem nostram esse de se indeterminatam, & posse ex se determinari ad hoc, vel illud, & hoc non impediri à Deo, quia cùm liberè agat, suum concursum illi accommodat. Contrarium autem putat esse dicendum, si Deus ageret ex necessitate naturæ, quia tunc non sic posset Deus suam actionem moderari, sed ageret quantum posset. Ex illo ergo principio nihil in præsenti colligi potest, quod nobis obstet, quidquid sit de veritate illius, de quo videri possunt dicta in Metaphys. dispositione 22.

Gabriel. Corduba.

Altera difficultas.

Altera difficultas est, quia Scotus docet cognoscere Deum futura contingentia in decreto voluntatis suæ, quo vult illa fieri, vt patet in 1. dist. 39. §. *Visa de contingentia*. Nam illud decretum Dei est suppositio antecedens, & consequenter est de illo eadem difficultas. Et hoc modo potest pro illa sententia citari Richardus in 1. dist. 38. art. 1. quæst. 5. & omnes qui ita sentiunt de scientia Dei circa futura contingentia. Sed hæc obiectio etiam fit per illationes, & fieri potuit vt omnes consideranerit Scotus, & ideo non fuerit consequenter loquutus. Posset autem exponi de decreto prædeterminante ad extra, iuxta ea quę iam dixi, & amplius infrà explicabo. Verumtamen etiam hoc habere possit locum in actibus bonis, non tamen in malis. Et ideo alij intelligunt Scotum de voluntate Dei concurrendi cum causa secunda, inter quos etiam Gabriel Vazquez in 1. p. q. 14. art. 13. sequitur in hoc opinionem Scoti, cùm tamen aliàs omnino negat prædeterminationem, & prædefinitionem. Ac propterea dicit, voluntatem illam Dei, in qua ipse cognouit futura contingentia, non esse præuenientem, sed concomitantem respectu cooperationis voluntatis creatæ. Quomodo autem talis voluntas Dei sufficiat, vt in ea cognoscatur futurum contingens, non declarat, nec declarari potest, vt existimo, nisi suppositia in Deo scientia conditionata, qua cognoscit voluntatem creatam cooperaturam esse in tali occasione, si ipse permittit, & velit concurrere. Postea autem illa scientia res est facillima, & fortasse in illo sensu loquutus est Scotus. Optarem autem mentionem aliquam illius scientiæ conditionatæ magis expressam apud illum inuenire.

Vazquez.

5. Accedit Marsilius.

Quartò nostram sententiam docet expressè Marsilius in 2. q. 16. art. 4. in 3. probatione secundæ conclusionis, dum ait, *de natura agentis liberi esse, quòd se possit determinare, nam si ab alio determinaretur, ab alio necessitaretur*, vt latius suprà retuli libro 3. capite 42.

6. Fauet Henricus.

Quintò fauet Henric. quodlibet. 9. quæst. 5. circa finem, vbi & generalem tradit doctrinam de determinatione voluntatis à seipsa, quam suprà retuli, & illam extendit etiam ad motionem gratiæ, dicens. *Si Deo agente fieret directè, vt voluntas de non volente fieret volens, licèt non esset contra naturam eius, sed præter eam tantùm, non tamen diceretur actus liberalis, nec secundum eum esset laudabilis, nec esset omnino. Quia cùm actio eius*, (id est, hominis,) *talem debeat esse in ipso, quod secundùm eam voluntas laudabilis dicatur, & virtuosa, oportet, quòd à nullo alio moueatur*, (id est, determinetur,) *ad actum volendi, sed à seipsa directè solùm, licèt alij suo assistente, & cooperante, vt suprà, Spiritu sancto, vel per se, & immediatè, vel in aliquo dono eius, vel vtroque modo.* Et inferius ad exponendum quomodo motus indeliberati inclinent voluntatem, non tamen necessitent ad consensum, addit. *Quemadmodum gratia aliqua à Deo in voluntate inclinat ipsam, sicut pondus vt velit, quæ tamen actum voluntatis non elicit, nec illum ad eliciendum compellit, quia non habet elici, nisi ab ipsa voluntate liberè, & frequenter, nec diceret eum sine tali pondere inclinante ipsam, & in eis quæ pertinent ad rationem meriti, nullo modo posset ipsum sine illo elicere.* Quod libr. 4. quæst. 19. congruentiam prædestinationis ponit in quadam non repugnantia respectu gratiæ præuenientis. Nam licèt illa sententia respectu prædestinationis falsa sit, tamen supponit gratiam præuenientem, non prædeterminare physicè voluntatem, sed relinquere illam liberè, vt possit resistere, & ideo meritò reprehendi, qui resistit, & esse laude dignum, qui non resistit. Eandèmque doctrinam latissimè repetit quodlib. 8. quæst. vnic. vbi tantum abest, vt censeat, voluntatem quoad suam liberam cooperationem posse physicè prædeterminari à gratia, vt dicat fieri à voluntate ex se, & ex naturalibus suis, ita vt *quodammodo non includatur in prædestinatione, neque in eius effectu, licèt non sit sine eius effectu, nec sit distinctum quid à prædestinationis effectu.* Quæ refero non vt omnia approbem, sed vt de mente illius auctoris quoad tollendam prædeterminationem euidentius constet.

7. 6 Allegatur Capreol.

Sextò allegamus Capreolum in 1. d. 45. quæst. 1. art. 2. ad 5. contra secundam partem quintæ conclusionis. Argumentum enim eò tendebat, vt probaret, Deum necessitatem inferre voluntati, hoc modo Deus potest necessitare voluntatem creatam necessitate naturaliter præcedente; sed hoc non potest aliquid aliud faciendo, *quàm tantùm volendo, quoniam nullo alio modo agit ad extra, neque aliter volendo, quam prius naturaliter, & sic vult; ergo Deus necessitat de facto quamlibet voluntatem creatam ad quemlibet actum suum liberum, & ad quamlibet cessationem, & vocationem ab actu naturaliter præcedente.* Respondet autem in hunc modum. *Licèt Deus possit voluntatem creatam quamlibet necessitare, non tamen sic necessitat eam, & comprobatur, quia si necessitaret, hoc non faceret, nisi volendo, dico, quòd licèt hoc faceret volendo, tamen non vult nunc illud, quod vellet tunc, talis enim necessitas proueniret expressione alicuius formæ, quæ nunc non imprimitur, id est, gratia consummata, vel ex aliqua motione speciali Dei, qua nunc non mouetur.* Profectò videtur expressum testimonium, supponit enim Capreolus, quòd si Deus imprimat voluntati formam, vel motionem, ex qua necessariò sequatur operatio in voluntate, illa erit necessitas excludens libertatem, licèt sit in sensu composito, seu suppositionis diuinæ, & inde infert, Deum nunc per gratiam non dare homini hanc motionem, ne illum necessitet. Vnde ibidem 2. & 3. principale contra eandem conclusionem, generaliter supponit, necessitatem ex suppositione antecedente repugnare libertati. Et ad quintum negat omnem effectum ita prouenire à causa prima, vt non sit in potestate causæ secundæ illum impedire, ideoque vt effectus liberè fiat, requirit potestatem resistendi, etiam suppositâ omni præuia dispositione, quæ in ea sit antecedens ad agendum, vt in solut. ad 3. expositum erat. Hæc autem omnia repugnant cum prædeterminatione physica, vt ex dictis constat. Et ideo idem Capreolus in 1. d. 40 & sequentibus tractans de concordia prædestinationis, præscientiæ, & voluntatis diuinæ, cum libertate hominis, semper euitat necessitatem prouenientem à suppositione antecedente, & sine libertate antecedat, & ab illa in euitabiliter proueniat affectus: vnde virtute euitat physicam prædeterminationem, licèt eo nomine non vtatur.

8. Allegatur eodē modo Socinas.

Et eodem modo allegari potest Socinas libr. 9. Metaphys. quæst. 17. Nam ex professo probat ad libertatem actus necessariam esse potentiam prius natura, quàm operetur, ita esse indifferentem, *vt nihil in ea sit necessariò determinatum ad velle, aliquo* (ait) *illum velle non esset contingenter à voluntate, sed necessariò.* Ferrariensis etiam licèt aliàs concursum præuium, eiusque necessitatem doceat, vt in lib. 3. retuli, nihilominus de auxiliis gratiæ loquens libro 3. contr. gent. cap. 159. ipsa rei veritate ductus, ea docet, quæ cum prædeterminante auxilio, eiusque necessitate non subsistunt. Dixit enim in primis, causam, ob quam ex duobus excitatis, vnus se præparat ad gratiam, & non illius in libertatem arbitrij, & non in defectum alicuius auxilij necessarij ad talem præparationem esse reducendam; quia in potestate vtriusque est habere omne auxilium ad talem præparationem necessarium. Vnde addit, quòd si alicui sine culpa sua auxilium necessarium negaretur, non posset illi carentia præparationis imputari. At si physica prædeterminatio est necessaria, non est in hominis potestate, nec qui illa caret, sua culpa illa priuatur, vt suprà ostensum est.

9. 7 Principaliter allegatur Ægidius

Septimò principaliter allego Ægidium, quem Cumel nobis obiicit in 2. d. 25. quæst. 2. art. 1. quia dicit, vt anima conuertatur in Deum conuersione, qua se ad gratiam disponat, necessarium esse, vt ordine saltem naturæ *præcedat diuinus quidam impetus.* Quis autem hoc negat? Oporteret ergo referre quo modo Ægidius illum *impetum* declaret, & an significet prædeterminare voluntatem, vel potiùs relinquere illam indifferentem. Nam quod ad primum attinet, postquam Ægidius allegauit illa loca Scripturæ, *Ego sto ad ostium, & pulso. Audiam quid loquatur in me Dominus*, adiungit. *Huiusmodi autem pulsationes, vel locutiones, aut conuersiones possunt dici boni impetus, quos continuè, vel quasi continuè Deus facit in anima nostra.* Nihil ergo aliud per hos impetus Ægidius intellexit, nisi motus gratiæ excitantis, quos infrà vocationes Dei appellat. Estque euidens argumentum, quia dicit illos *continuè, vel quasi continuè*, & iterum *semper, vel quasi fieri à Deo in anima nostra*, quod non potuit dicere, nisi propter inspirationes diuinas, quæ sunt motus vitales, quos percipimus, & per quos nobis loquitur, vel nos terret, aut afficit: nam prædeterminatio etiamsi daretur, non ita frequenter fit, sed solùm cùm liberè consentimus.

Et hinc euidenter conuincimus, non loqui Ægidium de imperu prædeterminatè, sed de inclinante, quia illi impetus, qui quasi continuò fiuntin nos, raro habent effectum consensus liberi. Vnde adiungit ille Auctor, *Cùm ergo tales impetus sequimur*, dicimur aperire Deo. Et infrà, *Et ipse in nobis suam vocem audientibus, & suis impetibus, seu motibus obtemperantibus largitur suam gratiam.* In quibus verbis aperè supponit, non semper homines sequi illum impetum, nec aperire pulsanti, ac proinde non esse prædeterminantem. Imò quòd hoc sit in nostra libertate, aperè sentit, dicens vlteriùs *In nobis autem est permanere in virtute, & sequi Deum ad hanc vocantem, vel secedere, &c. & sequi diabolum ad malitiam vocantem.* Et infrà dicit, hos impetus gratiæ, etiam in statu legis naturæ, datos fuisse hominibus, *quos aliqui sequentes disponebantur ad gratiam*, & concludit idem fuisse seruatum in Angelis. Profectò in toto hoc discursu euidèter docet hic auctor nostram sententiam, nec inter illos impetus gratiæ excitantis, & conuersionē agnoscit aliud medium auxilium, quod ordine naturæ antecedit cooperationem liberi arbitrij, & expressè etiam dicit, in aliis agentibus, vel ad operationem ordinis naturalis non esse necessarium aliquem impetum, *sed solam operationem Dei, secundum quod Deus in omni operante operatur.* Addi etiam potest, quòd in eodem 2. d. 7. q. 1. art. 2. §. *Sunt alij impetus*, ad opera gratiæ solùm postulat ex parte Dei motus gratiæ excitantis, quos vocat impetus, *quos possumus sequi, & non sequi; quos sequendo adipiscimur gratiam, & nō sequendo sumus in culpa* Et eodem modo de Angelis sequitur.

10. Adrian. Sect. Capreol. Hervæus Guil. de Vvit.

Octauò refert Adrianum, quem Ledesma contra nos allegat in 4. quæst. de Sacrament. pœnit. de quo Sacramento plures quæstiones tractat Adrianus, hanc verò materiam solùm attingit in quæst. 1. post tractatum de restitut. in art. 3. qui incipit, *Tertio restat*, in cuius initio dicit, *terram animam nihil Deo dignum posse efficere, nisi sole gratiæ illustretur, & ad operandum excitata adiuuetur.* Et infrà dicit animam non posse curari à morbo peccati via naturæ, *sed medicina cælestis gratiæ morbum illum vincere, & animam sanare potest, auxilio quidem cooperante, sed minus principaliter.* Nihil certè est in his verbis, quod ad prædeterminationem vllo modo pertineat. Pergit verò dicens cum Augustino, *Magna gratiæ commodatio, quia nemo venit, nisi tractus*, & inde inducit admirationem, *cur hunc trahat & illum non trahat*, cum responsione Augustini, & verbis Christi. *Si in Tyro, & Sidone*, & loco Augustini in quo tractionem explicat per excitationes congruentes. Vnde nihil inuenio in illo auctore, in quo à nostra sententia discrepet, nam potius illi fauet, cùm non agnoscat nisi gratiam excitantem, & cooperantem, & excitantem quam quoad efficaciam per congruitatem declaret more Augustiniano.

Nonò

Nonò hîc addi possunt omnes Auctores, quos in Prolegom. 1. adduximus, dicentes, ad liberam actionem necessarium esse, vt potentia proxima positis omnibus prærequisitis ad agendū, possit agere, & non agere. Item quos allegauimus in lib. 3. dicentes, voluntatem præexistentem ordine naturæ plenè constitutam in actu primo, & sic indeterminatam seipsam determinare cum concursu proportionato, & simultaneo primæ causæ efficentis illum de se indifferenter, & quasi independenter à libera cooperatione voluntatis. Ex his enim principiis euidenter refellitur necessitas, imò & possibilitas auxilij prædeterminantis ad actum liberum etiamsi supernaturalis sit, quia & ratio libertatis eadem est, formaliter loquendo, in actu supernaturali, & propter supernaturalitatem non postulat actus maiorem determinationem antecedentem in potentia libera, sed maiores & supernaturales vires, quæ in actu primo sine prædeterminatione dari possunt.

Quidam verò contra nos allegât Doctores Scholasticos asserentes, voluntatem beneplaciti Dei ineffabiliter, & semper impleri, & esse immutabilem, prædefinireque actus liberos præsertim prædestinatorum, & ad hoc citat Bonauent. in 1. dist. 40. & 47. Scot. dist. 39. & 46. Capreolum dist. 45. Heruetum d. 38. & 46. & Guillel. de Rubion. 1. dist. 38. 46. & 47. & posset allegare omnes de voluntate, scientia, & prædestinatione Dei scribentes. Sed illa omnia generalia sunt, & de illis non est inter nos controuersia. Nemo enim Catholicus negat, voluntatem Dei absolutam, & beneplaciti semper impleri, & esse immutabilem, nec etiam de prædefinitione actuum liberorum nunc disputamus, & nullus ferè est, qui absolutè neget, posse Deum illos prædefinire, sed tota controuersia est de modo prædefinitionis, & concordiæ, cum vsu libertatis nostræ, & consequenter de modo, quo Deus efficaciter, seu infallibiliter exequitur per hominem id, quod prædestinauit, aut præfiniuit eum velle.

At verò dicti Auctores numquam docuerunt, hanc executionem fieri media prædeterminatione ad extra, quæ ita necessitet voluntatem, vt non possit illi resistere, postquam illi semel imprimitur simili, vel maiori necessitate, ac independenter ab eius libertate, nullusque inuenietur ex antiquis Theologis qui talem prædeterminationem cum libertate arbitrij concordare fuerit conatus. Imò supponere videntur concordiam libertatis cum tali prædeterminatione esse impossibilem, & ideo illa prætermissa aliter concordiam explicant, vel media aliqua conditione inclusa in obiecto diuini decreti, vt Alens. vel media aliqua præscientia, vt Bonauent. suprà, & tractat bene Andreas de Castronou. in 1. dist. 22. quæst. 5. & 6. & attigit Okam in 1. dist. 83. quæst. 1. liter. 1. Gregor. qu. 2. art. 2. Gabriel art. 1. in 2. parte illius. VValdens. lib. 1. Doctrinal. fid. cap. 28. Ioan. Arboreus tom. 1. Theosoph. lib. 4. cap. 11. Idemque constare potest ex dictis de libero arbitrio in Prolegom. 1. & de concursu Dei cum voluntate creata in libro tertio. Quocirca in locis citatis dicunt quidem in generali diuinam voluntatem absolutam semper impleri, & ad eius omnipotentiam pertinere, vt possit, quod vult facere per voluntatem creatam liberè operantem, modum autem in particulari, vel non declarant, vel semper ita illum exponunt, vt necessitas, quæ in illo interuenit, non sit antecedens, sed consequens, vt sæpe tetigimus.

CAPVT LI.

Quid moderni Scriptores de hac controuersia senserint.

1. Sedes modernorum Scriptorum post Concilium Tridentinum.

EOs Scriptores sub hoc titulo comprehendo, qui post Concilium Tridentinum hoc punctum attigerunt, & ideo initium sumam à M. Soto, qui eodem tempore, & ad ipsum Concilium opus de natura. & Grat scriptit, & magnum meritò apud omnes habet auctoritatem. Hunc ergo insignem Theologum purè & sincerè pro nostra sententia allegaui in lib. 3. de auxiliis cap. 13. in fine, quod malè tulerunt contrariæ sententiæ Auctores, & quidam ipsorum tacitè me accusat, quòd non ex fide verba eius quædam interpolita subtricendo, allegauerim, ipseque longo discursu Sotum in suam sententiam trahere conatur. Sed licèt potuerim vel Sotum non attentè legere, vel propter affectum ad propriam sententiam illum non intelligere verisimile tamen affero, fideliter eum retulisse, sicut illum intellexi, nihilque ad occultandum, vel mutandum eius sensum, sed solum breuiter causa aliqua verba, quæ necessaria non videbantur, omisisse. Nunc verò cum iterum, atque iterum varia eius loca relegerim, constanter affirmo de auxiliis gratiæ idem, quod nos diximus, docuisse, excepto vno modo loquendi de auxilio, seu concursu simultaneo, in quo etiā nunc alij recentiores Thomistæ à Soto discrepant, & fortasse solum in verbis discrimen positum est.

2. Allegatur Soto. A Deo neminem coactu ad se trahi.

Explico singula. Nam Soto in lib. 1. de Natur. & Grat. cap. 15. assertionem de libertate nostra in operibus conuersionis inde probat, quòd *neminem coactu Deus, vel necessitate ad se trahit, sed in nostra est potestate gratiam eius respuere.* Vbi pondero primò, posse vocem *coactu* addidisse, *vel necessitate*, vt non solum trahi. libertatem à coactione, sed veram indifferentiæ libertatem tueretur. Secundò noto, loqui de necessitate ab extrinseco illata à Deo, posita, ex parte intellectus, aduertentia necessaria, ac sufficiente ad conuersionem, nam excludit necessitatem à Deo prouenientem ab illo, qui actu conuertitur. Vnde talis necessitas non poterat esse nisi ex aliqua motione Dei, ac proinde respectu illius in sensu compositio. Iudicauit ergo Soto hanc necessitatem esse contrariam veræ libertati, & ideo illam in conuersione negauit: quam tamen fautores physicæ prædeterminationis, vel requirunt, vel admittunt. Denique ad libertatem hanc necessarium credidit, vt in homine, qui conuertitur, sit potestas resistendi gratiæ, vtique trahenti, nam hoc est illam respuere, vt suprà circa Concilium Tridentinum diximus, cuius formam loquendi Soto imitatus est, postea verò addit, nunquam per Deum stare, quominus ipsi pulsanti aperiamus, quod certè non ita esset, si prædeterminatio esset necessaria, vt suprà ostensum est, postea verò radicem propriam huius veritatis attingens ait, *Non enim ad se nos trahit Deus, vt petudes, &c. sed illuminando, dirigendo, pulsando, & instigando*, vbi non aliter modum tractionis, & præmotionis Dei exponit, quàm nos cum Augustino explicauimus. Neque in toto discursu illius capitis aliud peragit, nisi eandem doctrinam verbis Scripturæ, Augustini, Hieronymi, & Bernardi confirmare.

Notandum.

3.

Ac verò in fine quarti hunc eundem locum recognoscens Soto, repetit quod ibi dixerit, causam proximam, cur ex duobus vocatis vnus iustificatur, & non alius, ex libertate arbitrij sumendam esse, scilicet, quia iste assentire voluit, ille noluit,

Bonauent. Scot. Capreol. Hiruens. Guil. de Rubion.

Bonauent. Andr. de Castronou. Okam. Gregor. Gabr. VValdens. Albertus.

noluit, nam ex prædeterminatione solùm causa remota redditur. Addit priorem partem esse intelligendam de causa materiali, & dispositiua, quod intelligit respectu infusionis primæ gratiæ, nam respectu actualis conuersionis, cur in vno fit, & non in alio, causam proximam dicit esse libertatem voluntatis. Addit tamen, *Quidam verò hoc taxare voluerunt, dicentes, quòd nimirum tribuerim libero arbitrio in iustificationis causa.* Si nobis exposuisset Soto, quam ob causam illi censores, quos refert, dictum eius taxare voluerint, euidentiùs mentem suam explicasset. Verisimillimum autem existimo, ideo censores illos in dictis Soti offendisse, quia motionem Dei prædeterminantem è medio tollebat, & quia præter prædestinationem, non reddebat ex parte Dei aliam causam proximam, ob quam ex duobus vocatis vnus conuertatur, & non alius, præter libertatem voluntatis, sentiens in tota vocatione, & in omnibus motionibus præuenientis gratiæ posse esse æqualitatem, & nihilominus in actuali conuersione posse esse discrimen, hoc enim est, quod ibidem ait, *Cùm ex duobus vtrumque Deus aspiret, cur iste conuertatur, & non ille, reddi non potest causa, nisi quia vnus præbet assensum, alter verò minimè.* Quod certè non esset verum, nisi aspiratio esset æqualis, alioqui ex maiori aspiratione posset reddi ratio. In illa ergo doctrina euidenter supponebat Soto, non dari ei, qui conuertitur, prædeterminationem præuiam, quæ alteri negetur. Hoc ergo est, quod alij taxare voluerunt: iam enim fortasse opinio illa inceperat pulsare. Et nihilominus ipse constanter respondet, *Et tamen salua semper Ecclesia Catholicæ censura, arbitror necessariò dicendum.* Et rationem reddens addit, *Assensus enim liberi arbitrij non est causa præueniens motionẽ Dei, sed effectus eiusdẽ motionis idem præuenientis liberum arbitrium.* Qualis autem illa sit, explicat, dicens. *Est enim pulsatio, & aspiratio Dei ad corda nostra*, & de hac aspiratione, & præueniente motione dicit esse causam nostri consensus, non tamen habere hunc effectum necessariò, quia oportet liberum etiam arbitrium suam cooperationem adiungere. quam doctrinam exemplis, & testimoniis locupletat, nihil tamen mutat, neque addit in substantia doctrinæ, ideo non oportuisset tam prolixè verba referre, nisi nos aduersariorum instantia cogeret, Illud denique verbum, quod postea subdit, *Qui audit, & discit, venit ad me; quasi in nostra potestate sit trahenti assentire, vel dissentire*, prædeterminationi est contrarium, quia talis potestas non est in nobis, si tractio per physicam prædeterminationem fiat.

Hanc eandem doctrinam latiùs exposuit Soto in dicto lib. 1. cap. 16. vt in altero loco refert, & tacitè confirmat. Ibi enim tres ordines effectuum gratiæ, qui in nobis fiunt à Deo, distinguit, in primo ponit motiones gratiæ præuenientis, quibus Deus solus mouet corda nostra; explicat autem idem Soto, particulam illam *solus* excludere liberam cooperationem nostram, non tamen vitalem efficientiam. Et in hoc ordine ponit *inspirationes, illuminationes, pulsationes, ac denique totam internam vocationem*, quam *excitando*, & *suggerendo* Deus in nobis facit. Neque agnoscit aliam motionem præuiam, quæ à solo Deo, nobis nec liberè, nec vitaliter cooperantibus, in nobis fiat. *Neque ego*, (inquit) *contrarium potui vnquam excogitare.* In tertio ordine ponit habitus infusos, qui ad præsens non referunt. Igitur in secundo ordine ponit quemlibet actum supernaturalem liberum, etiam ipsam conuersionem inter quam, & priores actus gratiæ excitantis, non ponit mediam aliquam motionem, quæ à Deo solo fiat, sed dicit simul tempore fieri à Deo, & à nobis. Et ita ad hunc secundum effectum præter priorem gratiæ motionem, nihil aliud requirit, nisi auxiliũ simultaneum, seu generalem gratiæ concursum. Vnde paulo inferiùs de hoc secundo genere motionis Dei ait, *Neque aliud est me Deum hoc modo mouere, quàm mecum concurrere ad eliciendum liberum actum.* Et ibidem expresè addit, quando vnus conuertitur, & non alius, esse necessariò inæqualitatem in hoc concursu, non verò in præuenientibus motionibus.

Dices ex his rectè colligi non posuisse Soto prædefinitionem distinctam ab actu conuersionis, seu in actu primo, nihilominus tamen potuisse illam ponere in actu conuersionis, seu in ipsomet concursu ad illum. Et videtur ita sentire, nam ait, per hanc motionem Deum nos trahere, conuertere, promouere, eoq; aliquem meliùs conuerti, quo hanc motionem recipit auctiorem, & meliorem. Denique addit, *illam motionem Dei licèt sit simul, esse priorem natura cooperationem liberi arbitrij*; cùm ergo inseparabilis sit cooperatio liberi arbitrij ab illa motione Dei, erit illa prædeterminatio eius in actu secundo. Quam verò fuerit Soto alienus ab hac cogitatione ponendi prædeterminationẽ in tali concursu, euidenter, vt opinor, conuincitur ex his, quæ dicit in principio ciusdem capitis; proposita enim difficultate quomodo possit voluntas liberè consentire, cum Deus per suam omnipotentem voluntatem, cui humana non potest resistere, illam moueat. Respondet in summa, voluntatem humanam posse illi motioni resistere, seu facere, vt in re non ponatur, neque hoc esse contra omnipotentiam Dei, quia ipse disposuit *cum singulis causis modo proprio concurrere*, cum naturalibus naturaliter, & cum voluntariis liberè. Et ad hoc explicandum subiungit. *Quocirca quisquid Deus vult voluntate absoluta, & quæ dicitur beneplaciti, fit iuxta illud, Voluntati eius quis resistet? Quando cum libero homine concurrit, non vult illud fieri, nisi salua humana natura, & libera voluntate, quæ idcirco resistere Deo potest.* Vbi euidenter distinguit hanc posteriorem voluntatem, à voluntate absoluta, & beneplaciti, & cui resistere nullus potest; ergo sentit esse conditionatam, & ob inclusam conditionem non esse omnino efficacem ac beneplaciti, ac proinde illi resisti posse. Conditionem autem in illa voluntate ex parte obiecti inclusam explicat inferiùs, dicens, *Iuuat ergo alia secundi generis opera, quæ ita in nobis Deus exerat, vt nos tamen assensum præbeamus.* Hæc ergo conditio est in obiecto illius voluntatis posita, & ideo non est absoluta, nec omnino efficax, & inde fit vt liberũ arbitriũ possit illi resistere, vel suspendendo actum suum, vel alium repugnantem efficiendo. Quod certè non posset, si Deus per absolutam voluntatẽ talis actus, vel effectus concursum suum præstaret, tunc enim & solùm ad illum actum offerret concursum, & sic nullum alium actum posset voluntas hominis efficere, & determinare prorsus, vel potius necessitaret voluntatem hominis ad exercitiũ talis actus, vt liberè prà ostensum est: quapropter nullo modo posset humana voluntas illi voluntati Dei resistere. In his ergo omnibus Soto nobiscum consentit. Alia verò, quæ ex eodem Soto super epistol. ad Rom. allegari solent, ad rem non pertinent; nam sunt generalia principia de gratia præmouente, & efficaci, & de prædestinatione quam omnes admittimus.

Vnum verò est, in quo Soto à nobis differre videtur, quia dicit illum concursum prout est motio Dei, esse priorem natura, quàm sit cooperatio potentiæ voluntatis, & consequenter esse vnum ex prærequisitis ad consensum, & non ex concomitantibus. Sed in hoc eius sententiam non probamus, nisi fortasse ita explicetur, vt in verbis tantùm à nobis discrepetur. Non enim ponit duos concursus Dei necessarios ad consensum post motionem gratiæ excitantis, sed vnum tantùm, vt ex discursu illorum capitum constat; ille autem concursus inhibitus necessariò esse debet in ipsa actione voluntatis,

luntatis, & ab illa in re non distingui, ideòque nec potest esse ex prærequisitis ad agendum, neque prius, sed simul natura secundùm propriam rationem causalitatis Et in hoc iam nobiscum conueniunt moderni Thomistæ, & consequenter recedunt à sententia Soti in illo sensu intellecta. Quòd si fortasse Soto existimauit in ipsomet actu consensus actionem Dei, & actionem voluntatis esse in re distinctas, & ideo actionem Dei esse prærequisitam & priorem natura, iam hoc à nobis satis refutatum est in cap.... Et suppositio illo sensu fateor incautè incidisse in quendam modum physicæ prædeterminationis, non vidisse autem repugnantiam, quâ hic sensus includit cum his, quæ in eodem capite dixerat, nec fortasse de illatione cogitasse. Posset tamen intelligi de prioritate naturæ latè sumpta, vt dicit prioritatem independentiæ, & perfectionis, vel certè posset exponi de auxilio non vt iam posito in voluntate hominis, sed vt oblato ex parte Dei, sic enim dicitur rectè esse prius natura, & cum illo sic oblato posse voluntatem hominis agere, seu ei resistere. In alio enim sensu impossibile est, quod Soto ait, *Illo posito esse in facultate voluntatis agere, & non agere*, nam cum dicit, *illo posito*, iam facit sensum compositum, at posito ad extra concursu Dei in hominis voluntate, impossibile est illam non agere. Et similiter falsum erit, quòd dicit, *ante diuinum concursum non potest voluntas agere*, nam loquendo de concursu ad extra posito in voluntate hominis, falsum est: nam prius tempore, vel natura, quàm illum in se recipiat, potest voluntas agere, quia vt possit, sufficit vt habeat concursum oblatum. Fateor tamen Sotum si in hoc sensu loquutus est, immeritò & æquiuocè sententiam, quam refert, impugnare. Quapropter in hac parte eius philosophandi rationem non probamus.

7. Referuntur Vega.

Secundo loco allegari solet in vtramque partem Vega libro 6. in Trident. à capite 4. vsque ad 9. Sed ibi ferè transcribit doctrinam Soti, ideoque circa eius loci sensum immorari non oportet, nam reuerà libricè loquitur, quamuis nihil ibi dicat, quod sine prædeterminatione physica intelligi non possit, vt libro 1. de auxil. cap. 14. & libro 3. cap. 13. sufficienter explicaui. In libro autem 12. cap. 22. ad primam obiectionem sic inquit. *Cuperem clarè, & distinctè tradi, perinde esse in nostra potestate omnia exercitia virtutum, ad quæ credimus esse necessariam Dei gratiam, ac si solus generalis concursus sufficeret*, &c. Et rationem reddit infrà, *quia Deus tam admirabiliter suum omnem concursum, & omnem suam scientiam, prædestinationem, & voluntatem voluntatis nostræ arbitrio subiecit, vt possit ipsa de se quidquid voluerit statuere.* Certè hæc malè cohærere possunt cum physica prædeterminatione, imò exaggerationem continent, quam prudenter accipere, & explicare oportet. Præterea in lib. 13. cap. 12. multa dicit de auxilio efficaci, quæ cum prædeterminatione physica subsistere non possunt. Nam in primis ait, peccatorem induratum, qui à Deo sufficienter excitatur, posse auxilium efficax ad vltimam conuersionem, & dispositionem ad iustitiam impetrare, si velit. In quo duo includuntur, vnum est hominem sic excitatum posse per illam solam excitationem cum generali concursu gratiæ proximè, & immediatè aliquid licitè operari, quo aliud maius auxilium impetret. Aliud est auxilium efficax esse in hominis potestate interdum proxima, interdum remota, in ordine ad diuersos actus. Vtrumque autem horũ pugnat cum physica prædeterminatione, vt satis in superioribus ostensum est. Verba aliqua eius, quia energiam, & vim habent, hic transcribam; cùm enim dixisset induratos posse pœnitere, licèt in diuina prouidentia, & prophetia infallibile sit eos non acturos pœnitentiam, subdit. *Et horum omnium causa est, quia licèt nullus valet pœnitere sine auxilio diuino, tamen illud auxilium potest quicunque, si velit, habere, etiamsi eo sit priuatus. Sicut & auxilio generali ad loquendum careo, cum hæc scribo, tamen illud possum, si velim, habere, & ideo libere taceo, & possum cum voluero, loqui. Et Deus quidem omnibus peccatoribus perseuerantibus in peccatis subtrahit auxilium efficax ad pœnitentiam, quod solis illis præstatur, quos verè suorum pœniteret. Sed quia derogare non nouit legibus communibus, præsertim fauorabilibus, nunquam alicui sic subtrahit, nec quenquam in hoc punit, vt non possit hoc auxilium, sicut, & generale habere, hoc enim esset legem communem inuertere, & viam terminum facere. Sed punit omnes peccatores qui non conuertuntur in hoc, quod habeant auxilium quo conuertantur.*

Et in cap. 13. de eisdem induratis ait, *quòd simpliciter, & absolutè possint pœnitere, satis, opinor, explicauimus ex eo, quòd quicunque peccator potest cum voluerit, habere auxilium Dei efficax ad resurgendum.* At profectò non ita potest peccator habere cùm velit physicam prædeterminationem, cùm nec velle hoc possit, nisi ad illud velle prædeterminetur, vt satis in superioribus deductum est. Ergo ex sententia huius auctoris auxilium efficax non consistit in physica prædeterminatione. Quod verò idem auctor subdit, aliquos in sensu composito non posse conuerti, ipse tum in illo, tum in capite præcedenti satis exponit de sensu composito cum præscientia Dei quoad impossibilitatem simpliciter, vel de sensu composito cum aliqua praua consuetudine, vel frequentia peccandi quoad moralem impossibilitatem. Et his opponit potestatem simpliciter, quæ consideretur ex vi præuenientis auxilij sufficientis cum libertate arbitrij, & dicit esse in potestate cuiuslibet peccatoris habere auxilium efficax ad suam conuersionem, quod verissimè dictum est, & repugnat, (vt ostendi,) cum physica prædeterminatione. Signum ergo est Vegam nunquam de illa cogitasse pro auxilio efficaci explicando. Vnde inferius per auxilium efficax explicat concursum simultaneum, quam Deus nemini negat, si per eum non steterit, quod sano modo intelligendum est iuxta superiùs dicta. Concursus enim actualis dicitur specialiter efficax, quia ex natura sua est necessariò coniunctus cum cooperatione liberi arbitrij, nec potest ab illa separari, quod non habet auxilium excitans, & ideo nec habet illum modum efficaciæ, nec semper est efficax, licèt alio modo, scilicet, ob congruitatem sæpè sit efficax, vt explicacimus.

2. Idem Vega.

Tertiò potiori ratione pro nostra sententia profero Alphonsum à Castro lib. 7. cont. hæres. verb. *Gratia* hæres. 1. quem etiam in lib. 3. de Auxiliis allegaui. Et licèt aduersarij abnuant fortasse, quia non loquitur expresè de prædeterminatione physica illam negando, tamen negare non possunt, quin explicando ex professo auxilia gratiæ, & concordiam eorum cum libertate, ita de illa prædeterminatione tacuerit, vt non solùm illam negare, sed etiam prorsus ignorasse ostenderit. Nam in primis per quinque assertiones, quas *catholicas* vocat, quarta est. *Postquam Deus voluntatem nostram excitauit ad bonum, est in ipsa hominis voluntate hæc potestas, vt Deo mouenti, & inspiranti consentiat, vel dissentiat*, Respondendo autem ad primam obiectionem, illam magis declarans dicit, *hanc esse arbitrij nostri libertatem, vt Deo mouenti consentiat, & cooperanti cooperetur.* Vbi iam non de sola potestate, (quod aduersarij arripere possint,) sed de actuali conuersione loquitur, & ad illam nihil aliud, quàm excitantem gratiam, & cooperationem Dei requirit, & addit. *Deus autem nunquam seipsum nobis negat, imò semper paratus est, vt nos excitet, & adiuuet.* quod non satis esset, si prædeterminatio esset necessaria, quia ad illam non est omnibus Deus paratus, imo quod illum se multis, & innumeris

3. Adducitur *Alphonsus à Castro.* Obiectio.

Soluitur.

homi-

hominibus negat. Et in responsione ad 2. obiectum eandem doctrinam pluribus verbis repetit, & apertè docet ad opera gratiæ hæc duo tantùm auxilia esse necessaria, scilicet, *præuentionem, & cooperationem.* Præuentionem autem exponit, dicens. *Deus ergo præuenit mouendo, & excitando, nos autem sequimur obediendo per consensum. Cooperationem* autem vocauerat in assertione 3. *concausationem generalem Dei*, & per illam in dicta responsione dicit Deum adiuuare infirmitatem nostram, & nos vocari à Paulo *coadutores Dei*, *Ex quibus verbis* (ait) *apertè satis colligimus in eodem opere simul Deum, & nos operari.* Docet ergo omnia, quæ nos de his auxiliis sentimus, & dum nihil addit, indicat hæc sufficere, alioqui mutilâ doctrinam tradidisset, & insufficientissime obiectionib⁹, & difficultatibus satisfeciſſet. Eandem doctrinam confirmat in l. 9 verbo *libertas*, hæres. 1. circa finem, & omnia quæ in confirmationem libertatis ibi adducit, eò tendunt, vt ostendat non solum hominē de se liberum esse, sed etiam postquam Dei præuiam motionem accepit, sui iuris esse, vt in hanc, vel illam partem determinari incipiat. Et apertè dicit Deum expectare hanc hominis cooperationem liberam postquam illum vocauit.

10. Attexitur *Michael de Palacios*

Quartò Ibet hic Michaelem de Palacios attexere, quem in lib. de auxilijs prætermisi, quia de concursu Dei aliter quàm nos loqui, & sentire visus est in 1. d. 46. Nunc autem, quia inuenio illum pro physica prædeterminatione allegari, cogor illius sententiam expendere, vt veritas innotescat. Citatur ergo in 2 dist. 25. & 26. quia dicit, *Deum bifariam mouere liberum arbitrium, efficaciter, & inefficaciter*, quæ verba habet in d. 25. in vltimo §. totius disputationis, respondendo ad argumentum in principio positum. Sed videamus quomodo membra illius partitionis exponat, ait, *Inefficaciter quidem mouet, quando excitat, vocat, præuenit, non subsequuto effectu. Efficaciter verò quando incipienti Deo cooperatur liberum arbitrium, & monenti salutem, paret nostra voluntas.* quæ verba si in Molina inuenirentur, dicerent fortè non distinguere auxilium efficax ab inefficaci, nisi ab euentu, & illum sequi, vel non sequi pro innata voluntatis nostræ libertate; ergo vt minimum ex eis colligere debemus, eum non posuisse motionem mediam inter excitationem, & consensum, in qua consistat efficacia, sed ipsam excitationem vocari efficacem, quando ita datur, vt obtineat consensum inefficacem verò, quando illum non consequitur. Addit verò aliquid, quod videtur nobis contrariū, videlicet, quando Deus mouet inefficaciter, tunc necessariò sequi consensum. *Cæterum quando efficaciter mouet, tunc liberum arbitrium necessariò cooperatur*; qualis autem sit illa necessitas, ita exponit. *Nam hoc est efficaciter moueri, quod subsequatur cooperatio liberi arbitrij.* Non ergo ponit necessitatem in causa, seu in intrinseca virtute motionis, sed in effectu, quia cùm dicitur motio efficax, iam dicetur illi cooperari liberum arbitrium. vnde adiungit, *Ad hæc necessitas non est simpliciter, sed secundùm quid, quia illa cooperatio liberi arbitrij est necessaria sub instanti, sub quo est, quia omne quod est, quando est, necesse est esse, at est libera simpliciter, quia poterat liberum arbitrium illam non præstare.* Ac si diceret, est necessitas consequens, non antecedens, id est, ex suppositione ipsius vsus liberi, non ex suppositione motionis, nam illa non obstante posset arbitrium suam cooperationem non præstare. In dist. autem 26. vbi de gratia operante, & cooperante disputat, nullam aliam præoperantem gratiam actualem agnoscit, *nisi auxilium*, (ait,) *quo Deus excitat mentes ad bene volendum*, quod auxilium vocat etiam gratiam præuenientem, & vocationem, quam cum Augustino *effectricem bonæ voluntatis* appellat. Vnde repetens inferiùs diuisionem gratiæ efficacis, & inefficacis dicit, tunc esse inefficacem quando est sola gratia operans, efficacem verò quando est etiam cooperans; tunc autem est cooperans, quando cum illa agit liberum arbitrium. Nullam ergo prædeterminantem gratiam hic auctor agnouit. In eo verò, quod alibi dixit de concursu Dei, vel non satis consequenter loquitur, vel certè in modo tantùm loquendi differt, vt de Soto diximus, nam eodem modo, quo Soto, de prioritate naturæ generali concursus loquitur.

Deus bifariam liberū arbitrium mouere.

Venio ad alios auctores, qui contra Caluinum ex professo scribentes punctum huius causæ distinctiùs attigerunt. Quinto ergo loco numeramus Ruardum, quem Bannez, & Ledesma ingenuè fatentur sententiam nostram docuisse; Cumel verò cùm id simpliciter negare non sit ausus, dicit saltem variè sensisse, & interdum in vnam, interdum in alteram partem declinare, ac denique vtranque partem censuisse probabilem. Quoniam verò hic auctor in art. 7. contra Lutherum ferè à principio per multas paginas punctum hoc prosequitur, ad iudicium ferendum de illius sententia, non hæc, vel illa verba separatim sumpta sumenda sunt, sed tota series doctrinæ est attenté inspicienda, & non quid dubitationis mouendo, aut difficultatis proponendo, sed quid definiendo, & assertiones stabiliendo dicat est considerandum. Primò ergo pro fundamento totius materiæ ponit receptam definitionem liberi arbitrij, quam nos in Prolegom. 1. posuimus. *Liberum arbitrium est facultas, qua positis omnibus requisitis ad eligendum, & agendum possumus non eligere, & non agere.* quam descriptionem de potestate composita cum omnibus requisitis declarat, dicens. *Ita videlicet, quòd omnibus simul se habentibus quando eligimus, possumus non eligere, imò eorumque refutare, & quando non eligimus, aut refutamus, possumus eligere, aut refutare.* Statim verò proponit difficultatem de generali concursu, dicitque esse facilem, quia Deus mouet vnamquamque causam modo illi accommodato. Propterquod ait, *Deus liberum arbitrium sic mouet, vt non exnecessitate moueat, nec ad vnum ipsum determinet*, quæ duo æquiualentia censet, & ideo vtrumque negat, ea verò verbis distinguit, vt tergiuersationibus occurrat. Ex hoc ergo fundamento post plures columnas §. *Et quia articulus*, procedit ad tractandum de concordia libertatis in operibus pietatis, cum necessitate gratiæ ad illa exercenda, & infrà in §. *Et post hoc per liberum arbitrium*, nomine *gratiæ* inclarat intelligi *auxilium gratuitum animam interius mouentis, dirigentis, & inspirantis ei cogitationes salutares, ad bonum propositum, atque ad ea, quæ sunt salutis.* Et infrà dicit, *Deum in corde operari, illuminando intellectum, & voluntatem afficiendo.* Et iterum, *Diuina suggestio, suggestio, pulsus ad ostium cordis, directio Dei, quando intus in corde fiunt, propriè sunt gratia, per quam bene agimus. Omnis tamen affectus Dei gratuitus, qui naturalem est salutem hominis promouere gratiæ hic intelligi potest.* Et addit, *hanc esse gratiam, qua in interna Dei motione consistit.*

Ex quibus constat nullum aliud auxilium præmouentis gratiæ hunc auctorem cognoscere, nisi illud, quod in his motibus gratiæ excitatis consistit. Posteriores verò columnas attingens cooperantem gratiam dicit, *Licèt gratia sit ratio operandi; nihilominus totum pium opus, & quidquid est eius, & gratiæ esse, & liberi arbitrij.* Et rationem infrà indicat, quia licèt actio habeat à gratia, quòd supernaturalis sit, à voluntate habet, quòd sit libera, *Nulla enim est actio* (inquit) *libera, nisi per vim, & naturam liberi arbitrij à qua sola nascitur omnis libertas.* Paulo verò inferius difficultatem quæstionis huius concordiæ argumentando, & dubitando dicit. *Deum vti voluntate, vt instrumento, applicando illam ad opus* quam difficultatem etiam in operibus

ribus liberis naturalis ordinis inueniri dicit. *Quia per diuinam prouidentiam voluntas mouetur, & determinatur ad opus.* Cui postea respondet, Deum agere in cordibus nostris *suasione inclinando, & diffuasione auertendo. Quia nouit*, (inquit,) *Deus vocare vnumquemque quomodo pro suo arbitrio aptum, & idoneum nouit ad sequendum.* Quod latè testimoniis Augustini à nobis suprà citatis confirmat, nec alium modum, quo Deus voluntatem nostram determinet, admittit. *Quia suasio sola*, (dicit paulo inferiùs,) *siue ab homine, siue à Deo fiat, non mouet efficaciter voluntatem. Ipsa enim sola*, (inquit,) *ex suo iudicio se flectit in eam partem, qua magis placet.* Vbi particula *sola* non excludit generalem concursum simultaneum Dei, excludit ergo prædeterminationem efficacem ab extrinseco agente. Nihilominus tamen statim subdit, *posse Deum efficaciter flectere, hominis voluntatem, à proposito, quod habet in aliud.* Hoc verò consequenter exponit de efficaci motione per suasionem accommodatam iuxta infinitam scientiam, & potentiam Dei, sic enim ait, *Sed hoc facere potest Deus in operibus pietatis per semina sanctarum cogitationum, & affectionum, quibus misericorditer hominem præuenit.* quod testimoniis Augustini latè comprobat.

13. Hoc ipsum prosequitur in §. *Potest etiam homo*, vbi parum post principium distinctiùs proponit quæstionem, quam obscuram, & perplexam esse dicit. *An bonus vsus gratiæ, qua à Deo præuenimur, & qua voluntas ad conuersionem præparatur, nostri sit liberi arbitrij*, &c. quam disputat variis Augustini testimoniis, quibus docet conuersionem esse tribuendam libertati voluntatis, non tamen soli, sed diuinitus adiutæ, vtique per cooperantem gratiam. Quia verò Augustinus in multis locis videtur loqui de sancta cogitatione, & illuminatione, quæ ad intellectum pertinet, addit inferiùs Ruardus, quòd licèt præter suasionem ex parte intellectus, *exigatur alia gratia, per quam immediatè inclinetur, & accommodetur voluntas per pium affectum, per quem etiam voluntas à Deo effectiuè flectatur, nihil mutat, neque impedit voluntatis libertatem in libero vsu gratiæ, quia ita suauiter inclinat, & determinat eam Deus, vt ex consilio, & iudicio, & sic liberè sequatur hanc Dei appropriationem.* Ex quibus verbis non satis perpensis existimauit F. Cumel docuisse Ruardum prædeterminationem physicam ad consensum non repugnare libertati consensus. At Ruardus longè est ab illo sensu; sententia enim eius in eis verbis est, præter illuminationem intellectus mouere etiam Deum voluntatem, determinando illam ad aliquem affectum non liberum, sed necessarium, nec propterea lædi libertatem in bono vsu gratiæ, quia ex illo priori, ac necessario affectu sequitur per liberam determinationem consensus. Quem sensum euidenter declarat, dum addit. *Spiritus Christi suadendo vt sequamur, simul voluntatem quasi naturaliter efficit placentia quadam rei suasæ, quæ est voluntati ratio se determinandi, principium, & seminarium bonarum volitionum, quas ex eo quasi semine producit.* Non poterat certè clariùs, aut doctiùs rem explicare, & ostendere, neque ponere præuiam motionem gratiæ, nisi per actus vitales, tam voluntatis, quàm intellectus, nec ponere necessariam consecutionem consensus ex talibus actibus, sed docere ad illum se determinare voluntatem gratiam adiutam. Et, quod caput est, subiungit statim. *Quod autem diximus de libero vsu, liberòque neglectu gratiæ, quæ datur ad pœnitentiam, & conuersionem peccatoris, quòdque & ad ipsam vel vti possumus, & conuerti, vel negligere etiam eam, quæ ad conuersionem est sufficiens, sic quod ea stante non conuertamur, adeo vt in neutra parte contradictionis sit necessitas, sed mera contingentia, definitum esse in Concilio Tridentino, in decretis, & Canonibus de iustificatione.* Et post verba Concilij adiungit. *Nam sicut credere voluntarium est, ita & de peccatis propter Deum pœnitere, & ab eis ad Deum conuerti, nec vlla ad hæc esse potest per quancumque gratiam necessitas, quin contemni possit.*

Post prædictam verò resolutionem, quam satis constanter tradit, mouet alias quæstiones, quibus per varias assertiones respondet, quarum plures eandem doctrinam continent, & extendunt potius quàm diminuant. Nam in prima ait, posse hominem ex viribus liberi arbitrij sufficientem vocationem non contemnere, quia potest non peccare, & contemnere esset peccare. In secunda verò ait, percipientem Dei pulsum posse sine noua gratia habere sibi gratum, quòd Deus cor eius pulsare dignetur, vtique per nouum actum liberum, vt euidenter exponit. In quo necesse est, vt de gratia præueniente loquatur, nam noua gratia concomitans semper necessaria est, vt in tertia assertione statim declarat. Quod ergo in prima dicit, de viribus liberi arbitrij intelligendum est, vel præcisè, spectando libertatem actus, vel meliùs non excludendo concomitantem gratiam, quæ semper ad non peccandum contra naturale præceptum necessaria est; nam quia illa non præcedit liberum arbitrium, sed comitatur illud, ideo non semper exprimitur. Vnde vniuersaliter addit in quarta assertione, *Omnes gratias, quæ sunt nobis operandi principia, aut quibus dirigimur, & protegimur, & vniuersa, quia præcedunt tempore, vel natura Dei operationem efficacem, esse posse sine vsu & fructu*, &c. *nec voluntati adducere necessitatem.* Et in quinta, & sexta explicat gratiam efficacem per *vocationem ex proposito.* In septima verò clarissimè attestatur eandem vocationem in vno non habere effectum, quia sola sua libertate illam negligit, ideo verò habere conuersionis effectum, quia ipso annuente Deus conuersionem eius efficaciter operatur, vtique auxilio simultaneo. Nam ideo subdit, in hoc seruari proportionem inter supernaturalia, & naturalia. *In eo enim*, (ait,) *qui vult ambulare, etiam Deus cooperatur, & si non vult, Deus ei non cooperatur, & tamen nihil est positiuum absolutum ante actionem in vno, quod non sit in alio.* Eandemque doctrinam repetit in assertione 10. de duobus æquè vocatis, quòd ex libertate vnus consentit, & non alius. Et reddit rationem. *Quia omnibus positis, quæ præcedunt, & requiruntur ad fidem, & conuersionem, libera manet voluntas, nullaque inducitur necessitas se determinandi ad credendum, vel sequendum vocationem, nec ad oppositum.* Quod ex Augustino latè probat, & inferius addit. *In omni enim materia, ita pietatis, & gratiarum, sicut morali, & ciuili ad voluntatem pertinet se determinare ad vnam, vel alteram partem.* Et addit verba notanda. *Et quamuis sub Dei determinatione, non tamen propterea minus liberè se determinat, quàm si non concurreret, nec determinaret Deus.* Quod profectò dicit propter concursum simultaneum, quem determinationem Dei appellat, quia verè efficit determinationem ipsam voluntatis, quamuis non sine ipsa se determinante. 14.

Et ideo paulo inferiùs cùm dixisset non obstante hac libertate nostræ determinationis, eos, qui secundùm propositum vocantur, indeclinabiliter sequi Dei impulsum, addit, id fieri modo occulto, & soli Deo cognito, solùmque constanter affirmat *directionem Dei nihil ponere in homine sic indeclinabiliter directo, præter motus cordis, quales sunt etiam in alio, qui secundùm hoc propositum non dirigitur.* Vnde paulo inferius sic inquit. *Potest quidem humana voluntas resistere diuino instinctui, sed non potest impedire intentionem prædestinantis Dei, quia corda hominum in manu Dei sunt, & quocunque voluerit, inclinabit ea, quamuis se efficienter sola determinet*, vbi particula *sola*, (vt sæpe dixi,) excludit prædeterminationem ab alio, non concur- 15.

sum, nec influxum simultaneum comitantis gratiæ, vt paulo antea ex Prospero citauerat lib. 2. de vocat. gent. cap. 9. aliàs 25. Non potest ergo de huius auctoris sententia dubitari, nimirum, quòd in neganda physica prædeterminatione nobiscum conueniat. Nam licèt interdum dicat esse obscurum, quid addat vocatio congrua non congruæ, non id dicit propter physicam prædeterminationem, quam pro certo supponit, non addit, sed propter alios modos tollendi aliqua impedimenta, auertendi cogitationes, vel quid simile, de quo etiam inter nostros auctores est controuersia, vt in cap... dicam. Atque eodem modo, multo post respondendo ad Caluinum in §. *In eo hallucinantur*, eandem doctrinam repetit, videtur tamen illam solum tradere, vt probabilem, *ita vt liceat vnicuique in suo sensu abundare*. Sed hoc non de physica prædeterminatione intelligit, sed de quæstione illa, an in eo, qui conuertitur, aliquid prius natura præcedat, quod non detur ei, qui non conuertitur. In hac enim quæstione licèt ipse negantem partem, vt probabiliorem sequatur aliam relinquit aliorum iudicio, addit verò statim. *Quod autem Caluinus hic proponit, quòd scilicet, motio Dei electionem excludat, improbabile est, & Scripturæ, & Patribus aduersatur*. Quid autem est electionem excludere, nisi prædeterminare physicè? Et addit notabiliter. *Efficacia enim diuinæ motionis, qua cor hominis ex prauo fit rectum, hominis fit cooperatione*. Hæc paulo fortasse fusius, quàm par esset à me dicta sunt, cogit tamen nos iusta veritatis defensio, nec credimus futurum inutile, nam in his, quæ retulimus, multa tetigimus, quæ veritatem ipsam magis explicare, & confirmare, & aliquas duriores locutiones lenire, & interpretari valent.

Prosper.

16. Adponitur Driedo.

Sexto loco ponimus Driedonem, quem pro nostra sententia post nos retulit etiam Ledesma F. autem Cumel doli nos arguit, quòd illum diminutè, & subdolè allegauerimus. *Et mirabiliter*, vt ipse ait, ponderat multa in Driedone de Captiuit redempt. gener. human. in 2. eius parte. In primis videlicet, quòd comparat Deum mouentem liberum arbitrium per gratiam, artifici vtenti aliquo instrumento viuo. Deinde expendit locutiones, quia dicit, gratiam nos trahere, & facere ex nolentibus volentes, & dare non tantùm esse posse, sed etiam velle, præueninere, mouere, ac determinare liberum arbitrium. Facile autem Lector aduertet, hæc omnia generalia esse, & ferè omnia in Scriptura contenta, & ideo nihil referre ad punctum controuersiæ, quod in explicando modo eius efficientiæ, & efficaciæ gratiæ consistit. Vnde quamuis non asseramus Driedonem, in eo capite nostram sententiam docuisse, quia de controuersia non disputat, nihilominus multa in illo obseruari possunt, quibus clarè ostendit, nihil aliud, quàm nos de efficacia gratiæ sensisse.

17. Et in primis illud ipsum exemplum de artifice, & instrumento statim corrigit, assignans differentiam, quòd instrumentum necessitate, & vi impellitur, *libera verò hominis anima*, (inquit,) *à Deo recipit suauitatem quandam, seu inclinationem, qua ex proprio iudicio mouetur, ex libera & spontanea voluntate ad actum, & motum*. Deinde prius comparauerat gratiam lumini, & inter alia illud exponendo dixerat. *Potestas liberi arbitrij designatur in hoc, quòd ipsa mens iam diuinitus mota, & excitata sentiens adesse Iesum saluatorem, & vt cunque percipiens præsentem esse medicum, qui paratus est sanare, & illuminare, potest cordis ostium aperire, pulsare, orare, clamare*, &c. Præterea nunquam motionem Dei præuiam declarat, nisi per excitantes gratias eodem modo, quo Augustinus, & Prosper, quos refert: licque inter alia inquit, *Deus facit sua interna inspiratione præueniens ob bonum voluntatis nostræ consilium, & ex nolente faciens volentem*. Omnia ergo illa, quæ Deus dicitur facere in nobis, vt velimus, & faciamus, intelligit hic Auctor sequens Augustinum, & Patres, fieri per inspirationem, & vocationem, cui nostra voluntas cum cooperante gratia statim coniungitur. Neque aliam motionem medium inter excitantem gratiam, & simultaneum concursum agnoscit, neque vnquam dixit, gratiam Dei determinare voluntatem nostram, vt ei imponitur, sed solùm inclinare, mouere, vel mutare, & similia quæ communiter gratiæ excitanti tribuuntur. At quamuis verbo *determinandi* interdum vtatur, ex reliquis omnibus constaret non de prædeterminatione physica quoad exercitium, sed de obiectiua, & sufficienti determinatione morali, vel de concomitante physica esse intelligendum. Vnde tandem ex pluribus sensibilibus exemplis, & modis loquendi, quibus efficacitas gratiæ declarari solet, illum præfert, *quo dicimus Deum esse spiritualem medicum, & ducem, & illuminationem*. Et inter alias rationes cur illum modum explicandi præferat, præcipua est, quia *ille modus docet nos intelligere quod Deus sua gratia adiuuans hominis neque cogit liberum arbitrium, neque impellit necessitate, neque impedit potestatem libertatis illius*. Et similes sententias, & modos loquendi in illo capite repetit, quibus eandem mentem, & doctrinam testatam reliquit.

Eandem doctrinam eisdem ferè loquendi modis tradidit Driedo in eodem opere tract. 4. cap. 2. p. 5. vbi in prima conclusione dicit, *credere esse in vim arbitrij non solam, sed suasam, & tractam, & elictam à Deo Patre*. Et intere addit, *Quòd Deus interna sua inspiratione facit eorum animos intendere in ea, quæ audiuntur, & accommodare sese, dociles reddere, & accommodare corda sua Domino*. Certè valde aliena hæc sunt à physica prædeterminatione. Vnde subiungit: *præuenit enim non vim inferendo voluntatibus, sed suauiter trahendo eas, suasionibus suggerendo, & inuitando*. Et multa similia ibi prosequitur, quibus satis euidenter hanc mentem suam ostendit.

Magis verò in specie attingit punctum controuersiæ idem Auctor in tract. 5. eiusdem operis cap. 4. nam in ca. 1. argumen. 2. confirmat vltim. vt probaret omnibus non dari auxilium necessarium ac sufficiens, obiecerat, quia ex duobus audientibus Euangelium, vti datur auxilium vt credat, alteri non datur. Respondet autem secundùm ordinem prædestinationis vnum credere, *quia Deus ita eius voluntatem præparauit inuitando, & suggerendo, qualiter apta nouit, vt crederet*: alium verò non credere, quia non habuit illo modo præparatam voluntatem, sed hoc ideo fuisse, quia ipse ex parte sua contempsit vocationem, vt Augustinus de Iudæis dicit, nō potuisse credere, quia noluerunt, sed oculos clauserunt. Vnde ex parte Dei ille, qui non credit, habuit auxilium, vt posset credere, *& sese ad accipiendam fidem accommodare*. quæ doctrina eadem est cum nostra, nam per vocationem congruam, explicat efficaciam auxilij, & defendit quomodo sine illa habeat aliquis auxilium verè sufficiens, quia per illum stat, vt sua vocatio non sit congrua, quæ in physica prædeterminatione locum non habent. Et tandem pleniorem illius puncti declarationem in librum de concordia remittit.

At verò F. Cumel nos doli criminatur, eo quòd Driedoni tribuamus ea quæ argumentando, & obiiciendo in illo libro scribit, non quæ docet defiiniendo, in quibus suam sententiam docere vult, quia dicit, Deum facere, vt prædestinati seipsos bene determinent in suis electionibus, & facere, vt consentiant, quamuis liberè, *& quod non solum persuadet, & suggerit, & inuitat, nam hæc pertinent ad causas morales*,

rales, sed etiam vlterius voluntatem bonam infundit, atque immittit, quæ citat ex 2. part. illius libro cap. 2. fol. 39. Nihilominus constanter asserimus, Driedonem eandem doctrinam de vocatione congrua, in vtraque parte luculentissimè, & apertissimè tradidisse. Nam in primis in 1. part. illius operis cap. 4. ad 2. De Tyrio & Sidonio, (inquit,) *quòd isti credidissent si virtutes illæ quæ factæ fuerant in Iudæa, in illis factæ fuissent. Sed huiusmodi*, ait, *virtutes fuerunt, non solum miracula, & verba foris impen a sed & beneficia quædam intus pulsantia Iudæorum pertinacium corda*, Vbi apertè docet eisdem beneficiis internis fuisse Tyrios credituros, non ergo prædeter minatione. Et paulo inferiùs in eodem capite explicans egregiè, ac defendens Chrysostomi locutiones in hac materia inter alia dicit, *Verissimè dicimus nostram esse incipere, & credere, obedire, pulsare, petere, inuocare, quia talia non fiunt sine nostro arbitrio, cum sint nostri arbitrij opera. Sed vt hæc libera voluntate faciamus, misericordia Dei præueniens intus vocans, & suggerens operatur, largiens spiritum fidei.* In quibus verbis maximè pondero verbum *incipimus*, in quo scrupulosissimi sunt aduersarij. Driedo autem intrepidè affirmat voluntatem iam præuentam, & excitatem incipere suum consensum, vtique se nondum prædeterminatam determinando, Deo illi cooperante. Multàque similia in discursu illius capitis dicit, quæ longum esset referre. Solùm ergo obseruo, nullum motum præuenientis gratiæ ponere, nisi ad excitantem gratiam pertinentem, referendo, & confirmando, quæ in tract. de captiuit. & redempt. dixerat.

21. Iam verò in secunda parte illius operis, quæ tria habet capita, nullus est, qui ignoret, quin primo capite argumentando procedat, nec ego scio aliquem ex nostris, qui mentem Driedonis ex illo capite collegerit, nec ex secundo capite, in prima parte illius, nam ibi præambula quædam tradit generalia, & omnibus communia. Neque etiam in secunda parte illius capitis, ego illam allegaui in libris de auxiliis; quia verò inde obiiciuntur verba allegata, respondeo, ibi constituere Driedonem differentiam inter dæmones, & Deum, quod Dæmon potest proponendo obiectum inuitare, *sed non potest producere cogitationem malam, aut voluntatem malam, Deus verò non solum inuitat, nec solum sua dat, aut suggerit, sed & voluntatem bonam infundit, ac immittit.* Quæ differentia verissima est, locumque habet, etiam in ipsis motibus gratiæ excitantis ante consensum. Nam dæmon licèt possit tentare exterius, vel per phantasmata, non tamen potest in intellectu efficere cogitationem, aut in voluntate aliquem motum etiam primò primum, Deus autem per se efficit in voluntate affectionem bonam, & dilectionem, & complacentiam non liberam. Quam etiam differentiam nos suprà constituimus, vt ostenderemus, maiorem Dei efficaciâ in persuadendo, & trahendo voluntatem, quamuis illam non determinet. Illa ergo verba nihil ad præsentem causam referunt. Imò post illa subiungit Driedo. *Neuter tamen*, (id est, nec Deus, nec Diabolus,) *hominis voluntatem cogit, sed vterque exigit liberum hominis consensum.* Et paulo inferiùs etiam de diuina prædestinatione dicit, quòd libertatem non cogit, & addit. *Sed neque vrget vlla necessitate, quod tam in bono, quam in malo, ita libere operatur, vt facere, & non facere æquè in eius sit potestate.* Quod quomodo verum sit si prædestinatio infert physicam prædeterminationem, non video. Cætera verò quæ ibi dicit, maximè in conclusione 5. verissima sunt, & communia, ideòque ad probandam physicam prædeterminationem non pertinentia. In illa ergo parte illius operis tertium caput est maximæ considerationis, quem locum in libro 3. de Auxilio allegaui, licèt vera omiserim, quia sunt clarissima, præsertim in solutione ad primam secundæ partis §. *Quantum verò attines ad liberum arbitrium*, ibi enim in primis ait, *homines à Deo iustificatos suis consiliis, &c. ipsos determinare ad bonorum operum electionem, sed Deum facere, vt homo sic determinet.* Declarans autem quomodo id faciat Deus, subiungit. *Ipse est à quo sancta sunt desideria, recta consilia, & iusta sunt opera, non quòd nos hæc non faciamus, sed quòd ipse adiuuet, vt nostra voluntate hæc omnia faciamus.* Et addit, quod notandum est, *Nostraque sponte incipiamus recte nobis consulere, & de agendis pro nostra salute deliberare.* Et infrà repetit, quidquid Deus erga nos incipiens operatur, id facere internis exhortationibus, & inspirationibus. *vt voluntas illis excitata præsidiis illi operanti cooperetur*, quæ sunt verba Prosperi. Eandemque doctrinam in §. *Ad illud* iterum, atque iterum repetit, variisque modis exponit, & semper docet tractionem Dei fieri per motus excitantis gratiæ, per quos voluntas accipit potestatem consentiendi, retenta potestate resistendi, & Deum solùm trahere, & incipere quoad priores motus, non tamen solum operari ipsum consensum. Ac tandem simili modo in solut. ad secundo declarat tractionem hominis ad fidem per illos motus, *post quos homo libera voluntate incipit credere.* Et infrà in §. *Respondeo verissimum*, inter alia quæ pro concordia libertatis cum prædestinatione docet, inquit. *Tametsi homo non possit resistere diuinæ prædestinationi, & intentioni, seu voluntati, quæ est secundum æternum eius propositum, vtique tamen potest resistere diuinæ inspirationi.* Non agnoscit ergo inspirationem, vel motionem ita prædeterminantem, vt ei non possit resistere. Multa denique similia poterit vnusquisque in illo auctore obseruare, sed illa omittimus, quia hæc sufficientissima sunt, tum ad defensionem nostræ fidei in allegando, tum etiam ad veritatis confirmationem.

Constituit Driedo differentiam inter Dæmones, & Deum.

22 Septimò allegare solemus Stapletonium, quia non solùm assertorem, sed etiam propugnatorem nostræ sententiæ existimamus. Veruntamen hunc etiam nobis eripere conatur P. Cumel, & columnam integram contra nos, & in suum fauorem inducit, sumptam ex libro 4. de Iustificatione, seu de Grat. & liber. arbitr. cap. 18. Veruntamen hoc exemplo clarè intelligit Lector, non mala fide (hoc enim tam grauibus, & religiosis viris non tribuam,) sed mala illatione citari auctores ab his Patribus. Nam omnia verba, quæ ibi Cumel refert, generalia sunt, vt quòd nemo resistit voluntati diuinæ, quod salua libertate hominis, habet Deus omnipotentissimam potestatem in cor eius, quòd iustificatio est quædam creatio, quia principium eius ex solo Deo est, vt datur gratia efficax, & quòd Augustinus tribuit alicui vocationi efficacissimam & infallibilem operationem, salua libertate, quodque potissima, & efficacior causa, cur ex duobus vocatis hic conuertitur, & non ille, est diuina voluntas, prædestinatio, & gratia. Ac denique quòd *licèt voluntas possit semper resistere gratiæ, nihilominus aliquando infallibiliter non resistat.*

Allegatur Sta. letonius Cumel.

23. Ex quibus omnia priora sunt à nobis in superioribus tradita, & comprobata, hoc autem vltimum maximè repugnat aduersarijs. Nam de auxilio prædeterminante docent, non solum voluntatem illi non resistere, verum etiam nec posse resistere. Stapletonius autem optimè docet omni præuiæ motioni Dei posse voluntatem resistere, licèt interdum infallibile sit non resistura, quia motio datur ex proposito, seu absoluta intentione Dei in occasione opportuna, cum præuia certitudine ex parte Dei, quæ in verbo *infallibiliter* denotatur. Vltra hoc verò expendat Lector, non vnum, vel aliud verbum illius libri, sed totam doctrinæ seriem à principio vsque ad

finem, & sole clarius videbit, neque in vno verbo à nostra doctrina discrepare. Nam antea ponit præparantem, seu præuenientem, ac præmouentem, ac præuiam gratiam, quam Deus facit in nobis sine nobis liberè cooperantibus, & merè gratis, & in hac ponit initium iustitiæ, eamque constituit in motibus, & actibus vitalibus gratiæ excitantis, & per hanc dicit facere Deum vt velimus, & similia: huic verò statim subiungit voluntatis libertatem cum cooperante gratia neque aliam motionem prædeterminantem præuiam agnoscit.

24. Vt autem hoc fiat euidentius, & certissimè constet quantum cohæreant illæ locutiones generales cum nostra doctrina, non grauabor ad litteram referre alia eiusdem Auctoris testimonia, in quibus formaliter, & expressè prædeterminationem refutat, & congruam vocationem stabilit. Igitur in Antidotis Apostolicis ad Acta Apostolor. capite 9. circa illa verba Pauli, *Domine, quid me vis facere?* impugnans Caluinum, & defendens libertatem etiam in conuersione Pauli inter alia multa dicit. *Tota illa vox Christi foris audita, & tota interna diuini Spiritus pariter loquentis inspiratio, atque persuasio nihil aliud erat, quàm excitans, & præueniens gratia solius Dei, eiusque ineffabilis misericordiæ opus, sed gratia efficacissima, quia congrua, quia cum talibus visis coniuncta, quæ ad Sauli animum expugnandum aptissima esse, & certissimum effectum consequutura Deus præuidit, non autem talis gratia, quæ in ipso conuersionis instanti liberam Paulo cooperationem, liberam consentiendi, vel non consentiendi electionem tolleret.* quam doctrinam variis Augustini testimoniis confirmat, & post illa rem magis declarans adiungit. *Hinc etiam certò colligimus, gratiam præuenientem, quæ non nisi à futuro effectu, efficax gratia est, (nam gratia adiuuans, siue cooperans, à qua Caluinus semper abhorret, est in ipsa actus productione, siue in ipso conuersionis, aut alterius cuiusque boni operis actu,) non tantùm natura, sed & tempore interdum hominis cooperationem, seu conuersionem prouenire. Vnde rursus sequitur, à præuenienti gratia, quantumcunque efficaci, humanam voluntatem non determinari, sed liberam relinqui. Quidquid enim voluntatem formaliter determinat, siue in malum, sine in bonum, non potest esse ipso actu voluntatis prius, nisi prioritate naturæ, in quantum videlicet à tali principio ille actus procedit. Nam actus voluntatis etiam in primo instanti, in quo producitur, sicuti duplex habet principium, à quo fit, Dei gratiam, & propriam voluntatem, ita à neutro prius quàm ab altero, sed ab vtroque simul in eodem instanti naturæ producitur. Hoc nempe est, quod sapienter Bernardus scripsit,* inducitque verba Bernardi, quæ à nobis in superioribus in eodem sensu tractata sunt. Eandem doctrinam inculcat idem Auctor in epistola ad Romanos, capite nono vbi pro fundamento efficaciæ gratiæ scientiam conditionatam supponit, vt in secundo Prolegom. vidimus. Item super Ioann. capite 15. & in Proptuar. Catholico fer. 6. hebdom. secundo Quadragesi. & fer. tertia multa dicit, quæ in eo videri possunt, hic enim omnia referre nimis prolixum est.

25. Adiungitur *Iacobus Paiua.* Octauò his adiungo Iacobum Paiua, qui in libro 4. Orthodoxar. explicat causam Patrum societatis Iesu contra calumnias Chemnitij assumpsit. Hic enim cùm libertatem arbitrij cum Luthero euerteret, Iesuitas Pelagianismi insimulauit, eo quòd libertatem cum gratia conciliarent, Paiua verò ita sententiam nostram interpretatur, & tuetur, vt simul prædeterminationem physicam non quidem his verbis, sed æquiualentibus, auferat, quia non credidit aliter posse Chemnitij errorem refelli, aut vitari; vnde consequenter ostendit quàm iniustè huius orthodoxæ sententiæ aliquid Pelagianismi erroris tribuatur. Quæ omnia, vt euidentius constent, pauca ex multis, quæ ille docet, ad verbum proferam. Et primò Iesuitarum doctrinam his verbis proponit. *Et sanè, (inquit,) quamuis nos à diuina misericordia pendeamus, quamuis nihil boni operetur fidelis, quod in illo non efficiat Deus, quamuis non solùm gratia conferatur, vt conuerti possimus, sed etiã vt conuertamur, etsi gratia hæc, quæ ad operandum necessaria est, & velle facit, non sit quæcunque inspiratio, aut cogitatio sancta, seu boni propositi suggestio, sed efficax Dei operatio quamuis hæc omnia vera admittamus, & ex D. Augustino variis locis elici posse concedamus, hominis tamen semper liberum relinquitur diuinæ operationi præbere impedimentum, eámque vel amplecti, vel etiam repudiare.* Et adiungit. *Hæccine verba Chemnitij sunt liberum arbitrium à diuina gratia seiungentium?* Quod declarans addit inferius. *Apertè confitemur mentem nefariis cupiditatibus pressam, & scelerum monstris occupatam, à miserando illo statu respirare nunquam posse, nisi diuina gratia alliciatur, & diuino Spiritu quasi stimulis quibusdam excitetur. Neque item oblatam sibi gratiam amplexari, nisi peculiaribus Spiritus sancti impulsibus adiuuetur, aut, (vt suis vtar verbis,) nunquam si ad gratiam applicare hominem posse, nisi eadem cælestis gratia adiumento sit. Quod tamen non impedit quominus liberũ arbitrium vltrò gratiam apprehendat. sicque illi liberum eam reiicere, & aspernari.* Et inferiùs iterum. *Quòd si voluntas à Deo mota non vltrò vult, hoc est, non liberè sese ad gratiam applicat, voluntas dici non potest.* Et infrà, *Quare qui diuina gratia hominum voluntates ita ad iustitiam allicuntur, vt liberũ illis nullo modo sit eam aspernari, & respuere magis quidem iustitiam humanis mentibus à Deo obtrudi, qã efficere, vt illam velint, existimare videntur.* Egregia quidem sententia, quæ & aduersarios pungit, & potissimũ illorum fundamentum in illos retorquet. Nam sine potestate resistendi ostendi non subsistere libertatem nostram cum diuina motione, & ideo Deum non ita facere velle, vt nobis eripiat potestatem resistendi, quia illud magis esset obtrudere iustitiam, quàm facere vt illam humano modo cum dominio nostri actus velimus.

Vnde tandem in hunc modum concludit. *Ex quibus manifestum fit, atque testatum efficientem causam applicationis animi ad gratiam, hoc est, internis Dei vocibus auscultandi, vel ingratè aspernandi esse tum gratiam ipsam, tum liberum arbitrium. Quæ duo nisi simul concurrant, fieri certè non poterit, vt humana mens se toto impetu ad iustitiam adiungat. Nam etsi quædam sint, quæ Deus in nobis nullo nostro consensu antecedente efficiat, vt ad se nos vocare, voluntatem nostrã ad iustitiæ amorem excitare, huic tamen gratiæ non repugnare, atque obsistere, sed ad illam se applicare, & admouere, atque diuino beneficio ad se delatam non repudiare, neque nostrum liberum arbitrium diuini auxilij expers posse, neque diuina virtus in nobis facere, libero arbitrio non consentiente, solet. Vnde liquet ex gratia, & libero arbitrio vnicam causam conflari nostræ ad iustitiam applicationis. Quare à Theologis nostris appositissimè hæc Dei gratia cooperans appellatur, quia vnà cum libero arbitrio operatur, vt diuinam gratiam non respuat, sed complectatur.* Nihil quidem, & ad defensionem nostram, & ad veritatis declarationẽ, & probationẽ distinctius, aut efficaciùs dici poterat. Et nihilominus P. Cumel malè etiam ferit, quòd hunc virum pro nostra sententia allegauerim.

Nonõ est graue testimonium Ioan. à Bononia in l. de prædest. ante sexaginta annos euulgato, vtique anno 1555. vbi ipse docet libertatẽ consensus nostri cum diuina gratia in hoc consistere, quòd voluntas resistere possit, & interdũ resistat illimet præuenienti gratiæ, cum qua potest consentire, & interdũ etiã consentit; postea verò addit. *Cæterum non desunt modi homines, quamuis omni pietate præditi, aliter de libero hominis assensu dum iustificamur, quã nos sentientes, ac ideo Oecumenici Concilij Tridentini decreta obscurare quodammodo etiam videntur, dum aiunt, habere homines libertatẽ arbitrij, vt excitationi, & admonitioni diuinæ* resistere possint, sed libi diuinæ

diuinis inspirationibus, atque monitionibus suppositis nullum resistere arbitrium. Obscurare autem dixi, quoniam ex dictis Reuerendissimi Domini Hieronymi à Bonania Sanctissimæ Sedis Apostolicæ Nuncij dignissimi, necnon Archiepiscopi Conitani, Professoris Theologiæ peritissimi, atque sacri Palatij Magistri eximij, apud Carolum Imperatorem V. cognomine Maximum, Residentis eandem opinionem in sancta Tridentina Synodo fuisse summa diligentia à Patribus discussam, & tanquam minus probabilem optimo iure percipi retectam.

18. Citatur Corduba. Decimò solet pro hac sententia citari Corduba l. 1. suarum quæstionum q. 55. dub. 9. & 10. nec immeritò allegatur, quidquid in contrarium Cumel conetur. Nam ille Auctor pro comperto habet nullam suppositionem antecedentem, quæ in sensu composito inferat necessitatem, posse simul cum libertate actus stare. Vnde in dubio 9. notabili 2. supponit, vt fundamentum ab omnibus receptum de ratione liberæ potestatis esse, *vt omnibus causis eodem modo se habentibus absq; vlla variatione in se, vel in alia re prius natura, quàm in aliquo instanti velit, possit diuisim non velle, seu nolle pro eodem instanti.* Quod fundamentum rectè intellectum coincidit cum illo principio liberam causam esse, quæ positis omnibus prærequisitis ad agendum potest agere, & non agere. Et ex hoc principio procedit ad difficultatem communem de cõcursu in habito tractandam. In qua (omissis opinionibus quas refert, impugnat,) in summa distinguit inter concursum ad extra, & voluntatem Dei per quam datur. Et de concursu dicit esse concomitantem, & non esse conditionem antecedentem, & ita ex hac parte non repugnare libertati, Voluntatem autem Dei dupliciter, vel potius tripliciter considerat, sed duo signa sunt, quæ ad præsens referunt, vnum est, in quo Deus antecedenter offert suum concursum, & sic dicit, voluntatem Dei esse præuiã & ordine naturæ antecedentem, tamen vt sic non esse voluntatem efficacem respectu consensus voluntatis creatæ, sed tantùm generalem, & illa etiam supposita non consentire. Aliud signum est in quo Deus efficaciter, & in particulari vult concurrere ad talem actum, & vt fiat, & hanc voluntatem Dei negat esse præuiam ordine naturæ, ideoque sub hac ratione non esse conditionem prærequisitam, solumque inducere necessitatem consequentem, quia in secundo signo medio inter illas duas volitiones Dei intelligitur determinata ad talem actum per coniunctionem ad voluntatem humanam, & prius ratione, quam Deus habeat illam volitionem præuidit hominis voluntatem esse consensuram, & ex hac parte necessitas prouenies ex illa voluntate supponit liberum vsum, & applicationem voluntatis creatæ, atque ita non est conditio antecedens, sed concomitans, & ideo non lædit libertatem.

Cõsideratur voluntas Dei.

29. Et in fine addit, (quod ad præsens refert,) *eodem modo philosophandum esse de concursu auxilij diuini specialis ad opera gratiæ, vel supernaturalia, & ad diligendum Deum super omnia.* In qua doctrina nunc non discutimus modum explicandi concursum simultaneum Dei, sed solùm expendimus, Cordubam in eo laborasse, vt non poneret ex parte Dei concursum prædeterminantem voluntatem humanam, siue ad opera ordinis naturalis, siue gratiæ, quia id credidit esse contra primum libertatis fundamentum. Vnde non solùm tollit prædeterminationem per concursum præuium ad extra, qui fit per modum actus primi, vel tanquam complementum eius. Sed etiã per concursum ad intra, vt sic dicam, seu per voluntatem Dei efficacem, à qua proueniat concursus ad extra, nam dicit talem voluntatem vel non esse efficacem, si est præuia, vel esse concomitantem, si est præuia, vel esse concomitantem, si est efficax. Quod etiam aliqui ex nostris docuerunt. Et ob eam causam recedit Corduba à sententia Scoti dicentis Deum cognoscere futura contingentia in decreto

suæ voluntatis, quia decretum illud non potest esse efficax, nisi præuisa prius futura prædeterminatione libera nostræ voluntatis, quia aliàs tolleret eius libertatem. Non solùm ergo Corduba nostram sententiam, quoad punctum controuersiæ, & substantiale, (vt sic dicam,) sequitur, sed etiam indicat fundamentum eius sumptum ex conditione libertatis esse quasi axioma ab omnibus receptum, neque posse conuelli, & quoad hoc eandem rationem esse de operibus gratiæ & ordinis naturalis.

30. Proponitur *Albertus Pighius.* Vndecimò Albertus Pighius l. 6. de liber. arbitr. paulo post medium, referens illa impia verba Caluini, *Voluntatem proinde mouet Deus, non prout multis seculis traditum est, & creditum, vt nostræ postea electionis sit, aut motioni eius obtemperare, aut refragari, sed illam efficaciter afficiendo.* licèt directè contra Caluinum disputet, ita verò agit, vt simul. prædeterminationem physicam impugnet, nihilque inter illam, & gratiam efficacem, quam Caluinus confinxit, discernat. Vnde Caluino dicenti: *Neque secus accipi sententia Christi potest, Omnis qui audiuit à Patre meo, venit ad me, quam vt efficacem a seipso gratiam doceat,* ille respondet, *Tibi non credimus Caluine, secus accipi non posse hanc Christi sententiam.* Et hac occasione ex professo probat, nec ex his verbis, nec ex aliis, *Nemo potest venire,* &c. *nisi Pater traxerit,* neque ex aliis similibus colligi auxilium præuium, ita ex se efficax, vt liberum arbitriũ non possit ei resistere & sæpius resistat. *Nam trahit Deus, sed voluntatem, vt Chrysostomus ait, & qui audit, venit, si tamen discat, id est, persuadeatur, quod ex eius voluntate pendet, quia Deus, (vt Cyrillus ait,) non vt trahit credentes, tes, sed motione, & reuelatione ineffabiliter facta.* Hæc ille ferè ad verbum.

31. Postea verò cùm Caluinus diceret, *docendos esse homines diuinam benignitatem expositam sine exceptione omnibus, qui eam quærunt, sed cum ij eam quærere incipiant, quibus diuina gratia aspirauit, nec hanc quidem portiunculam de eius laude discerpendam fuisse.* Quæ profectò assertio in sententia, quę physicam prædeterminationem pręuiam requirit, verissima est, & tamen contra illam sic insurgit Pighius. *Hoc doces, omnibus expositam Dei gratiam, qui eam quærunt, sed nullos posse eam quærere priusquam ille suo beneplacito eandem nec desiderantibus, imò auersantibus, intruserit. Quid ergo aliud hic doces, quam nemini eandem esse expositam nec quærendam cuiquam, vt quæ quærit non possit, antequam habeatur, & habita possessaque frustra quæritur, nec in cuiusquam præter quam vnius Dei potestate sit, vt habeatur, aut non habeatur. Hoc est Caluine docere homines? Doctores salutares, & verè Euangelicos.* Certè argumentum si efficax est, æquè procedit contra omnem gratiam præuiam, ac necessariam, & ex se efficacem, siue dicatur necessitare voluntatem ad exercitium atque, siue ita determinare, vt ei resisti non possit, quia omnis talis gratia à nemine quæri potest, nisi iam habeatur, cùm ad illam quærendam necessaria sit, & postquam habetur, frustrà quæritur. Est autem argumentum efficacissimum, vt ex suprà dictis constat. Nam licèt possit quis effugere dicendo, per vnam gratiam sic efficacem posse quæri allam, facillimum est sic fugientem capere, quia nulla posterior gratia efficax quæri potest, nisi per aliam priorem iam datam, vnde necessariò perueniendum est ad primam, quę non possit quæri, nisi prius habeatur, & ita illa frustrà quæritur, & de illa necessariò dicendum est *in vnius Dei esse potestate, vt habeatur, vel non habeatur.* Ergo cui illa non datur, frustrà quærit, imò impossibile est, vt quærat, & ita illi non est exposita benignitas Dei. Nec ille cui datur, potuit illam quærere, nec oportet illum monere, vt per illã aliam quærat, quia ineuitabiliter quæret, cùm non possit resistere primæ motioni efficaci, nec plus agere potest quam illam prædeterminetur. Refert etiam hunc Auctorem pro nostra sententia Ledesma in libro 3. de *Ledesma.*

liber. arbitr. cap. 3. 4. & 5. Liber autem, quo vtor, non est in capita diuisus, totúsque liber est de variis locis Augustini pro libero arbitrio Ex quibus illud solum, quod dicit, §. *hanc autem*, nunc noto, ait enim demonstrare Augustinum, *voluntatem seipsam in sua potestate* habere, & seipsa vti, vt ipsa inhærente in commutabili bono, vitam beatam habeat, auersa verò illam amittat.

32. Producitur Ekius.

Duodecimò expendere possumus duo testimonia Ioannis Ekij, quæ F. Cumel contra nos inducit, nescio quo iure, quia ipse illationis modum non declarat, & verba in vno loco sunt generalia, in alio nostram potiùs sententiam continent. Vnus locus est in Enchirid. capite 31. in quo Ekius dicit, Deum esse primam causam, sine qua nihil fit, & specialiter concurrens ad opera bona, & mouens omnia, singula iuxta vniuscuiusque proprietatem, irrationalia naturaliter, rationalia leberè. Sed hæ nihil ad causam referunt, omnes enim illa docemus, & ex illis solum inferri potest, quòd Deus, vt causas liberas modo consentaneo naturæ illarum moueat, non illas prædeterminat, sed indifferentem motionem præbet, aut offert, cui illæ causæ vel resistere, vel cooperari possint. Alter locus est in libr. de Prædestinat. centur. 3. numer. 67. vbi ex quodam Henrico Gorcheim *duplicem distinguit motionem Dei gratuitam, vnam sufficientem, quam Deus nemini denegat. Aliam efficacem, quam subdistinguit, vno modo,* (inquit,) *vt sit genus motionis, qua specialiter mouentur prædestinati, quæ respersa quodam suauitatis odore, intima viscera animæ fœcundando, deiformat, & in cœleste desiderium transmutat. Potest & alio modo dici motio efficax, quæ assequitur, consequi gratiam, & si in ea perseuerat, saluari, & nihilominus priorem, quæ altioris ordinis est, solis prædestinatis dari.*

Gorcheim.

Cumel.

Hæc allegat Cumel, & non ampliùs vel inducendo, vel respondendo illa euoluit. Ille tamen Auctor in posteriori membro vocationis efficacis, plus dicit in nostra sententia, quam velimus. Docet enim aliquam vocationem esse efficacem ex solo effectu, & non esse maiorem gratiam in eo, qui consentit, quàm in eo, qui resistit. Defendit enim ibi opinionem asserentem, in multis eorum, qui saluantur, rationem totius prædestinationis, esse bonum vsum vocationis. Vnde consequenter negat, vocationem esse effectum prædestinationis, sed generalis prouidentiæ gratiæ: negat item bonum vsum vocationis vt est à libero arbitrio, esse effectum prædestinationis, nedum gratiæ prædeterminantis. In his ergo euidenter eam tollit, & consequenter negat, illam esse de ratione auxilij efficacis.

33. Distinguuntur ordines saluandorum.

Distinguit verò ille Auctor duos ordines saluandorum. Vnus eorum est, qui per communem gratiam saluantur, in quibus datur communis prædestinationis ratio; alius est ordo singulariter prædestinatorum, ex gratuita Dei voluntate, sine vlla ratione ex parte illorum, & his dicit dari priorem modum gratiæ efficacis. Veruntamen neque illam ponit hic Auctor in motione pertinente ad concursum Dei physicè prædeterminantem, sed in motione morali magis suaui, & ad mouendum voluntatem accommodata, planè Augustiniano more. Hoc enim euidenter indicant illa verba. *Quæ respersa quodam suauitatis odore intima viscera animæ fœcundando deiformat*, &c. Et item illa motio nihil est aliud, quàm gratia congrua. Quod ergo ad causam nostram attinet, ille Henricus manifestè docuit nostram sententiam. De Ekio verò nihil certò affirmare possumus, nam in fine illius §. subdit, *Nolo tamen, existimet me omnia Henrici dicta recipere.* Quod fortasse dixit propter prius membrum gratiæ efficacis, nam aliud ipse supponit tanquam fundamentum sententiæ de Prædestinat. quam ibi prosequitur. Nos autem quoad eam partem, sententiam illam reiicimus, quia connexa non est cum sententia de vocatione congrua, vt in cap. vlt. huius libri explicabimus.

Vltra hæc testimonia, quæ grauiora sunt, alia breuiter percurremus, & insinuabimus, non quia Doctores minoris auctoritatis sint, sed quia obiter, vel nimis breuiter punctum attingunt, eos tamen omittẽdos censuimus, quia vel in modo loquendi, vel in sententiis, quas obiter proferunt, satis indicant quendam vnanimem consensum, in hoc principio, quod efficacitas gratiæ quoad consensum actualem non prædeterminat voluntatem, sed ex ipsius libero vsu pẽdet. Primò ergo in hoc secundo ordine pono Cardinalem Contarenum in l. de Prædest. vbi inter alia non longè à fine ita concludit. *Quo fit, vt non ex gratiæ ipsius efficacitate, sed ex nostra voluntate pendeat, quominus illa cordis obstinatio perrumpatur* Vbi non negat gratiæ concursum, sed nomine efficacitatis illam intelligit, quam gratia exse habeat ad determinandam suaui voluntatem.

Contar.

Secundò allego Iodocum Clichtoueum in Compendio assertionum fidei, ex Concilio Senonen. cap. 23. quod est de libero arbitrio, vbi cùm retulisset verba Damasceni excludentis necessitatem ab operibus liberi arbitrij, subdit hæc verba. *Quæ omnia æquè militant contra eos, qui subiiciunt hominum actiones ineuitabili necessitati, vndecunque illam pendere dicant, siue ab ipsis astrorum lationibus, vt autumarunt illi, contra quos superioribus verbis agit Damascenus: siue à fato quodam inexorabili, vt posuerunt Ethnici quidam, siue à futurorum absoluta quadam necessitate, quæ contingentiam non admittat, vt falsò putarunt nonnulli de diuina præscientia, ac prouidentia malè sentientes.* Et infrà optimè declarat, quomodo dici possit diuinum auxilium subesse voluntati hominis, scilicet, quia ex parte Dei offertur, & si petatur, obtinebitur, & in homine est, vel illo bene vti, vel illud negligere. Et de his qui negligunt, subdit, *Nunquid huiusmodi error in via morum adscribendus est duræ cuidam necessitati, aut destitutioni liberi arbitrij? Nequaquam*, &c. Ac denique tam multa in hanc sententiam dicit soluendo obiectiones omnes, quæ nobis solent ex Scriptura opponi, vt inter eos, qui sententiam nostram expressè docent, meritò numerari possit.

Iodocus Clichtoueus

Tertiò expendere oportet locum Iansenij in Concord. cap. 59. ad verba Christi Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me*, &c. quia F. Dauila & Cumel de illo nobiscum contendunt. Verba autem, quæ referunt in sententia solùm continent generalem doctrinã, nimirum, Deum efficaciter excitare mentes hominum, & longè aliter mouere intellectum, & voluntatem, quàm alius homo, vel Angulus, nimirum propriè & physicè in illa interiùs efficiendo ipsosmet talium potentiarum actus. Vnde notat etiam distinctionem inter verbum *trahendi*, & *veniendi*. Nam prius gratuitam Dei motionem præuenientem omne meritum, & vsum libertatis, & gratiæ diuinæ efficaciam indicat; posterius autem verbum *veniendi* ostendit hominis libertatem, quæ per gratiam Dei efficacem non lædituꝛ, quæ omnia, vt dixi, generalia sunt, & potest vnaquæque opinio illa in sensu interpretari. Vlteriùs verò proponit Iansenius dubium à nobis latè discussum, quomodo cum necessitate tractionis illi, qui non trahuntur, sua culpa non veniant, quando sufficienter idem audiunt. Et post multa, quæ dicit circa Chrysostomi responsiones, in quibus aliquid statim notabimus, in summa respondet cum Augustino, eos, qui non trahuntur, nõ excusari, *quia obicem, & impedimentum posuerunt diuinæ attractioni, dum acceptis à Deo donis non bene vtuntur.* Hæc autem responsio non habet locum posita necessitate auxilij prædeterminãnan-

nantis, vt sæpe ostensum est, quia si illud est necessarium ad omnem bonum vsum præuenientium donorũ gratiæ, etiã primę vocationis; ergo necessariò sistendum est in aliquo, quod non negatur propter defectum boni vsus, quia ante vsum, qui est effectus eius, nullus bonus vsus esse poterat, & ab illo pendent consequenter reliqua. Illa ergo responsio ostendit, Iansenium per gratiam efficacem non intellexisse auxilium prædeterminans, neque sententiam Augustini de illo intellexisse. Accedit, quod prius referens Chrysostomum dicentem, aliquando nos incipere bonum opus, & inde sumi rationẽ, (vtique proximam,) cur iste trahatur, & non ille; illum rectè defendit à Semipelagiano errore, quia supponit gratiam excitantem, qua posita rectè dicitur homo incipere consensum, non tamen sine gratia adiuuante, & principaliter efficiente propriè, ac perficiente ipsum consensum. In quo satis etiam aperte sentit, postquam gratia præueniens dedit homini potestatem propinquam, & proximè elicitiuam actus, non esse necessarium aliud initiũ solius Dei prædeterminantis, sed potentiam posse immediatè inchoare suum actum, quia *illi potentiæ sic constitutæ in actu primo propinquo nihil deest nisi executio actus*, vt idem Auctor paulò antea dixerat, quod tamen initium executionis non est sine gratia cooperante, vt idem etiam docet.

36. Allegatur Rossensis. Quartò allegari solet pro nostra sententia Rossensis, art. 36. contra Lutherum, nec immeritò, tum quia impugnando hæreticos, impugnat omnem antecedentem necessitatem, vt libertati contrariã tum etiã, quia expressè, ac sæpius docet auxilium Dei ita conferri homini antecedenter, vt in manu eius sit illo bene, vti sine aliqua præueniente determinatione, & per illud ad gratiam sanctificantem præparare, *Quod cùm sua sponte*, (inquit) *non coactus faciat, contingenter vtique facit; nec tamen per hoc, aut prouenitur Deus, aut de nouo quicquam vult, quod antea noluerat. Quæ res vnanimi consensu Patrum traditur.* Hæc ille versùs finem in §. Vtrumque sicut diximus.

17. Recenseur Horantius. Quintò allegatur Horant. lib. 1. de locis Cathol. qui totus est contra errorem Caluini de gratia efficaci auferente libertatem, per quandam verò cõiunctissimam sympathiam, seu consecutionem simul prædeterminationem oppugnat, & eius fundamenta dissoluit. Tale illud est, quod cap. 31. contra Caluinum defendit, rationem discriminis, cur iste vocatus venit, & non ille, optimè ex libero arbitrio sumi, quia scilicet, hic manum porrigit, & non alius. Item cap. 42 irridens Caluinum, ait. *Opulchram consecutionem, Deus humanum cor emollit; ergo seipsum flectere non potest, libet ridere.* Et infrà. *Quasi verò non magis quadrent cœlestis fauor, & nostræ vires, quam quicunque alius concursus causæ superioris cum inferiori.* Item in multis quæ cap. 47. & 51. dicit, prædeterminationẽ planè excludit, & præsertim cap. 53. vbi distinguit gratiæ dona in tres ordines, prout Soto antea fecerat, & in secundo ponit actus pietatis liberos in quibus nihil dicit operari Deum, nisi cooperante libero arbitrio, nec inter illos, & priores motu gratiæ excitantis medium auxilium à solo Deo factum agnoscit, multaque alia in sequentibus capitibus vsque ad 58. notari possunt.

Distinguit gratiæ dona

38. Adducitur Franciscus Carthag. determinatio nostræ voluntatis professo nobis.

Sextus sit Franciscus Carthag. in tractatu de prædestinat. præsertim discursu 4. & 8. vbi ex professo probat determinationem nostræ voluntatis, nec fieri sola Dei actione, nec sine illa nobiscum cooperante.

39. Delphius Septimus Delphi. Sæpiùs materiam hanc indicat lib. de rerum euentu, & lib. 4. de liber. arbitr. & lib. 5. de Iustific. & libr. 2. de prædestinat. per totum, præsertim duh. 2. vbi inter alia multa dicit, voluisse Deum vt hominis ipsi ad alterutram partem determinent, & ideo post vocationem expectare illos, vt eis suam gratiam impendat, & ab eorum libertate pendere, quòd vocatio efficax, vel inefficax sit, & similia.

40. Ad numeratur *Franciscus Romæus.* Octauò his annumerari potest Franciscus Romæus Magister Generalis sacræ Religionis Prædicatorum. Nam in libr. de necessit. & libert. oper. ex professo docet, necessitatem ex suppositione antecedenti esse contrariam libertati, & hanc fuisse sententiam communem Patrum, & Concilij Tridentini, cui interfuit.

41. Adiungitur *Thomas Elisius.* Et nonò ei adiungimus Thomam Elisium eiusdem familiæ Theologum in lib. de liber. arbitr. q. 4. art. 8.

42. Refertur *Rom. Balchar.* Decimus refertur Franciscus Balchar. Episcop. Mitens. lib. contra Caluinum.

43. Additur *Bonderus.* Vndecimus Bunder. in Compend. controuer. Theolog. libro 7. de Grat. & liber. arbitr. art. 7. & in scuto fidei tit. 10. de lib. arb. propos. 4.

44. Adiungitur *Cunerus.* His addimus Cunerum lib. de Grat. Christi cap. 10. & lib. de Grat. & liber. arbitr. cap. 10. vbi inter alia ait, concursum causæ primæ non esse aliquid præuium in causa secunda, ac proinde vtramque causam simul concurrere, solùmque primam dici priorem, quia superior est, à quo inferiores pendent; & ibi etiam laudat sententiam Driedonis, & Ricardi, dicentium ex duobus similiter vocatis vnum posse conuerti, & non alium pro sua libertate: quia verò Ruardus addidit particulam *sola*, ipse bene declarat illam particulam solùm excludere aliam præuenientem gratiam, non Dei cooperationem, quæ simul incipit, & definit cum libero voluntatis opere. Ac denique per varias assertiones sententiam hanc defendit, & declarat. Sic etiam Ioannes Maria Verratus in Apologia contra fautores Lutheranorum dicit, in illa sententia lib. de Ecclesiast. dogmat *Initium nostræ salutis Deo miserante habemus: vt verò acquiescamus salutiferæ inspirationi nostræ pietatis est.* Vnum solius Dei esse, scilicet, initium salutis, *aliud esse in mera facultate nostri liberi arbitrij*, scilicet, acquiescere, &c. vbi videtur excedere illa particula *meræ*, sed eandem habet intelligentiam, quia non est posita ad fauendum Pelagio, sed ad contradicendum Caluino: non ergo excludit adiuuantem gratiam, sed prædeterminantem.

Laudatur sententia *Driedonis, & Ruardi.*

Ioannes Maria Verratus

45. Adponitur *Iulius Sirenus. Ioan. Maria Capella. Felician Capitoutus.* Præterea Iulius, Sirenus in Compend. de prædestinat. lib. 2. de Reprobat. cap. 18. eiusmodi prædeterminationem disertè excludit, Ioannes Maria Capella lib. de Concord libertatis humanę cum diuina præscientia p. 1. cap. 26. & p. 2. c. 5. 6. & 7. Felicianus Capitonius in explicationib. Catholic. part. secunda, explicatio. 55. Petrus Aurelianus Sanutius in recenti Lutheranorum propugnatione digressio. tertia. Sadelet in Epist. ad Roman. capite octauo Osorius libro 9. de Iustit. qui etiam excedit in negotio prædestinationis, sed nunc illud non agimus.

Petr. Aurelius Sanutius. Sadelet. Osorius.

Præter hos Auctores nonnullos commemorat F. Cumel & de quibusdam solùm dicit allegari à nobis, nostram verò non docere sententiam; de aliis verò ait etiam suam tradidisse. In priori ordine ponit Sixtum Senens. lib. 6. Bibli. ann. 248. non designat autem quis ex nostris illum in hoc puncto allegauerit, neque ego noui. Item Iansenium Ecclesiasti. 15. & Ekium in Enchirid. capite 31. Qui certè in his locis nihil dicunt, quod ad causam pertineat. In alio vero ordine præter alios, de quibus iam dixi, in primis adducit Petrum Soto in Institut. Sacerdot. lect. 9. de pœnit. quia dicit operationem Dei esse efficacem, & natura priorem in conuersione peccatoris. Sed hæc, & omnia, quæ ibi dicit, generalia sunt, possuntque optimè intelli-

46. *Sixt Senen Iansen. Ekius. & Petr. Sotor*

gi, vel de vocatione congrua, & efficaci, vel de operatione, qua Deus nobiscum cooperatur: apertè enim declarat esse priorem natura ratione independentiæ, quia Deus, à nulla causa pendet, sed alia ab ipso. Addit Hieronymum Perez sui ordinis virum doctissimum in Commentar. ad 1. part. D. Thomæ quæst. 19. art. 2. & quæst. 22. atr. 1. 2. & 3. Sed hunc Auctorem videre non potui, neq; ego scio, an scripta eius typis mandata sint. Quæ tamen ipse refert, valde generalia sunt, vt quòd Deo attribuit efficaciam gratię, quia non solùm attingit rem, sed etiam modum tiendi, & quod prædefiniat actus liberos, & similia, de quibus nunc non est controuersia, vt sæpe dixi.

Hieron. Perez.

47. *Medina. Cordub.* Tertiò refert Medinam Complutensem, de quo nihil aliud affert, præter id quod refert Corduba loco suprà citato, de cuius sententia iam satis dictũ est, nec Medina aliud refert, nisi quòd Deus concurrit cum causis secundis per suam volũtatem, quod nemo negat; de modo autem voluntatis, & concursus est controuersia. Allegat præterea Franciscum à Christo in 1. d. 39. & d. 40. & 41. sed in priori loco solùm agit de concordia diuinæ prouidentiæ cum libero arbitrio, & refert varias sententias, nihilque satis definit: neutram autem ex his, de quibus nunc tractamus, in particulari attingit, sed vel in generali contentus est illa responsione communi, quod efficacia diuinæ voluntatis tanta est, vt effectus, & modos eorum prouideat, vel descendendo ad modum particularem magis inclinat in quandam Gregorij sententiam nostræ valde affinem. In posteriori autem loco tractat de causa prædestinationis, nihil verò de nostra causa attingit. Denique allegat Cosmam Philiarcum in quæst. de causa prędestinat & reprobat. ad Gregor. XIII. à c. 11. vsque ad 15. & l. 3 de dogmatib. fidei c. 24. vbi docet, Deum determinare voluntatem per auxilium gratiæ, & prius natura. Ille verò auctor licèt de prima conuersione id latè doceat, præsertim in c. 11. de Prædestinat. nihilominus expressè dicit in actibus moralibus voluntatis, imò etiam in multis operibus gratię postquam homo est in gratia, ipsum hominem se determinare, & rationem determinationis immediatè à voluntate sumi, imò dicit in his actibus voluntatẽ cùm se determinat esse priorem natura concursũ Dei, solam ergo excipit primam gratiæ acceptionẽ. In quo certè non consequenter loquutus est, nec pro aliqua sentẽtia earum, quas tractamus, allegari potest. Magis tamen fauet nostrę, quia docet prędeterminationem physicam non esse necessariam ad omnes actus, modum autem specialem, quo Deus determinat voluntatem ad primam gratię acceptationem, non declarat. Quapropter, si quis velit, quę attulimus, attentè ponderare, vel auctores ipsos euoluere, facilè intelliget, nostram sententiam fuisse communem Theologorum consensum, priusquam à paucis modernis in dubium vocaretur.

Franc. à Christo.

Cosm. Philiarcus.

CAPVT LII.

Tractatur quæstio appendix, an gratia præueniens auxilium sufficiens, & efficax possint esse æqualia in duobus hominibus, quorum vnus consentit vocationi, & non alter.

1. *Argumentum capitis.* PRobando sententiam nostram, simul fundamẽta contrariæ sententiæ, tam quæ ab auctoritate, quàm quæ ratione petuntur, dissoluimus; tunc verò duas, vel tres appendices quæstiones, quæ hic tractari solent, & in lib. 3. de Auxil. à nobis disputatæ sunt, hîc addere oportet, tum ad materiæ complementum, tum quia aliquid in eis addendum occurret, quod ad maiorem veritatis confirmationem, ac declarationem, & aliarum obiectionum expeditionem conferet. Solent ergo aduersarij maximè nobis obiicere, quòd ex nostra sententia sequatur ex duobus hominibus recipientibus æqualia gratiæ auxilia, contingat vnum conuerti, & non alium, quod maximum reputant inconueniens. Sequela videtur manifesta, quia stante eodem auxilio potest homo operari, & non operari, ergo idem homo cum eodem auxilio potest vno tempore consentire, & non in alio; ergo pati, vel maiori ratione ex duobus hominibus vnus cum æquali auxilio poterit consentire, licèt alius dissentiat. Falsitas autẽ consequentis solet à dictis auctoribus pręcipuè probari: quia in eo, qui cõsentit, Deus actu facit ipsum actum consensus, quem non facit in alio: ergo necessariò dat illi maius auxilium. Hæc verò probatio diuertit à vero sensu quæstionis, & ex æquiuocatione procedit, quã ante omnia tollere necesse est

Primum ergo omnium distinguere oportet inter auxilium præueniens, & concomitans, quod est ipsemet actualis influxus Dei in actum liberum hominis supernaturalem, qui influxus in renõ distinguitur ab actione libera hominis, sed est eadem, vt manans à Deo, vt sæpe dictum est. Hic ergo influxus est in eo, qui conuertitur, & non in eo, qui resistit, vnde non sunt æquales, nec esse possunt in auxilio concomitante. Nec refert, quòd Deus sit paratus ad dandum simile auxilium ei, qui non conuertitur, & quòd per eum stet, quo minus illud recipiat: nam hoc non obstat quo minus in alio pertineat ad maiorem Dei gratiam recipere actualiter illud auxilium, quo alius ex negligentia sua caret. Semper igitur qui conuertitur, habet ex hoc capite maius auxilium, & consequenter maiora etiam dona, vel actualia, nam ipsimet actus sunt dona Dei, vel habitualia, quæ ratione actuum infunduntur. Vnde ad tollendam hanc æquiuocationem, & omittendum hoc punctum, de quo non potest esse controuersia, quæstionẽ posui de solo præueniente auxilio, seu de vocatione, in qua punctũ est difficultatis

Distinguitur auxilium.

Secundò supponere oportet, auxilium præueniens duobus modis spectari posse. Primò secundùm suam entitatem, & vim quam habet ad mouendam, & trahendam voluntatem, siue illa vis physica sit, siue moralis. Secundò potest considerari in ratione doni, & beneficij gratuiti: non enim semper hæc duo æqualiter, seu cum eadem proportione alicui rei conueniunt, sed interdum illud donum, quod in sua entitate absoluta, vel minus est, vel non maius, in ratione beneficij, & doni moraliter existimatur maius propter diuersos respectus, maximè verò, quia in ea opportunitate datur, in qua vel magis necessarium est, vel maiorem fructum homini est allaturum. Sic certè contritio data homini in medio vitæ, à qua fortasse postea recedet, vel data in extremo vitæ, & cum qua saluetur, non reputatur æquale beneficium, sed hoc posterius multo maius, etiamsi fortasse contritio ipsa nec in intentione, nec in duratione, nec in auxilijs ad eam necessarijs sit maior, imò etiamsi sit minor. Ratio autem est, quia beneficium, & gratia, sicut etiam misericordia, vel eleemosyna, non attenditur solùm ex quantitate doni, sicut motio, vel auxiliũ, sed maximè ex affectu dantis, & ex cõmoditate recipientis, & ex effectibus, vel fructibus, qui de facto in tali dono, tanquam in semine, & in virtute continentur, vt facilè posset humanis exemplis monstrari, sed res est per se satis clara.

Contra-ria opinio.

Tertiò supponendum est vocationem, seu gratiam efficacem præuenientem in ratione gratię, & be-

gratiam efficacem præuenientem, excedere præuenientem gratiam, quæ tantùm sufficiens est. 2. Cor. 4.

& beneficij semper excedere præuenientem gratiam, quæ tantùm sufficiens est. Hanc assertionem tradidi cum Bellarmino lib. 3. de Auxil. c. 20. & probabiliter satis illam suadet testimonium Pauli 1. Corinth. 4. quod in hac causa maximè obiici solet. *Quis est qui te discernit.* Nam intelligendo hæc verba de discretione in æterna sanctitate, & iustitia, inter eum, qui conuertitur, & eum, qui resistit, illam Paulus Deo singulariter attribuit, quod, (vt suprà declarauì,) maximè intelligendum est secundùm diuinam electionem, & præparationem diuini auxilij congrui & accommodati; ergo hoc est peculiare beneficium, quod recipitis, qui conuertitur, & non alius, pertinetque ad præuenientem gratiam.

Augustin. Atque ita intellexit hunc locum Augustinus docens planè hanc sententiam in lib. de Prædestinat. Sanctor. à capt. 5. vsque ad 16. differentiam in hoc constituit, quòd *præparatur voluntas à Domino*. vtique per vocationem congruam, vt aliis locis suprà citatis exponit, & specialiter de dono perseuer cap. 14. vbi docet, quòd sicut Deus vocat congruo modo eum, quem elegit, ita potuisset præparare opportunitatem similis vocationis ei, quem non elegit, & ideo meritò ad gratuitam Dei voluntatem, hanc diuersitatem reuocat, & singulare Dei beneficium esse reputat. Quod etiam sentit Prosper ad 4. & 5. obiectionem Gallor. & ad excerpta Genuens. cap. 4. & lib. 2. de vocat. gent. cap. 23. aliàs 8. Remigius 1. ad Corinth. 4. Ac denique D. Thomas 1. 2. qu. 112. art. 4. in hoc sensu docet inæqualitatem gratiæ habituatis prouenire ex inæquali dispositione, non esse tamen ibi sistendum tanquam in prima radice, quia hæc posita est in diuersa præparatione diuinæ gratiæ. Et ideo in 2. 2. q. 24. art. 3. inæqualitatem charitatis reducit in solam voluntatem Spiritus sancti, vtique tanquam in primam radicem, nam in executione etiam est dispositio ex parte hominis, eiùsque cooperatio attendenda, vt docuit Concilium Tridentinum sess. 6. capite 7. Vnde idem D. Thomas Matth. 25. circa illa verba, *Vnicuique secundùm propriam virtutem*, ait, *Si quæris, quare vnus habet magis de gratia, quàm alter. Dico, quòd huius rei est causa proxima & causa prima: proxima est maior conatus istius, quàm illius causa prima est electio diuina.* Ratio denique est, quia vocatio efficax, est magis accommodata ei, cui datur, & in virtute, & in semine continet sanctitatem, vel etiàm æternam gloriam, si talis sit, vt mediante illa talem effectum consequamur. Vnde prouenit ex peculiari Dei prouidentia, & gratuita electione, ideòque in ratione gratiæ, & beneficij excedit. Quo circa cùm in superioribus ostensum sit, neminem credere, aut conuerti sine auxilio efficaci præueniente, manifestum est in eo, qui conuertitur, semper esse maiorem gratiam præuenientem, saltem in ratione doni, & beneficij, quam in eo, qui non conuertitur.

Prosper. *Remigius.* 5 Inæqualitas gratiæ habituatis vnde prouenit, et D. Thom. *Concil. Trid. Matth. 25.*

6. Quartò manifestum est sæpe, & fortasse frequentiùs contingere, vt is, qui conuertitur, maiora auxilia præuenientia recipiat, etiam in ratione auxilij, & motionis, quàm ille, qui non conuertitur, & similiter inter duos, qui conuertuntur intensiùs, & remissiùs differentiam sæpissimè prouenire ex pluribus, & maioribus inspirationibus diuinis. Vnde etiam fit, vt auxilium efficax sæpe differat à sufficienti, non solùm in ratione beneficij, sed etiam in quantitate absolutæ motionis, & auxilij, vel saltem in maiori, & specialiori protectione Dei auferentis impedimenta, & offerentis occasiones, & opportunitates, quæ conuersionem, vel operationem faciliorem reddant. Hæc omnia adeò sunt certa, & clara, vt non indigeant probatione, nam constat ferè experimento. Item in auxiliis externis videmus hanc diuersitatem: nam quibusdam prædicatur Euangelium, & non aliis, & in Corozaim, & Bethsaida factæ sunt virtutes, & non in Tyro, & Sidone; ergo eadem differentia, & distributio intelligenda est in internis auxiliis: nam ordinariè Deus excitat interiùs, mediante exteriori verbo, signo, vel obiecto. Præterea sæpe contingit, vt multis æqualiter exterius audientibus idem verbum Dei, non detur interius æquale lumen, sed diuersimodè ab Spiritu sancto doceantur, vt tradit Gregor. Homil. 30. in Euangel. Ratio verò est, quia Spiritus sanctus est Dominus donorum suorum, & singulis diuidit prout vult, & quibus maiorem gratiam, & maiora auxilia confert, maiorem facit misericordiam, cæteris verò, quibus dat maiora, non facit iniustitiam, quia maiora non debet, & sufficientia non negat, ad quod accommodari potest parabola Matth. 20.

Gregor.

His ergo existentibus certis, difficultas superest, an semper necessarium sit maius præuenientis gratiæ auxilium dari illi, qui consentit, quàm ei, qui non consentit, non solùm in ratione beneficij, sed in ratione motionis physicæ, vel saltem moralis auxilij, vel possit esse vniformitas in toto actu primo, & nihilominus esse diuersitas in actu secundo, seu inæqualitas in toto præuenienti auxilio, inæqualitas in solo concomitante auxilio ex parte Dei, & conatu liberi arbitrij ex parte hominis. In quo puncto est multorum Theologorum sententia, necessariam semper esse inæqualitatem in aliquo præuenienti auxilio. Hanc opinionem sequuntur non solùm omnes defensores physicæ prædeterminationis, sed etiam aliqui ex nostris auctoribus. Vnde sententia hæc in duas subdiuidi potest. Prior affirmat eum, qui conuertitur, semper habere præuium auxiliũ maius consistens in aliqua physica motione per se influente in actum liberum, & necessaria, vt eliciatur. Hæc sententia sequitur apertè ex necessitate præmotionis physicæ, & ideo non oportet in particulari referre auctores, quia iidem sunt, quos suprà pro physica prædeterminatione retuli. Solùm aduerto, solos illos, qui prædeterminationem physicam necessariam esse putant, cogi consequenter ad hoc asserendum: nam qui dicunt esse possibilem, non tamen necessariam, facilè possunt, imò & debent admittere non esse necessariam hanc inæqualitatem, quia sine illa motione præuia potest quis consentire, & consequenter, licèt de facto consentiat, necessarium non est, vt in illa motione superet alterum, qui non consentit, nec etiam in alia, quia nulla alia præuia motio cogitari potest, quæ ad consentiendum sit physicè necessaria, cùm post sufficientem vocationem auxilium concomitans physicè sufficiat.

Difficultas. Discutitur. Aduertẽdũ.

Fundamenta huius opinionis non sunt alia præter ea, quæ pro physica prædeterminatione afferuntur. Maximè verò vrgetur illud, *Quis enim te discernit?* Quia hæc verba in omnibus, & respectu omnium aliorum, qui minora iustitiæ dona recipiunt, vera sunt; ergo semper Deus est, qui discernit, non solùm metaphoricè, aut moraliter, sed propriissimè, & physicè, quod non potest esse verum, nisi ratione maioris præmotionis physicæ, imò ratione talis motionis, quæ ineffabiliter inæqualitatem, & discrimen inter vocatos efficiat. Vrgent præterea verba sequentia, vsque ad illa, *Quid gloriaris, quasi non acceperis.* Nam si absque maiori physica motione posset homo in sua fide, verbi gratia, à non credente discerni, multum haberet de suo vnde posset gloriari, nimirum, quòd melius fuerit vsus gratia, quàm alius, hoc enim ex sua innata libertate habet, si maior motio Dei in eo non procedit. Vnde vlteriùs fit, vt talis homo non teneatur maiores gratias Deo agere, quàm alter, qui non conuertitur, quia non maiorem præmotionem accipit,

9. Sententia prima.

Auxilium efficax in quo differat à sufficienti

cipit, & quamuis simultaneum auxilium recepit, quod alter non accepit, nihilominus non minores gratias debet Deo, quia ex se paratus fuit ad dandum, & ipse homo culpa sua nō accepit.

9. Sententia 2. Secunda sententia est aliquorum, qui cùm non admittant physicam prædeterminationem, vel vt necessariam, vel etiam vt possibilem, nihilominus putant, semper esse necessarium in eo, qui conuertitur, aliquod maius auxilium morale, aut positiuū ac per se moraliter concurrens, vt est maior mentis illustratio, vel explicatio ad magis attendendum, vel maior voluptas, & suauitas affectus, aut saltem priuatiuum, nimirum, maior impedimentorum, aut tentationum remotio. Vnde qui sic opinantur, non semper requirunt maius auxilium internum etiam morale, sed vel internum, vel etiam externū, quale esse potest in præd cta remotione impedimētorum, vel in meliori corporis dispositione, magisque apta internam attentionem, vel certe in meliori Doctore, & melius suadente, aut aliis similibus auxiliis. Hanc partem ex nostris tenuit Gabriel Vasquez 1.p.disp.98.& 1.2.disp. 189. cap. 14. & forasse aliquos habuit sectatores, ex his, qui postea docuerunt, ex illis verò, qui scripta sua typis mandarunt, & physicam prædeterminationem non admittunt, nullum alium scio, qui hunc dicendi modum fuerit sequutus. Fundamentum autem eius in primis consistit in quibusdam testimoniis Augustini, quæ generalia sunt in omni sententia, & iuxta tertiam suppositionem à nobis positam facilè exponuntur, & ex discursu constabit.

Vasquez.

10. Præter hæc autem testimonia magis fundatur in principiis philosophicis, quàm Theologicis. Nimirum, quia fieri non potest, vt stante eadem repræsentatione obiecti sub eadem ratione conuenientis, vel disconuenientis, & eadem mentis attentione, & ex parte voluntatis eadem præuia dispositione, vel habituali, vel actuali, per aliquam imperfectam motionem, affectionem, vel delectationem, & ex parte corporis eadem, vel æquali complexione, & pensatis omnibus eadem promptitudine, vel difficultate, ac denique, ex parte rerum externarum, seu adiacentium eadem impedimentorum remotione. His, inquam omnibus æquè constitutis fieri non potest, vt vnus consentiat, & alius dissentiat, vel quod idem homo nunc resistat, postea velit, non solum in supernaturalibus, sed etiam in moralibus, vel politicis, vel cuiusuis ordinis naturalis. Hoc autem principium videtur posse probari à priori, quia voluntas non potest moueri ad volendum, vel nolendum, nisi per rationem; ergo stantibus omnibus paribus ex parte rationis non potest voluntas aliter, & aliter velle pro suo solo arbitratu. Quod à posteriori confirmatur primò, quia aliàs etiam posset voluntas pro suo arbitrio in malum, vt malum ferri. Confirmatur secundò, quia aliàs posset sequi id, quod malum est, & peccatum nullo existente defectu in ratione, quod videtur esse contra Aristotelem 3. Et hic capite 1. dicentem, *Omnis peccans est ignorans*; imò, & contra Sapientem dicentem, *Errant, qui operantur malum*, & contra D. Thomam, ac ferè omnes Theologos dicentes, non posse esse defectum in voluntate, quin præcedat error, vel inconsideratio in intellectu. Confirmatur tertiò, quia si duo obiecta, vel media proponantur voluntati, & vt æqualia inter se, & vt æqualiter considerata, fieri non potest, vt voluntas alterum eligat, nisi priùs vel intellectus in vnum magis intendat, vel aliquam rationem illud præferendi inueniat, quia ad illam electionem, necessarium est aliquod motiuum, quia non potest voluntas moueri sine motiuo ex parte obiecti.

Confirmatur primò.

Cōfirmatur secundò

Prouerb. 14.

Cōfirmatur tertio.

11. Hinc ergo concludit hic auctor, idem necessariò dicendum esse in operibus gratiæ, quando vnus vocationi consentit, & alius dissentit, nimirum aliquam inæqualitatem præcedere in eis, quæ ad gratiam præuenientem necessariò debet pertinere, quia cùm præcedat consensum, non potest tribui homini; ergo soli Deo eiusque peculiari prouidentiæ, cùmque illud, quidquid est, quod ei qui conuertitur, antecedenter datur, ad supernaturalem consensum præstandum, ordinetur, & iuuet, sine dubio ad auxilia gratiæ præuenientis pertinet; ergo ex aliquo capite semper auxilium præueniens maius est in eo, qui consentit, quàm in eo qui resistit. Ad hoc confirmandum induci possunt testimonia, quę in dicta disputatione 98. c. 3. Vasquez allegat, in quibus Deus dicitur aliquorum misereri, & alios indurare, & *non esse volentis, neque currentis sed Dei miserentis* ad Rom. 9. quod ratione specialioris vocationis gratuitę dictum esse suprà diximus, & testatur August. q 2. ad Simplician. Item propter eandem rationem dicitur Deus specialiter trahere eum, qui venit, id est, qui consentit, & similia, quæ habentur Ioan. 6. & aliis locis; quæ tractantur ab August. lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum, c. 3. & 19. de prædestinat. Sanctor. cap. 8. & alibi sæpe. Denique ad idem induci possunt testimonia Augustini, & aliorum Patrum ab eodem citata cap. 4. præsertim videtur vrgere illud Augustini lib. 2. de peccator. merit. cap. vbi causam inquirens, cur homines nolunt facere, quod iustum est, respondet, *quia vel latet, quod iustum est, vel non delectat. Tanto enim*, ait, *quidque vehementius volumus, quanto certius, quod bonum sit, nouimus, vique delectamur ardentius.* Iuxta quam regulam Augustini semper in eo, qui consentit bene volendo, est maior aliqua cognitio, vel delectatio, quæ illum impellit, & in eo, qui non similiter vult, est minor. Vnde cùm in capite 19. subinfert, Deum aliquando non dare hominibus *certam scientiam, vel victricem delectationem* ad operandum iustitiam, *vt cognoscant non à seipsis, sed ab illo sibi esse lucem, quia illuminantur tenebræ earum, & suauitatem, qua dat fructum terra suum.* In quibus verbis supponit clarè, quoties homo bene operatur, aliquid speciale in hoc recipere, sine quo non ita operaretur, vel quod non datur alteri, qui non ita operatur. Et ad hunc modum alia eiusdem Sancti, & aliorum testimonia in huius sententiæ fauorem inducuntur.

Nihilominus contrariam sententiam veram esse credimus, & necessariò consequentem ad ea, quæ hactenus docuimus de gratia efficaci, quòd ex se non sit ita efficax, vt sua vi siue physica, siue morali determinet voluntatem omnino, id est, ita vt non possit voluntas ei resistere. Dicimus ergo, vocationem efficacem, seu congruam non semper excedere vocationem sufficientem, in aliquo dono præuenientis auxilij, siue physicè premouente, siue moraliter, siue interius, siue exterius, siue positiuè inclinante, siue remouente prohibens. Hanc assertionem docuerunt multi Theologi. Et ex antiquis possumus in primis referre D. Thomam 3. part. q. 69. art. 8. ad 2. dicentem de aliquibus baptizatis, *quod licet interdum æqualem gratiam percipiant, non æqualiter illa vtuntur, sed vnus studiosius in ea proficit, alius per negligentiam gratiæ Dei deest.* Et quamuis verum sit præcipuè loqui de gratia habituali, & sacramentali Baptismi, tamē quatenus inæqualitatem postea tribuit libero arbitrio, necesse est, vt in omni gratia præuia necessaria ad operandum æqualitatem supponat. Vnde idem D. Thom. Matth. 25. in illa verba, *Vnicuique dans secundum propriam virtutem*, dicit proximā rationem inæqualitatis gratiæ esse diuersum conatum liberi arbitrij, licèt prima causa sit diuina electio, in quo etiam sentit nō esse necessarium, vt secundùm ordinē excitationis illa inæqualitas ex inæquali auxilio præueniente proueniat. Pro eadē sententia citatur in

ni in libr. de Auxiliis Bonauentur. in 4. d. 16. part. 2. art. 4. quæst. 1. vbi apertè de charitate dicit, *intendi quantum ad feruorem, & augeri quantum ad essentialem virtutem*, id est, *quantum ad actum, vel quantum ad habitum*, & primum, ait, à cooperatione liberi arbitrij, secundum verò est à dono cœlesti, nimirum, quia habitus à solo Deo intenditur, ex quo elicit, etiam motum contritionis feruentiorem esse posse ex cooperatione liberi arbitrij & addit, *Vnde ex æquali gratia aliquando magis feruens elicitur motus, aliquando minus, secundum cooperationem liberi arbitrij*; addit verò, proprium augmentum fieri in ipsa virtute pœnitentiæ, & illud fieri per gratiam, sicut de charitate dixerat. Expressiùs, & latiùs punctum attigit Altisiodoren. lib. 2. Sum. tract. 2. cap. 3. & apertè docet, inter duos æquè tentatores, quorum vnus resistit, & non alius, non esse necessariam aliquam antecedentem inæqualitatem interuenire, sed libertatis dominium sufficere. Idem ex professo docet Dionys. Cistercien. 2. dist. 27. art. 3. vbi tandem doctrinam tradit de agente libero, & putat sequi necessariò ex definitione potentiæ liberæ, & in concluſ. 3. id explicat etiam in actibus supernaturalibus, qui procedunt à duabus voluntatibus habentibus æquales habitus charitatis cum omnibus aliis prærequisitis æqualibus. Nam ex sola libertate, vt ait, potest vnus actus esse intensior, & alius remissior, & eadem ratione potest ab vna esse aliquis actus, & ab altera nullus, quia libertas vtrumque æquè complectitur.

Bonauent. Altisiodor. Cistercien.

Præterea ex modernis Theologis allegaui in lib. de Auxiliis Sotum lib. 1. de Natur. & grat. cap. 16. & Vegam lib. 6. in Trident. capite 9. quos etiam Vasquez citat, & addit Ioan. à Bonon. opusc. de liber. arbitr. §. *Ex suis autem*. dicentem in hac quæstione de duobus, quorum vnus conuertitur, & non alius sufficientem rationem esse, *quia sic vni visum est, & non alteri*. Allegaui præterea Ruardum, quem Vasquez supra num. 35. pro sua sententia allegat, nec fine aliquo fundamento, nam variè loquitur, & in vtramque partem trahi potest, existimo tamen nostræ fauere sententiæ. Nam art. 7. decimam assertionem ponit huiusmodi, *quòd ex similiter tractis, & interius ir corde vocatis, vnus credit, & conuertitur, & alius manet incredulus, nec conuertitur, contingere potest ex solâ arbitrij diuinitus præparati libertate*. Et rationem reddit, *quia positis omnibus, quæ præcedunt, & requiruntur ad fidem & conuersionem, libera manet voluntas, nec inducitur necessitas, se determinandi ad sequendam vocationem*. Postea verò in discursu assertionis ad illam explicandam quærit, quid addat vocatio à proposito, quæ effectum habet à vocatione communi, quæ consensum non persuadet, & respondet. *Videtur quòd sit aliquis modus, vel oblatio impedimenti, vel simile aliquid, quod non est in alio, & plerumque ob eius culpam, & negligentiam*, & quod obscurius est, addit, *Ex sola enim Dei ordinatione inspirationes vim quandam intentionalem accipere possunt*. Vnde videtur tacitè limitare assertionem, nimirum, quòd in internis inspirationibus potest esse æqualitas, semper tamen aliquid amplius sit in vocatione congrua ex oblatione impedimentorum. Sed hæc expositio destruit assertionem, sic enim non similiter trahuntur illi homines, quia magna pars tractionis est ablatio impedimentorum. Et similiter repugnat his, quæ in septima, & octaua assertione docuerat. Et ideo existimo in assertione explicasse Ruardum id, quod per se, ac simpliciter necessarium est, postea verò declarasse modum, qui frequentiùs seruatur, & qui fortasse non pertinet ad solam gratiam præuenientem, sed aliquam concomitantem includit, vt paulo pòst explicabo posterioris sententiæ fundamenta soluēdo

13. Sotus. Vega. Vasquez. Ioan. Bonon. Ruard.

Allegaui præterea Driedonem in lib. de captiuit. & redempt. gener. human. tract. 4. cap. 2. part. 6. concluſ. 5. quæ talis est. *Quemadmodum ex duobus æqualiter iustis, contingit alterum libero arbitrio à gratia desicere, consentiendo desiderijs, alterum eodem arbitrio intrinseco Dei auxilio perseuerare, sic ex duobus adhuc impijs, æqualiter indignis, æqualiter diuinis instinctibus pulsatis, aut admonitis ad fidem, vel pœnitentiam contingit alterum non reluctare, sed locum dare pulsanti Deo, alterum verò resistere*. Quam assertionem postea declarat, nihil omninò limitando vel addendo. Nihilominus tamen P. Vsquez eundem Driedonem pro sua sententia allegat in eodē opere, & tractatu, *in capite* (inquit) *quinto ad vltimam confirmationem secundi argumenti*. Sed tractatus ille nō habet caput 5. & licèt locum diligenter quæ sierim non inueni, & ideo iudicium de illo proferre non possum. His addemus Stapletonium lib. de Grat. & liber. arbitr. cap. 8. vbi etiam ex Augustino eandem sententiam refers, Latiùs, & optimè docet eandem sententiam Cunerus l. de liber. arbitr. c. 9. & 10. vbi Driedonem, & Ruardum allegat, atque approbat. Quia verò Ruardus dicit, *ex sola* libertate voluntatis à Deo præparatę posse hoc discrimen inter æqualiter vocatos euenire, ipse temperat particula *sola*, seu explicat positam esse ad excludendam specialem, ad nouam motionem præuiam quæ detur illi, qui consensit, non tamen ad excludendam diuinam cooperationem gratuitam, *quæ simul*, (inquit,) *cum ipso voluntatis opere incipit, & desinit*. Eandem sententiam tradit Orantius in locis Cathol. lib. 1. c. 27. vbi inquit, *Si interroges cur ex duobus vocatis vnus conuertatur & non alius? liberum arbitrium in causa fuisse, cum Augustino, Hieronymo, Chrysostomo, & vniuersa Ecclesiam dicam*.

Vasquez. Stapleton. Cunerus. Horantius.

Secundò principaliter probatur hæc sententia 14. auctoritate Patrum, nam frequenter dum tractant quæstionem, cur Dei gratia in quibusdam effectum consequatur, in aliis verò minimè, rationem ex parte liberi arbitrij reddunt, asserentes, in vtrisque nihil ex parte Dei deesse, & plerumque illis gratiæ auxilium æqualiter offerri. Ita Gregorius Nicenus in Orat. Magn. catechum. ca. 30. & inter alia dicit potuisse homines conqueri, si alij vocarentur, alij expertes essent vocationis. *Si autem*, (ait,) *pariter ad omnes procedit vocatio, non est quòd Deum accusent*, &c. Et intra diuersitatem inde oriri dicit, quòd Deus aliquid in hominis potestate dimisit. *Hoc autem est*, (inquit,) *liberi arbitrij liberâ electio*, &c. Vt autem ratio alicuius sit momenti, necesse est, vt de æquali vocatione loquatur, quam æqualitatem per particulam *pariter* indicauit, non quia oporteat æqualē esse omnibus: nam hoc necessarium non est ad iustitiā Dei defendendā, quod Nicenus intendit, sed quod esse possit, & fortè non rarò ita sit in communi vocatione, quę in quibusdam habet effectum, & in aliis non habet. Nam si oporteret semper vocationes esse inæquales inde potiùs sumenda esset ratio, nam ex parte liberi arbitrij nō posset satisfacere, quandoquidē ad consentiendum maiori semper indiget gratia, quàm ei, qui nō cōuertitur, detur, vel ex parte Dei offeratur.

Probatur sententia. Nissen.

Atque eodem modo tractant, & expediunt eandem quæstionem Chrysostomus Homil. 16. in ad Roman. ferè per totam, & Hieronymus epist. 150. ad Hedibiam quæst. 10. & optimè Cyrillus libro 11. quæst. in Ioan. capite 21. vbi de Iuda dicit. *Quòd si proditor æqualiter aliis Saluatoris auxilium non habuisset, frustrà hæc à nobis diceretur*, (scilicet, ipsi Iudæ lapsum esse tribuendam,) *sin autem non minus quàm cæteri diuina gratia regebatur, sed suo ipsius iudicio in profundum perditionis delapsus est, quomodo etiam non seruauit eum Christus?* vtique quantum in ipso erat, & quantum satis erat, vt cum aliis innocens permaneret, vnde concludit. *Gratia igitur in alijs effulsit, seruauitque omnes, qui cooperantem ei voluntatem tradiderunt, sic enim salutis nostra modus dispositus est*. Nihi certè illustrius, vel manifestius dici poterat. Subscribit, 1em Origen. libro 3. Periarch. cap. 1. vbi defendendo, tam in bonis, quàm

15. Expediunt eandem quæst. Chrysostom. Hieronym. Cyrillus. Origen.

in malis, arbitrij libertatem, sumit exemplum ex Paulo ad Hebr. 6. de terra, *quæ sæpe venientem super bibens imbrem, germinat vel herbam opportunam, vel spinas, aut tribulos.* Et addit. *Ex his quos assumpsimus Pauli sermonibus euidenter ostenditur, quod vno eodemque opere Dei, quo imbrem terræ largitur, alia quidem terra diligenter exculta fructus ferat bonos, alia verò, quæ negligenter exculta est, spinas, & tribulos proferat.* Quod latè prosequitur, & per *terram* intelligit liberum arbitrium, quod in hoc à terra materiali differt, quòd terrar ab aliis coli debet, vt fructificet, liberum autem arbitrium ipsum est, à quo occultum speratur, non sine ope, & auxilio cœlestis pluuiæ, & auxilij.

16. Eandem vocationem in vno effectum habere, & non in alio, doctrina Augustini.

Neque isti soli Patres, qui vel ante Augustinum scripserunt, vel ipsum non legerunt, sed etiam Augustinus ipse sæpe docet eandem vocationem in vno habere effectum, & non in alio, quia vnus accommodat voluntatem suam vocationi, & non alius, sic ait q. 2. ad Simplician. *Quamus multi vno modo vocati sint, quia tamen non omnes vno modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei* Et infrà, *Cum ergo vnus sic, alius autem sic moueatur ad fidem, eademque res vno modo dicta mouet, alio modo non mouet, vnum mouet, alium non mouet.* Per quæ verba & alia multa, quæ ibi habet similia, apertè sentit, cum eadem vocatione vnum consentire, alterum repugnare. Dices saltem postulare Augustinum in ipsis vocationibus diuersum modũ, vel diuersam affectionem, vel dispositionem ex parte vocatorũ.

Obiectio.

Soluitur.

Respondeo in primis, etiamsi contingat, vocatos esse diuersimodè affectos, vel ex complexione naturali, vel ex consuetudine, hoc nihil obstare, quo minus auxilium gratiæ præueniens vtique datum æquale sit secundùm se, & secundùm vim excitandi, & mouendi, quam habet, & hoc nobis satis esset, nam illa maior proportio ad conditionem suscipientis non pertinet ad maius auxilium, licèt pertineat ad maius beneficium ex peculiari Dei electione proueniens, iuxta doctrinam eiusdem Augustini de dono perseuer. cap. 14. Deinde illa diuersitas antecedens in affectionibus suscipientium vocationem, licèt sæpe consideretur, non est tamen simpliciter necessaria, quia stante tali dispositione voluntas vocata liberè determinatur, quia ratione talis dispositionis per vocationem non determinatur, potest & cum illa, & sine illa vel consentire, vel repugnare vocationi. Et præterea licèt Augustinus varios modos illius diuersitatis attingat, etiam concludit, *eandem rem vno modo dictam vnum mouere, & alium non mouere*, vtique pro suo arbitrio, etiamsi alia diuersitas vel in personis, vel in vocationibus non præcedat. Et similiter in expositione Psalmi 142. circa illa verba, *velociter exaudi me Domine*, significat eandem vocationem vno tempore esse profuturam, & non alio, esseque speciale beneficium Dei dare illam tempore opportuno, etiamsi in se eadem sit. Vnde sic inquit. *Citò audi me Domine, quæ enim mora quando sic sitio, ad inflammandam sitim meam? Pluuiam differebas, vt hauriens imbiberem, non respuerem, quod influeres. Si ergo differebas, iam da, quia anima mea sicut terra sine aqua tibi.*

Augustin.

Psalm. 142.

Eandem-met vocationem vno tempore esse profuturam, & non alio, idem Augustinus indicat.

17. Alia Augustini testimonia.

Declarant præterea Augustini mentem alia eiusdem testimonia, in quibus testatur, licèt non possit homini tribui, quòd fuerit vocatus, posse illi tribui quòd vocatus venerit, & affirmat lib. 83. Quæstion. q. 68. & tract. 4. in 1. epist. Ioan. vbi sic ait, *Quia agis ibi aliquid voluntate, ideo aliquid tibi tributum est.* Nam si homini consentienti vocationi rectè tribuitur, quod veniat, cùm multo magis repugnanti tribuatur, quòd non veniat, rectè consequitur, sufficientem rationem diuersitatis reddi ex vtriusque libero vsu, etiamsi in omnibus antecedentibus sit æqualitas. Idèmque confirmant alia loca in quibus ait, post vocationem homini relinqui liberam electionem, & qui vocatus non venit, potuisse venire, & venturum fuisse, si voluisset, & consentire, vel dissentire vocationi, propriæ voluntatis esse, quæ loca in superioribus satis allegata sunt: exillis autem principiis apertè sequitur assertio, quam nunc confirmamus, & inferiùs rationabimur. Ponderanda sunt tamen specialiter verba Augustini in Enchirid. cap. 64. *Quamuis veraciter dictum sit, Quotquot spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei: sic tamen vt filij Dei excitantur, & tanquam filii Dei proficiunt ad Deum, vt etiam spiritu suo maximè aggrauante corruptibili corpore, tanquam filij hominum quibusdam motibus humanis deficiant ad ipsos.* Ex his enim verbis rectè perpensis, non obscurè colligitur eandem excitationem, qua interdum spiritu Dei ita agimur, vt proficiamus, aliquando ab homine refutari, & ideo deficere: hocergo, & in vno eodem homine, & in diuersis suo arbitrio opetantibus potest contingere.

Est denique testimonium satis expressum eiusdem Augustini lib. 12. de Ciuitate cap. 6. vbi vt explicet ad illam diuersitatem constituendam vim libertatis sufficere, dummodo habeat auxilium ad vtrumque sufficiens, inquit. *Si cum aliqua duo æqualiter affecti animo, & corpore, videant vnus corporis pulchritudinem, quæ visa vnus eorum ad illicite perfruendum mouetur, altus in voluntate pudica stabilè perseueret, quid putamus esse causæ, vtique nisi vsum libertatis.* Discurrens enim deinde alias causas excludendo, addit, *Si eadem tentatione ambo tententur, & vnus ei cedat, alter perseueret, quid aliud apparet nisi vnum voluisse, & alterum nolusse castitate desicere.* Quem locum multis quidem verbis conatur effugere P. Vasquez, non possum autem lectis colligere, quid tandem respondeat, interdum enim contemnere locum videtur, & dicere, alios libros, in quibus Augustinus de gratia ex professo scripsit, esse præferendos. Quasi verò Augustinus vel in illo opere de Ciuitate aliquid contra Dei gratiam, vel contra aliorum librorum doctrinam scripserit, vel in aliis libris de Gratia non eodem modo de libertatis virtute senserit; in nullo enim loco eam separat à gratia in operatione boni, vel perseuerantia in illo; in omnibus verò solilibertati defectum tribuit. Vnde aliter respondet, quamuis Augustinus constituat in eo casu æqualitatem in rebus aliis, non negasse beneficium vocationis congruæ, quæ illi datur, qui bene operatur. Sed licèt verum sit Augustinum non excludere hoc beneficium, nihilominus æqualitatem constituit in omni motiuo & excitatione, atque adeò in omni auxilio, hæc enim duo non repugnant, vt iam explicaui. Cætera verò, quæ circa illud testimonium Vasquez adiungit, magis ad suam sententiam adstruendam, quàm ad testimouium explicandum pertinent: quantum autem ad id valeant, postea videbimus.

Augetur vis huius testimonij exemplo bonorum, & malorum Angelorum, quod in eodem capite 6. Augustinus tractat, & propriùs in libro de Corrept. & grat. 11. & 12. Nam in Angelis certum est eos qui ceciderunt, habuisse, vel æqualia, vel maiora auxilia gratiæ præuenientis, quàm illi, qui steterunt, nam fuerunt perfectioris naturæ, & gratia est illis data iuxta proportionem naturalium, vt communiter docent Theologi. Neque potest cum fundamento dici, plura impedimenta in vno Angelo, quàm in alio fuisse, & ab vno fuisse ablata speciali gratia, & non ab alio. Quin potiùs Augustino dicto c. 11. & 12. apertè sentit, omnes relictos esse cum eisdem auxiliis gratiæ præuenientis proportione seruata, vt libertate sua vterentur. Solùm cogitari potest Luciferum, v. g. maiorem quandam occasionem superbiæ habuisse propter maiorem naturæ excellentiam. Sed hoc nihil obstat, tum quia etiam habuit excellentiorem gratiam cum proportione, tum

tum etiam, quia multi inferiores in natura peccarunt, & alij eis superiores perseuerarunt.

10. Casus Adami in argumentum petitur.

Deinde ex casu Adami, & ex eodem Augustino in eodem loco de Corrept. & grat. potest sumi efficax argumentum, nam sine dubio habuit sufficientem gratiam ad vincendam tentationem, & cum illa sola ex parte præuenientes auxilij stante eadem dispositione voluntatis eius, & cum eisdem antecedentibus impedimentis potuit moraliter magna facilitate tentationi resistere, quod si faceret, gratia illius fuisset efficax; ergò cum illa eadem gratia præueniente potuisset vel ipse Adam, vel alius homo illi similis tentationem illam vincere, & ita illud item auxilium, quod nunc fuit tantùm sufficiens, sine alio præueniente esse efficax, seu effectum habere; non est ergo necessaria inæqualitas illa ex parte præuenientis auxilij, aut circumstantiarum antecedentium inter auxilium efficax, & sufficiens.

11. Adducitur in eodem Pharao, & Nabuchodonosor.

Aliud item exemplum habetur nomine Augustini in lib. de Prædestinat. & grat. cap. 15. de Pharaone, & Nabuchodonosor, quia eisdem, seu æqualibus gratijs præuenti sunt, vt ibi late declaratur, & tamen Pharao suo arbitrio fuit induratus, Nabuchodonosor autem gratiæ cooperando fuit conuersus. Quod verò dicunt aliqui illos considerari ab Augustino æquales, in externis auxiliis, non internis, esse quidem verum quoad concomitans, seu adiuuans auxilium, non autem quoad sola præuenientia, alioqui parui momenti, & efficaciæ fuisset comparatio, vt paulo pòst in simili dicam. Vnde Augustinus ibidem cum rationem diuersitatis ex libertate arbitrij reddidisset, ex parte Dei ait, *illa omnia vel adiuuante Deo perfici, vel deferente permitti.* Est ergo diuersitas in auxilio adiuuante, & in beneficio congruæ opportunitatis, non in maiori præuenienti auxilio.

Aug.

12. Generalius exemplum sumitur ex Prospero.

Generalius exemplum sumitur ex Prospero lib. 2. de vocat. gent. cap. 15. aliàs 5. vbi vniuersaliter de gentibus ante Euangelij prædicationem ait. *Adhibita semper est vniuersis hominibus quædam supernæ mensura doctrinæ, quæ etsi paucioris, occultioris que gratiæ fuit, sufficit tamen, sicut Dominus iudicauit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium: vt non dubiè, sed euidenter appareat, quòd nisi vbi abundauit peccatum, superabundaret gratia, nunc quoque vniuersum genus similis obtaceret impietas.* In quibus verbis solùm expendo iuxta sententiam Prosperi eandem gratiæ mensuram in quibusdam fuisse efficacem, quandoquidem illis profuit ad remedium, licèt in cæteris frequentius solum fuerit sufficiens. Et quamuis nunc specialior, maiorque gratiæ vocatio vniuersis gentibus tribuatur, vt idem Prosper cap. 23. prosequitur, nihilominus proportione seruata etiam in illa generaliter spectata, & respectu communitatis plurium hominum, vel etiam populorum inuenitur quædam æqualitas, nam multi eisdem auxiliis præueniuntur, quorum aliqui conuertuntur non resistentes gratiæ Dei, sed illi cooperantes, alij verò pro sua libertate gratiæ resistendo deficiunt.

13. Prosper.

Et hoc significauit idem Prosper cap. 26. dicens, *hanc abundantiorem gratiam ita credimus, & experimur potentem, vt nullo modo arbitremur esse violentum, quo quidquid in hominibus agitur, sola Dei voluntate peragitur.* Deinde verò explicatis huius gratiæ præuenientibus auxiliis, addit. *Quæ opitulatio per innumeros modos siue occultos, siue manifestos omnibus adhibetur, & quod à multis respuatur, ipsorum est nequitia: quod autem à multis suscipitur, & gratiæ est diuinæ, & voluntatis humanæ.* Vbi semper loquitur de eadem præuenienti gratia, ac proinde etiam æquali; ideo enim non ex sola illa, sed adiuncta etiam hominis libertate rationem diuersitatis in hominum conuersione, vel auersione desumit. Hoc etiam confirmat quædam pia, & vera Sanctorum cogitatio, qua se ad humilitatem prouocant, quia si Deus aliis eadem contulisset auxilia, quæ ipsis contulit, meliores fuissent. At hæc consideratio supponit cum eisdem auxiliis posse vnum hominem melius præficere, quàm alium, magis cooperando. quæ consideratio præcipuè solet ex D. Francisco referri. Illam verò inter sua exercitia ponit Bonauentura, & est 8. Quod opusculum habet tom. 1. opusculor. in vlt, in antiquis, in nouis autem in tom. 6. in 3. par. opusculor. Et eandem tradit S. Vincentius in tract. de vita spirituali. cap. 2.

Confirmat Sanctorum cogitatio.

Bonauentura.

Vincentius.

14. Habetur singulare exemplum in Euangelio.

Vltimò habemus singulare exemplum in Euangelio Matth. 11. *Si in Tyro & Sidone facta essent virtutes, quæ Corozaim, & Bethsaidæ factæ sunt, in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Affirmat ergo Christus eisdem auxiliis, quibus Iudæi non sunt conuersi, fuisse Tyrios, & Sidonios conuertendos, si eis data fuissent. quam fuisse propheticam, & certissimam Christi assertionem, & reuelationem in secundo Prolegomento probauimus. Et ex eodem loco suprà cap... ostendimus ad actualem conuersionem, & bonum vsum præuenientium auxiliorum, non esse necessarium auxilium de se efficax, & physicè prædeterminans, & ibi dicta probant, nullum aliud auxilium præueniens esse necessarium; quandoquidem cum eisdem fuissent conuersi Tyrij, & Sidonij. Neque verisimilis est quorundam responsio dicentium, Christum loquutum esse de solis externis auxiliis, nam, (vt in eodem capite argumentati sumus,) tunc vana, & captiosa fuisset exprobratio, nam si hoc Iudæi intelligerent, meritò, ac iustissimè etiam ipsos fuisse conuertendos si cum illis externis auxiliis, eadem interna sibi data fuissent. Certum præterea est, etiam Iudæis non defuisse interna auxilia sufficientia, quibus conuerti possent, si vellent, aliàs iniustè reprehenderentur; ergo Christus non tantùm de signis externis est loquutus, sed sub illis comprehendit interna subsidia, quæ per illa externa opera tanquam per instrumenta Dei ordinariè conferuntur, vt in superioribus sæpe dictum est cum Augustino de spirit. & liter. cap. 33. & 34. & sæpe aliàs. Quod autem de eisdem, & non maioribus, vel ex se efficacioribus fuerit loquutus, vis exprobrationis postulat, vt dixi, & in dicto capite latiùs prosequutus sum.

Et ita hoc Christi testimonio tanquam efficaci, vtuntur Soto, Vega, & alij ex citatis auctoribus, vt Vasquez, etiam refert. Qui agnoscit quidem certitudinem reuelationis Christi, ait tamen, quòd si eadem signa facta Bethsaidæ fierent in Tyro, & Sidone, essent maiora dona, & beneficia gratiæ respectu Tyriorum, & Sidoniorum, quia ipsis fierent magis congrua, quàm Iudæis, quibus non congruebant. Et videtur loqui de signis non tantùm externis, sed vt per illa dabantur interna, sic enim cap. 7. concludit. *Itaque si interiùs eadem esset omnino vocatio in duobus, posset esse vni maior gratia propter congruentiam quàm alteri, cui congrua non esset.* At certè per hanc responsionem sic declaratam, vel à propria sententia recedit, vel nobiscum de nomine disputat. Omnes enim fatemur vocationem congruam semper esse maius gratiæ be-

Vasquez.

neficium; dicimus tamen in se, & absolutè spectatam non esse maius auxilium, id est, non necessariò includere aliquam specialem motionem præuiam, nec modum positiuum eius, imò nec carentiam impedimenti speciali gratia prouisam, sed solùm respectum congruentiæ ad consensum præuisum sub conditione futurum. Quòd si hoc ipsum vocet ipse maius auxilium, erit quæstio de vocabulo; si autem aliquid peculiare positiuum, vel priuatiuum præuium requirit, vt reuera in sua assertione declarat, non satisfacit responsio ad Christi verba. Nec in verbis subiunctis verè supponitur, *quòd esset eadem omnino vocatio*, &c. non potest enim dici eadem omnino vocatio, quæ præter respectiuam congruitatem aliquid includit, quod non includit alia, siue illud positiuum, siue priuatiuum sit, quia in auxiliis moralibus, qualia sunt hæc, de quibus tractamus, magna pars auxilij in se, & absolutè spectati in ablatione impedimentorum consistere potest. Imò non solùm in moralibus, sed etiam in physicis, illud censeri posset physicum auxilium, quia licèt sit causa per accidens, est conditio physica requisita, vnde in moralibus etiam inter causas per se computatur; si ergo vocatio, quæ supponitur, est omnino eadem, non debet includere aliquid positiuum, vel priuatiuum, quod alia non includit, & si propter solam congruentiam dicitur maius beneficium, vel donum, aut gratia, non tamen verè, & propriè maius auxilium.

25. Probatur ratione.

Vltimò argumentor ratione, & in primis contra priorem modum postulandi excessum in eo, qui conuertitur ex parte auxilij efficacis, ratio est facilis, ex principiis à nobis positis. Primò, quia gratia efficax non requirit necessariò nouum auxilium præueniens vltra sufficiens; ergo cum eodem auxilio præuenienti stat vnum operari cum adiuuante gratia, quæ præstò est, & alium non operari, quia potest resistere vocationi. Secundò, quia probatum est gratiam efficacem non consistere in præuio auxilio prædeterminante ad exercitium actus, vel ad vnum actum; ergo stante toto præuenienti in duobus æquali, stat vnum operari, & non alius, cùm vtrumque maneat in vtriusque indifferente potestate; ergo cum æquali auxilio præuenienti, stat vnum consentire, & alium resistere. Tertiò hæ rationes applicantur contra alteram sententiam, nam æquè procedunt de quocunque excessu, quia ostensum est, efficacem gratiam præuenientem positam esse in vocatione congrua, sed hæc congruitas vocationis non consistit in aliqua maiori eius intentione, vel claritate, aut distinctione, aut alia simili proprietate absoluta, neque in carentia alicuius impedimenti, sed solùm in habitudine ad effectum infallibiliter futurum in diuina præscientia, quæ dari potest sine vlla præuia inæqualitate; ergo. Minor quoad priorem partem de prioritate positiua probatur, quia vel illa proprietas est necessaria ad consensum, vel non est necessaria: si est necessaria, danda erit in præuenienti auxilio eius, qui non conuertitur, aliàs non habebit auxilium sufficiens: si verò non est necessaria, sine illa poterat quis consentire, & de facto interdum consentiet, qui præuenitur sufficienti auxilio, & possibili posito in esse, nihil sequitur repugnans; ergo cum æquali præuenienti auxilio, & sine tali excessu positiuo, stat vnum consentire, & alium dissentire. Et eodem ferè argumento probatur altera pars de ablatione impedimenti. Primò quidem, quia stante eadem motione positiua, & ablatis æqualiter impedimentis, manet indifferens voluntas vtriusque hominis vocati; ergo licèt vnus pro sua libertate dissentiat, alter potest cooperari gratiæ Dei; cur ergo non ita interdum contingat? cùm in vtroque sit potestas moralis apta reduci in actum pro dominio libertatis. Imò hæc ratio probat, non ablatis etiam impedimentis posse consentire, qui maiora habet impedimenta, aut ex parte naturæ suæ, vel consuetudinis minus est dispositus, & alius non consentire, quia ad hoc extenditur libertas voluntatis, si gratia supponitur, quæ ad vincendum illud impedimentum, vel difficultatem simpliciter sufficiat. Et e conuerso, licèt quis habeat æqualia positiua auxilia cum minoribus impedimentis, potest minus operari, quia semper manet in voluntate potestas intrinseca ponendi impedimentum, vel suspendendi proprium actum, vel auertendi considerationem intellectus, hoc enim impedimentum, est quasi concomitans, & ab vsu propriæ libertatis pendet, ideoque non tollitur per auxilium præueniens, quia per illud non aufertur libertas, & ideo ex hoc capite semper esse potest diuersitas in consensu, licèt in præuenienti auxilio sit æqualitas.

Tandem declaratur vis huius rationis, quasi applicando illam ad exercitium. Constituatur itaque hominem præuentum à Deo motione sufficienti, vt conuerti possit, quia & satis attendit, & omnes præuiæ circunstantiæ necessariæ occurrunt, & nullum impedimentum occurrit, quod voluntas superare non possit. De hoc ergo homine inquiro, an necessariò consentiat, necne? Primum non asserunt dicti auctores, & constat ex superioribus dici non posse; ergo stante illa motione, stat illum non consentire. At verò nihil repugnat, motionem similem esse efficacem in alio eiusdem præuiæ conditionis; ergo. Respondent illum, qui habet talem motionem, posse sine nouo dictamine intellectus per liberam voluntatem transferre considerationem ad aliud obiectum, quod magis inclinet ad oppositum actum, & quando hoc non facit, necessariò consentire, & nihilominus liberè, quia illa necessitas talis est, quam per liberam auersionem considerationis impedire posset; quando verò illam auertit, iam non habet æqualem considerationem cum aliquo, & ideo aiunt, non esse mirum, quod tunc vnus consentiat, & non alius. Respon.

Verumtamen hæc responsio, & in se difficilis est, & vim rationis non euacuat: est autem difficilis propter duo. Primum, quia ille modus resilien- Refut. di, auertendo cogitationem, non semper habet locum, respectu gratiæ excitantis, quia illa excitatio est necessaria, vt lib. 3. visum est. Ponamus ergo duos excitari per cogitationem sanctam, & affectionem à Spiritu sancto indepedenter ab eorum libertate immissas, certè tunc non est in eorum potestate illas non recipere; ergo neque eis est liberum per eas non attendere, & mouere; ergo tunc non habet locum resistentia per ablationem cogitationis. Dices, licèt non possit homo illam cogitationem auferre, pro illo instanti pro quo illam recipit, posse tamen immediate post illud instans illam auertere. Sed hoc neque semper est ita, quia Spiritus sanctus, qui illam cogitationem immisit, potest eadem necessitate illam pro aliquo tempore conseruare. Nec etiam satis est, quia interdum deliberatio est facienda in eodem instanti, in

in quò immittitur inspiratio, vt in Angelis, & nihilominus in illomet instanti potest vnus sic vocatus consentire, & alius non præbere assensum.

28. Occurritur secundò. Secundò esto ille modus sit possibilis, vt esse potest, saltem applicando mentem ad aliam cogitationem liberam, licèt altera immissa non tollatur, sed simul maneat, licèt, inquam, hic modus possibilis sit, non apparet cur semper sit necessarius, vel cur non possit vterque sic vocatus mentem simul applicare æqualiter ad cogitationem alterius obiecti, quantum necesse est, vt eligant, & nihilominus, quòd pro vtriusque libertate, vnus rem vnam, alter aliam eligat. Quæ difficultas generalis est in omnibus liberis electionibus, & ideo illam non declaro: sed vlteriùs ostendo etiam admisso vt necessario illo modo resistendi per applicationem mentis ad cogitationem oppositam, non euacuari difficultatem: nam inde etiam sequitur cum æquali præuenienti gratia vnum resistere, & non alium. Probatur, quia ex duobus æquè vocatis vnus immediatè coniungitur vocationi, & consentit cum adiuuante gratia, & alter voluntariè applicat intellectum ad contrariam considerationem; ergo cum æquali vocatione vnus consentit, & alius resistit. Probatur consequentia, tum quia in eodem momento, in quo adhuc durat æqualis vocatio, vnus consentit, & non alius: tum etiam, quia illamet applicatio mentis ad aliam cogitationem, est resistentia, inde enim incipit. Ex quo vlteriùs sequitur, (quod maximè considerandum est,) illam inæqualitatem, quæ inter illos duos postea repetitur, non esse ex sola præueniente gratia, illa enim æqualis fuit, sed esse partim ex sola libertate in eo, qui se applicauit ad considerandum aliud, partim ex libertate cum cooperante gratia in eo qui se accommodauit vocationi.

29. Fundamentis aliarum opinionum satisfit. 1. Cor. 4. Supereſt vt fundamentis aliarum opinionum breuiter satisfaciamus. Quia verò prior opinio in sola physica prædeterminatione fundatur, negato illo principio, nulla ferè alia responsio necessaria est. Nam etiam illæ interrogationes Pauli 1. ad Corinth. 4. *Quis enim te discernit?* &, *quid gloriaris quasi non acceperis.* vt in superioribus sunt à nobis sigillatim explicatæ. Et ex tertia suppositione facta à nobis in hoc eodem capite possunt optimè declarari. Nam si discretio intelligatur secundùm diuinam electionem, & prædestinationem, Deus solus est, qui discernit, solo enim consilio voluntatis suæ, & non illi vocationem congruam præparauit, quod est maius, & singulare beneficium, licèt non semper absolutè sit maius auxilium. Si verò discretio in executione consideretur, sic ex parte eius, qui deficit, non tribuitur Deo, nec enim propria ratio deficiendi, est defectus auxilij, sed abusus libertatis, vt sæpe dictum, & probatum est. Ex parte autem eius, qui proficit, tribuitur quidem Deo, vt principali causæ, non tamen soli, nec sine cooperatione liberi arbitrij, vt etiam probatum est. Et ob eandem causam etiamsi homo proficiat, & ab alio discernatur, cooperando gratiæ Dei, non habet unde in se glorietur quasi non acceperit, cum ipsemet bonus vsus gratiæ sit eiusdem gratiæ principalis effectus. Quia verò homo sic operando aliquid meretur, & laudem, & gloriam habet apud Deum, ideo quando oportuerit, poterit non in se, sed in Domino gloriari, vt ex Paulo, & Sanctis Patribus etiam in superioribus declaratum est. Nihil ergo ex illo testimonio contra doctrinam datam deduci potest, neque tandem sequitur eum, qui conuertitur, non teneri ad maiorem gratiarum actionem. Nam in primis tenetur gratias agere pro dono fidei, vel pœnitentiæ sibi concesso per auxilium concomitans gratiæ, quod alteri datum non est. Deinde tenetur gratias agere pro maiori beneficio vocationis congruæ, ac denique pro singulari affectu, quo Dominus illum elegit, ac media, quibus certissimè liberaretur, præparauit; hæc enim omnia esto aliquando non includant auxilia in sua entitate maiora, semper sunt maiora beneficia, ac proinde maiori gratitudine digna.

30. Fundamenti alterius sententiæ prima pars. Fundamentum alterus sententiæ duas habet partes. Prior magis pertinet ad moralem Philosophiam, nititur enim in illo principio, quòd voluntas nunquam mouetur aliter circa vnum obiectum, quàm circa aliud, neque mouetur ad vnum, & non ad aliud, nisi in ipsis obiectis, vel in eorum applicationibus, vel in aliis prærequisitis conditionibus aliqua diuersitas ante usum libertatis præcedat. Hoc autem principium existimo falsum esse, & libertati contrarium, quod breuiter ostendo ex dictis in Proleg. 1. Nam voluntas vt sit libera, potest operari, & non operari, positis omnibus prærequisitis ad agendum; ergo omnibus illis stantibus, voluntas non necessitatur quoad exercitium, vel, (quod perinde est,) non ita determinatur, quin possit resistere in proprio sensu composito, id est, eisdem prærequisitis perseuerantibus. Ergo stante eiusdem obiecti eadem applicatione, & consideratione, cum cæteris præuiis conditionibus potest eadem voluntas pro sua libertate, vel ferri in obiectum, vel non ferri: vel ferri maiori conatu, vel minori. Et eadem ratione in duobus similiter affectis, & dispositis circa idem obiectum illa varietas ex sola libertate contingere, & in actum reduci potest, quia illa potestas in vtroque est physica, & moralis, & in vtramque partem æquè contingens.

31. Instatur. Dicetur fortasse, eum, qui consentit in tale obiectum, semper applicare mentem ad considerandum attentiùs illud obiectum, vel ad iudicandum magis practicè illud esse amandum, vel quid simile. Sed interrogabo rursus, an illud iudicium, vel maior consideratio simpliciter necessaria sit ad talem consensum. Hoc posterius non potest consequenter dici ab eo, qui sic respondet. Nam si illa maior attentio, non est simpliciter necessaria, quo fundamento asseritur semper interuenire, & sine illa nunquam præstari consensum. Si verò illa maior attentio necessaria est, interrogabo vlteriùs, an supposita propositione obiecti cum minori attentione illa maior attentatio sit in hominis potestate, & ex eius pendeat voluntate, vel non ita pendeat; vel necessarium sit, vt ab extrinseca causa proueniat. Si hoc posterius dicatur, apertè sequitur, ante illam maiorem attentionem non habere voluntatem ad consentiendum, neq; immediatè, quia non potest consentire sine maiori attentione, neque mediatè, quia non potest intellectum ad maiorem attentionem applicare, vt in responsione supponitur. Atque ita fit, vt alter, qui non consentit ex defectu talis attentionis, non liberè, sed necessariò non consentiat, & ita ille inæqualitas non erit respectu voluntatum liberè operantium, de quibus nunc tractamus. Et præterea instari potest, quia posita illa maiori attentione, vndecunque proueniat, voluntas adhuc libera est, & ita in duobus habentibus eundem attentionis gradum idem argumentum fieri potest. Instantiæ occurritur.

32. Rursus obiicitur, & respondetur.

Si verò tandem dicatur illa maior attentio esse in potestate hominis, & ab eius libertate pendere, quidquid sit de veritate assertionis, quam nunc expendere non est necesse, inde apertè sequitur, illam maiorem attentionem non esse ex conditionibus prærequisitis, ad vsum libertatis, & consequenter in præsenti materia sequitur, illam conditionem non pertinere ad prævenientem gratiam, quæ sine cooperatione libera nobis datur, sed ad subsequentem respectu prioris gratiæ, & comitantem respectu alicuius liberi vsus. Et id non obstat quominus verissimum sit, duos homines cum eisdem auxiliis gratiæ prævenientis diuersimodè vsos esse libertate sua, & inde tandem factum esse, vt vnus, v. g. voluerit credere, & non alius. Probatur assumptum, quia ex illis hominibus, qui æquales inspirationis receperunt, vnus applicuit mentem suam ad magis recogitandum, & alius non applicuit, licet liberè posset: hæc autem est prima inæqualitas, ex qua aliæ oriri possunt, illa autem non supponit auxilia prævenientia æqualia, ac proinde nec ab illis prouenit, sed ex parte eius, qui non amplius consideraat, oritur ex sola libertate; ex parte verò alterius maior attentio fit expositiuo vsu liberæ voluntatis applicantis intellectum, qui vsus non pertinet ad solam gratiam prævenientem, sed ad cooperantem simul cum libero influxu voluntatis, ergo simpliciter verum est, illos cum æqualibus prævenientibus auxiliis inæqualiter operatos fuisse.

33. Atque hic dum sursus quem de maiori attentione, vel consideratione fecimus, fieri potest de iudicio practico, si dicatur esse in vno, & in alio, & de quacunque alia conditione prærequisita, siue positiuè, siue practicè, tanquam remotio impedimenti. Nam similiter interrogabo, an remotio talis impedimenti necessaria sit ad consensum, necne. Si enim non est necessaria, frustrà petitur, quia stante eodem impedimento, licèt vnus non consentiat, stabit consensus alterius, cùm ad illum præstandum non sit necessaria prævia impedimenti remotio. Si verò est necessaria, petendum vlteriùs est, an subsit voluntati libertatis; nam si non subest, ille, à quo tale impedimentum non tollitur, non poterit consentire, & ita cessat comparatio, quam tractamus: inter eos enim fieri debet, qui liberè possunt consentire, vel dissentire; si verò remotio talis impedimenti est in potestate libera voluntatis, non est necesse, vt per maiorem gratiam prævenientem fiat, cùm possit fieri per vsum libertatis cum concomitante gratia, suppositaliqua priori sufficienter excitante. Et tunc inter duos æqualiter vocatos prima inæqualitas in vsu libertatis esse poterit, quod vnus liberè fugit impedimenta, & alius licet possit idem facere, negligit pro sua libertate; ergo ex hoc capite neque inuenitur necessaria inæqualitas in prævenientibus auxiliis, neque etiam illud principium in illo fundamento positum, est universaliter verum, quia stantibus omnibus prærequisitis ad vsum libertatis in duobus hominibus optimè fieri potest, vt inæqualiter incipiant liberè operari, siue immediatè prodeant in consensum, vel dissensum, siue in diuersam applicationem intellectus, siue in quascunque alias conditiones varias, ex quibus tandem in consensum, vel dissensum deueniatur.

34. Euacuantur probationes in

Neque obstant probationes in contrarium positæ, ad principalem enim rationem respondetur, voluntatem quidem nunquam moueri, nisi sub aliqua ratione cognita in obiecto, in quo sensu verum est nunquam moueri, nisi per rationem, tamen, quia illa ratio non est cogens, neque efficaciter determinans voluntatem, & quia cum vna ratione volendi potest in eodem obiecto esse coniuncta alia ratio non volendi, ideo stante æquali considerarione præuia vtriusque rationis, fiat voluntatem consentire, aut dissentire suo arbitratu, siue non interueniat diuersum iudicium practicum, siue interueniat, dummodo illud sit subsequens liberam motionem eiusdem voluntatis, alioqui necessitas eius repugnaret libertati, iuxta discursum proximè factum. Ad primam confirmationem negatur sequela, nimirum, voluntatem pro sua libertate posse fieri diligendo in malum sub ratione mali, quia illud non continetur sub tota latitudine obiecti voluntatis; libertas autem solum potest exerceri intra latitudinem obiecti.

Ad secundam confirmationem, vt nunc abstrahamus à longa disputatione morali, an possit esse defectus culpæ in voluntate sine prævio defectu in intellectu, respondeo breuiter, licèt demus semper procedere, vel comitari aliquem errorem, vel aliquam inconsiderationem intellectus, quotiet voluntas peccat, non tamen esse necessarium, vt illa inconsideratio, vel error præcedant omnem vsum libertatis, sæpe enim sunt voluntaria, nam ipsa voluntas quasi excæat intellectum, vel præcipitat illum ad iudicium practicè erroneum, vt liberiùs, quo vult, tendat. Et hoc satis est, vt omnis, qui peccat, ignorans, vel errans appelletur. Et ideo non obstat quominus is, qui consentit tentationi, æquale auxilium prævenies habeat cum illo, qui resistit, quia ille defectus considerationis, qui fortasse in vno inuenitur, & non in alio, non prouenit necessariò ex defectu auxilij prævenientis, sed potest esse ex defectu auxilij concomitantis ob negligentiam, & voluntarium defectum eius, qui peccat. Addo etiam fieri posse, vtis, qui peccat, & qui resistit, æqualem habeat considerationem, & quod præscientia Dei vni sit congrua, & alteri non congrua ad resistendum. Vnde solum fit, vt possit aliquando is, qui resistit, non habere maiorem considerationem, quam alius habeat, qui resistit; quia ille potest esse absolutè sufficiens ad resistendum tentationi, & nihilominus, respectiuè vni esse congrua, & non alteri. Vnde etiam fiet, vt is, qui non resistit, in re ipsa careat aliqua consideratione, quia hìc, & nunc indigeret ad resistendum; illa verò indigentia non nascetur in illo ex intrinseca impotentia voluntatis, sed ex informitate suæ libertatis, quam Deus ita operaturam præuidit, & ita illud peccatum non est sine defectu inconsiderationis, illa tamen, vt dixi, voluntaria est, quia posset, & deberet amplius considerare, quod cum æquali gtatia excitante facere potuisset, & ideo aliam tunc cum æquali prævenientegratia vnus resistat, & alius non resistit.

Ad tertiam confirmationem de obiectis, seu mediis æqualibus respondemus negando assumptum, potest enim voluntas in eo casu eligere, quod voluerit, imò in hoc maximè consistit dominium voluntatis. Quod in libertate euidentius elucet, & illius participatio necessaria est voluntati creatæ, vt in sua determinatione libera sit, alioqui semper esset ab intellectu, vel obiecto determinanda, etiam quoad exercitium actus, quod repugnat libertati. Vt autem voluntas tunc eligat, sufficiens ratio est, quòd in vno obiecto, vel medio inueniatur motiuum sufficiens, vt eligatur, & in altero nihil

nihil est, quod necessitet ad eius electionem, & ideo pro sola libertate voluntatis potest non appeti. Et quia in hoc est æqualitas in vtroque medio, vt vnum assumatur, & aliud relioquatur, potius quàm è conuerso, non est necessarium speciale motiuum, sed sola libertas sufficit. Neque oportebit, vt in vno minores difficultates, aut impedimenta appareant, quia eadem de illis est ratio. Nam, vt dixi, & semper voluntas potest ab intrinseco se impedire, vt sic dicam, etiamsi extrinseca impedimenta non adsint, & è conuerso licèt adsint impedimenta æqualia, vel etiam maiora, dummodo ineuitabilia non sint, potest sua libertate illa superare. Et ideo semper voluntas est libera ad eligendum, non solùm inter æqualia, sed etiam inter inæqualia, quod voluerit præsciendo, vt in 1. 2. q. 13. latiùs disseritur.

37. Fundamenti sententiæ altera pars.

Ad alteram partem, in qua prædicta generalis doctrina ad auxilia præuenientia gratiæ applicabatur, iam ferè responsum est, quia vel necessarium non est, aliquam inæqualitatem præcedere ante consensum, vel dissensum, vel quamuis interdum præcedat, non oportet, vt sit in auxiliis excitantibus, seu præuenientibus, nam potest esse in aliquo vsu libero prioris præuenientis auxilij, qui vsus sit veluti via, seu præuia quædam dispositio ad supernaturalem consensum, propter quem excitantia auxilia principaliter data sunt, vt de maiori attentione, aut recogitatione, aut alia simili conditione explicuimus. Ad testimonia autem Scripturæ, & Patrum, quæ in contrarium inducebantur, responsio ex tertia suppositione sumenda est, illam enim tantùm probant; nam semper qui conuertitur, à Deo recipit auxilia congrua, quibus à Deo efficaciter trahitur ad consensum, & hæc est singularis misericordia Dei, quæ non potest in merito hominis fundari. Vnde ratione illius dicitur Deus, cuius vult misereri, & trahere, quem vult, etiamsi auxilia in sua entitate maiora non conferat illi, quem sic vocat.

38. Vltimum Augustini testimonium exponitur.

Solùm ergo vltimum Augustini testimonium ex 2. de peccator. merit. & remiss. c. 17. & sequentibus indiget aliqua expositione: nam ibi rationem diuersitatis inter alios vocatos, quorum vnus consentit, & alius resistit, inde sumere videtur, quod in altero eorum, aliqua maior cognitio, vel delactatio præcedat. Responderi autem potest in primis Augustinum reddidisse rationem moralem, ex his, quæ frequentiùs accidunt, non quæ in rigore semper necessaria sint. Deinde dici potest Augustinum vocasse *certam scientiam*, *aut victricem delectationem*, vocationem congruam, quæ semper, & infallibiliter consequitur effectum, & ideo si in illuminatione consistit, potest dici *certa*, quia semper hominem certiorem reddit, etiamsi in se fortasse intensior, aut clarior non sit, etsi in delectatione consistit, dici potest *victrix* delectatio quia semper vincit, etiamsi fortasse maior in sua entitate non sit. Vnde dici etiam potest, licèt in vno præcedat maior aliqua attentio, vel affectio, seu delactatio, illa inæqualitas non prouenit ex sola excitante gratia, sed adiuncto aliquo vsu libertatis, vt in superiori puncto explicuimus.

CAPVT LIII.

Dubium appendix de concordia gratiæ efficacis cum gratuita, & efficaci electione, ac prædestinatione saluandorum omnium, & cum diuina prouidentia, ac prædefinitione actuum liberorum humanæ voluntatis.

1. Summa capitis.

COgimur in hoc capite explicare concordiam efficacis gratiæ prout à nobis declarata est, cum diuina electione prędestinatorum, præfinitione actuum liberorum, & in vniuersum cum perfectione diuinæ prouidentiæ, tum quia hæc omnia ita sunt cum gratia connexa, vt non possit sine compositione illorum inter se doctrina hæc consummari, tum maximè, quia defensores physicæ prædeterminationis existimant, vera dogmata de illis omnibus sine tali genere prædeterminantis auxilij non posse consistere, & ideo non solùm nobis obiiciunt, sed etiam tribuunt multa, quæ iudicio illorum vel absurda, vel etiam erronea sunt, quia ex nostra sententia sequi contendunt. Proponemus ergo sigillatim obiectiones eorum, & occasione illarum veram concordiam in illis omnibus, quæ proposuimus, ostendimus.

2. Obiectio 1. de electione gratuita prędestinatorum ad gloriam.

Prima obiectio sumitur ex electione gratuita prædestinatorum ad gloriam. Supponunt enim ex sententia Augustini, & D. Thomæ necessarium esse confiteri Deum in æternitate sua ante præscientiam omnium meritorum absoluto, & immutabili decreto statuisse, tot, & talibus hominibus æternam beatitudinem conferre in tali gradu, & perfectione, & non pluribus, neque paucioribus; quod decretum, vel electio gratuita prædestinatorum vocatur. Ablata igitur necessitate prædeterminationis physicæ, & posita efficacitate gratiæ dependente aliquo modo à cooperatione liberi arbitrij, sequi necessariò existimant, discretionem inter electos, & non electos, non ex Deo, sed ex hominibus esse sumendum, ac proinde tolli electionem gratuitam ex parte Dei. Vnde quidam illorum Patrum ex nostra sententia intulit non Deum eligere homines, sed potiùs homines eligere Deum, contra illud, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, Ioan. 15. Probatur sequela, primò, quia ita Deus ordinatur prædestinatos ad gloriam, vt per actus liberos illam adipiscantur, sed iuxta nostram sententiam, decretum Dei efficax & antecedens repugnat libertati; ergo iuxta nostram sententiam non potuit in Deo talis electio; seu decretum præcedere. Vel secundò, vt Deus habeat tale decretum, necesse est, vt sola sua virtute possit efficaciter determinari homines, vt saluari velint, & media salutis implere per actus liberos; sed iuxta nostram sententiam Deus non habet talem potestatem, quia sine auxilio prædeterminante non potest esse talis efficacia, quæ sufficiat ad certitudinem dictæ electionis, & nos negamus tale genus auxilij; ergo. *Ioan. 15.*

3.

Quòd si respondeamus, posita præscientia conditionata posse consistere sufficientem mediorum efficaciam, & certitudinem sine prædeterminatione, contra hoc insurgunt, primò impugnando scientiam conditionatam, & certitudinem eius, nisi fundatur in antecedente decreto. Secundò inferendo, eo ipso sequi electionem ad gloriam

non esse ante omnem præscientiam meritorum, ac proinde non esse omnino gratuitam, quàm non elegit hunc potius, quàm illum, nisi quia nouit hunc fuisse consensurum vocationi, & non illum, & ita in tempore non ideo Deus trahet hominem, quia elegit eum in æternitate, sed potiùs quia præuidit hominem fore eligentem Deum tali tempore, eligit illum ex æternitate. Tertiò similiter conferunt numerum saluandorum non esse certum in diuina electione, & vocatione, & in præscientia, quod etiam repugnat gratuitæ electioni.

4. Obiectio 2. de actibus liberis.

Secunda obiectio huic similis est, quia sequitur ex nostra sententia Deum non prædefinire actus liberos, quia si illos prædefiniret, illa præfinitio esset suppositio antecedens, vt illa particula *præ* denotat, & ita tolleret libertatem iuxta nostra principia. Et confirmatur hæc obiectio, quia iuxta illam sequitur consequenter actus liberos euenire præter intentionem Dei, quod multum derogat perfectioni diuinæ prouidentiæ. Sequela probatur, quia intentio dicit decretum absolutum, ac præfinitum voluntatis, sed Deus non habet tale decretum circa actus liberos, qui de facto eueniunt; ergo præter intentionem Dei eueniunt.

5. Obiectio 3. de prouidentia.

Tertia obiectio est, quia sequitur Deum non habere perfectam prouidentiam omnium effectuum causarum secundarum in particulari; quod est absurdum, vt per se constat. Sequela pater, quia prouidentia dicit rationem prædisponentem de futuris euidentibus; ergo perfecta prouidentia postulat perfectam dispositionem omnium in particulari, absolutè statuendo quid in singulis momẽtis, & actibus omnis causa secuda factura sit, quod non fit sine absoluta omnium prædefinitione; ergo ablata huiusmodi prędefinitione, aufertur perfecta prouidentia. Et confirmatur, quia sine tali prouidẽtia, non est perfecta gubernatio, quia hæc in eo posita est, quòd Deus tanquam supremus Dominus vtatur omnibus causis secundis, & omnibus voluntatibus, applicando illas quo voluerit, & vbi, quãdo, & quomodo voluerit, qui vsus non potest esse sine vniuersali prefinitione. Assumptum patet, quia dominium est potestas vtẽdi, vnde in vsu perfecto ostenditur plenitudo dominij; vsus autem est applicatio potentiæ ad opus, ex D. Thoma 1. 2. q. 16. ergo si Deus non applicat inferiores causas, & præsertim voluntates humanas ad suas operationes, non perfectè vtitur illis, ergo neq; perfecte eas gubernat, & consequenter neque perfectè eis prouidet, quia gubernatio est effectus prouidentiæ.

D. Thomas.

6. Obiectio 4. de perfectione prouidentiæ circa peccata.

Quartò specialiter obiicitur de perfectione prouidentiæ circa peccata, non solùm vt actus sunt, sed etiam vt peccata sunt, neutro enim modo saluatur perfecta Dei prouideutia circa illa iuxta nostram sententiam. Prior pars probatur, quia actus peccatorum iuxta nostram sententiam non prefiniuntur à Deo; ergo neque intenduntur ab ipso; ergo fiunt præter intentionem Dei, & sine ipsius voluntate, quod est contra perfectionem prouidentiæ. Altera pars probatur, quia licèt peccata, vt peccata solum permittantur à Deo, tanta verò sapientia illa permittit, vt *illis* non minus vtatur ad fines suæ prouidentiæ, quàm si illa ordinaret, vt videre licet in peccato crucifigentium Christum, & in peccato fratrum, qui Iosephum Ægyptiis vendiderunt, & similibus: hoc autem tam excellens prouidentiæ genus non potest consistere sine præfinitione talium actuum, quia permissio purè spectata relinquit voluntatem omnino indifferentem sine vlla determinatione; ergo per se sola, si non fundetur in aliqua præfinitione, non potest esse medium certum ad aliquem finem. Vnde confirmatur, quia quod Deus permittit, infallibiliter euenit, vt in iudaeis contingit, iuxta illud, *Nemo potest corrigere, quem tu ipse despexeris.* At hoc intelligi non potest sine præfinitione; ergo.

Hæ obiectiones duas præcipuè attingunt difficultates, vna est de ordine prædestinationis quoad gratuitam electionem, in qua prædestinatio vel consistit, vel fundatur, alia est de præfinitione actuum liberorum. Et hæc duo pendent ex aliquo puncto, an scilicet, in diuina voluntate ordo intentionis, & executionis distinguendi sint. Quæ tria breuiter attingam propter huius materiæ complementum, nam in 1. p. & in lib. de Auxil. latiùs hæc disputata sunt. In primo ergo puncto antiqua, & celebris opinio Theologorum fuit, Deum peculiari actu, & proposito absoluto voluntatis suæ, ita delexisse omnes homines, qui saluandi sunt, vt ante omnia bona; & mala merita omnium parium hominum præuisa à cæteris non saluandis discreuerit, & ad æternam gloriam infallibiliter consequendam destinauerit: postea verò docti aliqui moderni, licèt hunc actum gratuitę electionis diuinæ prędestinatorum ad gloriam, non negauerint, dixerunt tamen, non esse priorem etiam ratione voluntate dandi, & constituendi prædestinatos in tali ordine rerum, in quo infallibiliter talia haberent merita, per quæ tantam gloriam consequerentur. Quam opinionem sequutus est Molina in concordia. q. 23. art. 1. & 2. disp. 2. §. *Præterea*, & art. 5. disp. 1. memb. 8. qui non differt ab antiqua opinione in asserenda gratuita electione prædestinatorum ante merita absolutè præuisa, sed solùm in explicanda illa per signa prioris, & posterioris secundùm rationem, hæc enim ipse negat. Neque in hoc noua est eius opinio, nobis tamen non videtur necessaria, neque apta ad explicandos nostro modo effectus, & causas prædestinationis. Sed quia hoc ad præsens non refert, sufficient nobis alibi dicta, cum his, quæ statim dicemus.

Deinceps verò P. Vasquez 1. p. disp. 89. à cap. 6. licèt signa rationis in actibus diuinæ voluntatis non negat, nihilominus latissimè persuadere conatus est non habuisse Deum ante præuisa saluandorum merita absolutum actum voluntatis dandi illis gloriam. Non abstulit autem omnem præuiam intentionem dandi eis gloriam, quæ esset finis meritorum, & gratiæ, quam illis dare decreuit: sed dicit illam intentionem non fuisse per efficax decretum voluntatis Dei, sed per simplicem affectum, quem alij velleitatem, alij conditionatam voluntatem, alij voluntatem antecedentem appellant. Nam hunc saltem actum reputauit necessarium, vt Deus perfectam prouidentiam gratiæ haberet illam ad debitum finem ordinando, quod sine aliquo actu circa eundem finem intelligi non poterat. Negat tamen illum actum esse absolutum, & efficacem, quia putat repugnare libertati humanæ, & derogare meritis gloriæ, & propter alias rationes, quas latissimè prosequitur; multa etiam Patrum, & præsertim Augustini testimonia congerendo: Et ideo in eadem 1. p. disp. 82. cap. 5. cùm doceat in voluntate Dei ordinem intentionis esse priorem ordine executionis, limitationem adhibet, quia cùm finis consequendus est per media moralia, vt sunt merita, intentio finis non potest esse efficax, sed per simplicem tantùm affectum.

Tan-

Tandem nouioris quidam Theologi eò progressi sunt, vt non solùm negent, habuisse Deum ante præuisa merita efficacem voluntatem dandi prædestinatis gloriam, verùm etiam doceant nullo actu, vel affectu voluisse Deum dare aut ordinare illos ad beatitudinem consequendam, directè intendendo illorum beatitudinem, vt finem prius ratione, quàm voluerit eis dare merita, quæ in tempore contulit, quibus præuisis voluit efficaciter gloriam eis propter merita tribuere. Fundantur, quia in diuina voluntate nullus est ordo intentionis, sed executionis tantum. Vnde P. Vasquez reprehendunt, eo quòd non fuerit consequenter loquutus. De me autem aiunt, futilibus argumentis motum esse ad illos duos ordines intentionis, & electionis in diuina voluntate vniuersæ distinguendos; fundamentum autem propter quod ipsi illos negant, est, quia putant, Deum constitui volentem liberè creaturam, nam per solam suam voluntatem essentiam, seu entitatem, sed simul cum ipsa creatura volita, quæ est terminus illius voluntatis diuinæ cum quo ipsa non necessariò constituitur. 1.

Quo fundamento posito sic colligunt. Creatura non potest concurrere suo modo ad constitu- 9. Corollarium.
endum Deum volentem, nisi accipiat entitatem, aut esse actuale per ipsammet voluntatem, per quam dicitur volita, quia solùm sub illo statu non habet necessariam connexionem cum libera Dei voluntate, nam sub esse possibile, vel nullam connexionē habet, quia nō amatur, vel si quam habet, illa est necessaria, quod aliquam complacentiam iuxta varias opiniones. At verò creatura non accipit entitatem, vel esse actuale, nisi per voluntatem exequentem Dei; ergo non potest intelligi Deus volens liberè creaturā, nisi per volūtatem exequentem; ergo nec potest intelligi in voluntate diuina ordo intentionis distinctus etiam ratione ab ordine executionis. Vnde consequenter inferunt, quòd licèt in actibus voluntatis Dei assignari possint signa rationis, illa sola sunt cogitanda in ordine executionis, ita vt illud sit volitum prius, quod in re futurum est prius executione, seu quod est alterius causa, ad eum modum, quo solet medium in executione esse causa finis. Ex quo tandem concludunt non dari in voluntate diuina circa prædestinatos præuiam intentionem liberam dandi eis gloriam, sed solam voluntatem exequentem, in qua priùs intelligitur voluntas vocandi, quàm iustificandi, & iustificandi quam glorificandi.

Nihilominus in hoc primo puncto de efficaci 10.
electione prædestinatorum, quæ ordine intentionis præcedat eorum merita præuisa, opinio affirmans, quæ D. Thomæ, & communis Theologorum est, & Augustini etiam esse opinor, mihi semper placuit. Vt autem illam breuiter proponam, à tertio puncto inchoandum est, in quo communis sententia Theologorum omnino præferenda est, quam non futilibus argumentis, sed solidis rationibus fundatam esse certò credimus. Est autem communis sententia in diuina voluntate non tantùm executionis, sed etiam intentionis ordinem reperiri, & à nobis considerandum esse. In hoc autem puncto duo includuntur, vnum est in diuina voluntate vtrumque ordinem intentionis, & executionis verè, & propriè reperiri; aliud est inter illos ordines esse distinctionem aliquam rationis, & consequenter in eis actus ratione distinctos cum ordine prioris, & posterioris in variis rationis signis spectari posse. Primum est præcipuè intentum, & ante omnia probandum, inde verò inferemus aliud, quia licèt in hoc non sit tanta concordia inter Theologos, neque res sit tanti momenti, quia in modo ipsius intelligendi, & concipiendi nostro, quàm in re ipsa consistit; nihilominus rectè de illis signis sentire, & loqui ad rem meliùs intelligendam & explicandam non parum prodesse potest, vt in discursu dicemus. Nunc ergo per dictos ordines solùm intelligimus actus ipsos pertinentes ad ordines ipsos intentionis, & executionis secundùm formales rationes eorum, semotis imperfectionibus, quales sunt distinctio actualis, quæ in re sit inter tales actus ratio causalitatis inter eos, & prioritas temporis, vel naturæ. quibus ablatis optimè concipimus, eundem actum esse posse veram intentionem vnius rei, vt finis, & electionem alterius, vt medij ad illam, sicut intelligimus posse amari vnam rem vt honestam, & aliam tantùm vt vtilem, siue illi amores sint re, siue ratione distincti, siue hunc, siue illum ordinem inter se seruent. In hoc ergo sensu dicimus in Deo esse ordinem intentionis, quia in voluntate diuina est vera intentio vnius rei, & finis, & electio alterius rei vt medij ad illam. Et sententiam sic explicatam credimus esse communem Theologorum, præsertim D. Thomæ, & Scholasticorum, & Augustini. Quia verò de *executione executionis* nulla est quæstio, *ordinem intentionis* præcipuè ostendemus, & quia Theologi, & Augustinus maximè hoc attingunt tractantes de diuina prædestinatione, & gratia, ideo principale punctum hîc intentum de gratuita electione prædestinatorum ad gloriam comprobabimus. Ostenditur ordo intentionis.

Primò ergo sumitur prima sententia satis apertè ex D. Thoma 1. p. q. 22. art. 1 vbi docet prouidentiam esse rationem ordinis rerum in finem vtique intentum ab ordinante, & prouidende. Vnde addit in solut. ad 2. quòd *prouidentia est in intellectu, sed supponit voluntatem finis; nullus enim præcipit de agendis propter finem, nisi velit finem.* Ex hoc principio in q. 23. art. 4. probat ad prædestinationem, prout est in intellectu, supponi in voluntate Dei, dilectionem, seu electionem, quia *prædestinatio aliquorum*, (inquit,) *ad salutem æternam præsupponit secundùm rationem, quòd Deus illorum velit salutem*, vtique vt intentionem finis respectu mediorum prædestinationis. Et in art. 7. hanc intentionem vocat *principalem præfinitionem*, per quam Deus intendit certum numerum saluandorum, *quia omne agens*, (inquit,) *intendit determinatam mensuram in suo effectu.* Eundem intentionis ordinem supponit D. Thomas in 1. 2. q. 112. art. 13. cùm inquit, *si ex intentione Dei mouentis est, quòd homo, cuius cor mouet, gratiam consequatur, infallibiliter illam consequitur.* Nam in his verbis ordo intentionis euidenter continetur, supponunt enim in Deo intentionem dandi gratiam, & ab illa procedere motionem, quæ infallibiliter habeat effectum. 11. Probatur gratuita electio prædestinatorum ad glor. D. Idem.

Præterea idem D. Thomas lib. 1. contr. gent. cap. 86. ex professo docet, dare rationem diuinæ voluntatis, eo modo, quo finis est ratio volendi ea, quæ sunt ad finem. Et sic in ratione prima dicit, Deum velle bonitatem suam tanquam finem, & cætera vt media, iuxta illud Prouerb. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*, In ratione autem secunda dicit, etiam inter bona creata vnum ordinari à Deo ad aliud vt in finem, & sic cadere sub diuinam voluntatem, & in ratio- 12. Idem D. Thom. Prou. 6.

ne 3. dicit, suppositò, quod Deus aliquid vult, necessariò velle, quæ ad illud requiruntur. Quæ omnia euidentissimè pertinent ad ordinem intentionis, neque sine illo intelligi possunt. Vnde licèt de modo loquendi sit alia controuersia inter Theologos, an sit dicendum Deum velle vnum, quia vult aliud, vel velle vnum propter aliud: item an vnum obiectum creatum sit Deo ratio volendi, aliud per modum finis, vel sola sua bonitas sit finis, propter quem vult omnia creata vt media ad gloriam suam, nihilominus omnes in hoc conueniunt, quòd in Deo est intentio finis, & electio mediorum; & quia inter media vnum est propinquius fini, quàm aliud, ideo interea velle vnum propter aliud, vt videre licet in Caietano 1. p. q. 19. art. 5. Ferrariens. 1. contr. gent. cap. 86. & 87. Capreol. in 3. dist. 1. quæst. vnic. art. 3. ad argumenta contra primam conclusionem, vbi in solut. ad 3. expressè distinguit in mente Dei ordinem intentionis ab ordine executionis, & illum dicit esse priorem ratione, ex parte obiectorum.

Caietan. Ferrar. Capreol.

13. *Scotus. Lychet. Corduba.* Distinguit Corduba in Deo duas volũtates dandi gloriam prædestinatis.

Eadem est sententia Scoti in 1. dist. 41. & in 3. dist. quæst. 3. & dist. 19. vbi Lychetus, & alij explicant, & sequuntur, & Corduba lib. 1. q. 56. opinion. 5. in secunda eius parte, vbi inter alia expressè distinguit in Deo duas volũtates dandi gloriam prædestinatis, aliam ante præuisa merita, aliam post meritorum præuisionem, & hanc dicit esse voluntatem executionis, illam intentionis. Denique omnes alij antiqui hanc doctrinam supponiunt, dum de Christi, vel nostra prædestinatione disputant, vt videri potest in Durand. in 1. dist. 41. Bonauentur. in 3. dist. 1. art. 2. q. 1. & aliis ibi, & Alens. 3. p. q. 2. memb. 13 Eandem sententiam sequitur Bellarmin. lib. 2. de Grat. & liber. arbitr. cap. 17. Et illam supponit Valentia, qui falsò in contrarium allegatur. Nam in 1. tom. disp. 1. q. 19. punct. 5. §. *ex his assertionibus*, expressè dicit Deum prius voluisse beatitudinem Petri, quàm eius meritain genere causæ finalis, prius autem voluisse merita, quàm beatitudinem in genere causæ moralis, seu dispositiuæ, per quæ duo explicat apertè ordinem intentionis. Et in secunda assertione, ex locutionibus Scripturæ probat Deum verè, & cum omni proprietate operari propter finem, ac subinde esse in voluntate eius ordinem intentionis, qui per particulam *propter*, vel *vt*, solet frequenter in Scripturis indicari. Et in 4. tom. disp. 1. punct. 7. in toto illius discursu illam distinctionem supponit. In §. autem *Neque verò*, & sequenti referens expresse illam distinctionem de ordine intentionis, & executionis, non refutat illam, sed supponit potiùs, & addit ad rem, de qua ibi tractat, *intempestiuè applicari*, quod nostra nunc non refert. Ait etiam quidquid est posterius in intentionis ordine, semper fieri in executione propter illud, quod est in intentione prius, quod est verissimum; per hoc autem non confunduntur, sed distinguitur apertè ordines prædicti.

Durand. Bonauent. Alens. Bellarm. Valentia.

14. Comprobatur dictorum veritas ex Scripturâ.

Possumus præterea veritatem hanc ex sacra Scriptura, & Patribus confirmare, quatenus eodem modo loquuntur de Deo, vt agente propter finem, & intendente finem, & eligente media, sicut de hominibus; & ad id explicandum modo hominibus accommodato, Deo etiam consilium tribuunt, quod seclusis imperfectionibus, & cum omni proprietate in his, quæ ad perfectionem simpliciter pertinent, ab omnibus intelligitur. Sic dicitur ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, vt essemus Sancti.* Vbi particula, *vt*, finem denotat: & ideo à Hieronymo ibi, & Augustino frequenter ponderatur, non dixisse Paulum, *quia futuri eramus sancti*, quod ad ordinem executionis pertineret, sed, *vt essemus sancti*, quod pertinet ad ordinem finis & intentionis. Vnde infrà Paulus, *Sorte vocati sumus prædestinati secundùm propositum eius, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ, vt simus in laudem gloriæ eius.* Et in eodem sensu dicit cap. 2. *Creati in operibus bonis in Christo Iesu, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Illa eriam voluntas, qua vult Deus, omnes homines saluos fieri, nullo modo potest esse nisi per modum cuiusdam intentionis, qua Deus vult hominibus salutem, & ex vi cuius præparat omnibus media aliquo modo sufficientia, vt illam consequi possint. Cui simile est illud Luc. 13. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti:* Hæc enim & similia non metaphoricè interpretanda sunt, cùm non sit necessarium, & proprietas verborum tenenda sit. Per ea ergo significatur voluntas Dei antecedens, qua de se tale bonum intendit, & ex vi illius confert media, quæ ex hominum malitia effectu suo fruſtrantur.

Ephes. 1. *Luc. 13.*

In electis autem intentio est absoluta & efficax, & ex vi illius media congrua, & accommodata bonus Deus confert. Et hunc intentionis ordinem varijs locupletionibus explicauit nobis Augustinus de hac ipsa materia differens. Ait enim lib de Corrept. & Grat. cap. 14. *Cùm homines per corruptionem in viam iustitiæ, seu veniunt, seu reuertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille, qui quolibet plantante, & rigante dat incrementum Deus?* Et rationem, seu modum declarans addit *Cui volenti salutem facere nullum humanum resistit arbitrium*, ac si diceret, vocationem eius, qui sic vocatur, vt conuertatur, procedere ex absoluta voluntate Dei saluandi illum, & ideo neminem illi resistere; præcedit ergo secundùm Augustinũ illa diuina intentio ad talem executionem. Eandem doctrinam indicauit lib. de Prædest. Sanctor. c. 8. dicens, *Hæc gratia, quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde resistitur.* Ecce efficaciam in executione, radicem autem ex ordine intentionis ostendit, addens, *Ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur*, Et infrà, *Sic quippe facit filios promissionis, & vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriam*, vbi verbum, *facit*, executionem, verbum autem *præparauit*, intentionem indicat. Et similiter in c. 17. ait. *Elegit prædestinatos, vt credant non quia crediderunt.* Et infrà, *Quos prædestinauit, hos & vocauit, illa scilicet vocatione secundùm propositum.* Quod propositum non est nisi intentio efficax saluandi illos, quam paulo antea vocauerat electionem æternam, dicens, *Elegit eos de mundo, cùm hîc ageret in carne, sed iam electos in seipso ante mundi constitutionem.* vbi duplicem electionem æternam, & temporalẽ indicat. Vnde huic æternæ electioni tanquam primæ, & efficaci intentioni solet Augusſ. tribuere omnem peculitatem curam, quam in executione Deus habet prædestinatorum, vt in c. 7. de corrept. & grat. latè, & eleganter describit, declarat, & concludit. *Hæc omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in filio suo per electionem gratiæ*, id est, gratuitam, vt notauit Toletus ad Rom. 11. notat. 4. & verba ab eodem Augustino subiuncta declarant. *Quoniam secundùm propositum vocati sunt per electionem*, (vt dictum est,) *gratiæ non præcedentium meritorum suorum.* Vnde etiam constat, quoties Augustinus loquitur de vocatione secundùm propositum, per *propositum* intelligere hanc diuinam intentionem, & ele-

Prou. 8. *17.*

electionem, vnde subiungit, *Ex istis nullus perit, quoniam omnes electi sunt: electi sunt autem, quia secundùm propositum vocati sunt: propositum autem non suum, sed Dei, de quo alibi dicit, vt secundùm electionem propositum Dei maneret.* Et vt tolleretur omne dubium, terminum, seu obiectum illius electionis declarat, dicens, *Electi sunt autem ad regnandum cum Christo.*

Præterea est ad hanc rem confirmandam insigne testimonium Eusebij Pamphili, seu Cæsarienſis in disputatione cum Philosopho de filij diuinitate, quæ refertur in Concilio Niceno nouiter per Alphonsum Pisanum, nostræ Societatis, collectum, & in tom. 1. Conciliorum editum. Ibi enim in lib. 2. paulo ante medium, tractando verba illa Prouerbior. 8. *Dominus possedit me*, &c. vel iuxta Septuaginta, *Condidit me initium viarum suarum*, inter alia interrogauit Eusebius Philosophum, *Est ne conditus homo propter mundum, an mundus propter hominem?* Respondit autem Philosophus, *Omnino mundus propter hominem*: quam responsionem acceptans Eusebius subiungit, *Si mundus est propter hominem, omnino cùm homo prior in Dei proposito, mundus in Deo proposito erit homine, ac rationabili sapientia posterior. Igitur si homo prior est mundo, erit prior naturis, quales sunt cœlum, terra, dies, nox, nubes, abyssi, fontes, montes, & colles, prior erit his sapientia, & homo in Dei proposito iam prior est mundo, sed eundem accidet posterius in via creationis conditum fuisse. Qui autem in diuina intentione homine posterior erat, ille in viam creationis incidit. Sed sapientia quam inuenit prudentia filius Dei, quam dedit homini ad imaginem suam, ipsa etiam in diuina intentione mundo, & mundi naturis prior fuit.* Et iuxta hanc doctrinam, & distinctionem de homine interpretatur illam Salomonis sententiam. *Dominus possedit me initio viarum suarum; possedit* vtique in proposito, *& initium* in ordine intentionis. Confirmatque tandem totum discursum verbis illis Domini. *Sabbathum propter hominem factum est, non homo propter Sabbathum.*

16. Confirmatur. Euseb.

Prou. 8.

Hoc autem testimonium quantum ad sensum attinet, nullum patitur terguersationem: volunt enim explicare Eusebius; quomodo sapientia creata in homine, (de quo locum Salomonis interpretatur,) *vocetur initium viarum Domini*, cùm in executione fuerit posterior, & ad hoc explicandum distinguendùm ordinem intentionis, & executionis, & supponit ordinem intentionis esse priorem, & initium respectu inferiorum creaturarum fuisse hominem. Vnde dici non potest Eusebium solùm distinxisse executionem ad extra, quæ in tempore facta est, à voluntate Dei æterna, per quam in tempore creationem exequutus est: tum quia expressè dicit, hominem fuisse priorem mundo in diuino proposito, & è conuerso mundum fuisse posteriorem in eodem Dei proposito: & deinde hoc propositum declarat pes intentionem Dei; tum etiam, quia si in ipsa voluntate æterna Dei, non est nisi ordo executionis, non habet in illa res futura alium ordinem, nisi correspondentem ordinis executionis, vt aduersarij frequenter, & consequenter docent. Non potest ergo de sensu illo dubitari, neque ipsi Scholastici expressiùs, & clariùs, de his ordinibus, & signis loquuntur. Deinde considero, quòd licèt illa sententia ab Eusebio non modicam auctoritatem habeat, longè maior illi accrescit ex consortio Patrum, quorum nomine respondebat, vt ibidem dicitur, nam illi saltem tacendo consensisse visi sunt, & ipse Eusebius illam doctrinam, tanquam communem, & receptam à Catholicis proponere visus est. Pondero præterea Eusebium totum suum discursum in particula *propter*, fundasse. Nam quia Philosophus admiserat mundum propter hominem creatum esse, inde intulit hominem fuisse priorem in intentione diuina, & inde tandem ordinem intentionis, & executionis in ipsa Dei voluntate distinxit, suumque discursum ex illis Christi verbis, *Sabbathum propter hominem factum est*, confirmauit: vnde eodem modo possemus nos ex infinitis sacræ Scripturæ locutionibus similibus eandem veritatem comprobare.

17.

Denique ratione etiam potest eadem veritas ostendi, quia quidquid est perfectionis in voluntate creata, & actibus eius inuenitur, licèt in voluntate creata non sit, nisi admixtum imperfectionibus, nihilominus seclusis imperfectionibus Deo tribuendum est, cui nulla perfectio deneganda est: sed operari propriè & perfectè propter finem spectat ad perfectionem simpliciter; ergo hoc maximè tribuendum est Deo. Minor certissima est, quia in vniuersum pertinet ad perfectionem agentis non tempore & casu operari, sed indefinitum terminum suæ actione tendere, & ideo omnia agentia etiam naturalia, quatenus perfectè operantur, agunt propter finem; inter illa verò ea, quæ ratione carent, agentur potius, quàm agant propter finem, propter imperfectionem suam, vnde necesse est, vt ab aliquo intellectuali agente dirigantur, vt etiam Aristoteles assequutus est; ergo in intellectuali agente ad formalem perfectionem eius simpliciter spectat, vt per se operetur propter finem, certa ratione, & consilio suæ opera in definitum in finem ordinando. Hoc autem faciunt creaturæ rationales, vel producendo actus à sua voluntate distinctos, vel vnum actum per alium efficiendo, vt electionem mediorum per intentionum finis, vel prius tempore, & causalitate, quàm aliud volendo: hæ autem imperfectiones, & similes remoueri possunt à voluntate Dei, seruata perfectione simpliciter agendi, & volendi propriissimè propter finem, nam propter infinitatem, & simplicitatem suam, vno purissimo actu potest velle plura obiecta creata, vnum, vt finem alterius, & vt rationem volendi illud, sicut etiam eodem actu vult se, & alia, se propter se, & alia propter ipsum; ergo habet Deus propriè, & formaliter illam perfectionum, sine cæteris imperfectionibus. Et confirmatur, nam difficilius apparet vno, & eodem actu aliquid velle necessariò, & aliqua liberè, & vnum efficaciter, aliud inefficaciter, seu simplici affectu, quàm velle vnum vt finem, & alium vt medium; sed in diuina volitione simplicissima, illa omnia inuenitur eminenti, & formali modo, quia ad perfectionem simpliciter spectant; ergo hæc etiam intelligenda in ea sunt. Quidquid ergo nos appetimus diuersis actibus intendendo, diligendo, vtendo fruendo, vult Deus vno simplicissimo actu.

18. Veritas suprà dictorum ostenditur.

Hoc autem perfectione intellecta in diuina voluntate, consequens necessariò fit, vt in eo sit ordo intentionis; hic enim ordo per se, & remotis imperfectionibus non dicit ordinem realem in ipsis actibus, sed tantùm veram rationem formalem intentionis, & electionis in tali actu, ex quo resultat ordo aliquis realis in ipsis obiectis, & consideratur à nobis secundùm rationem in ipso actu Dei, quia non possumus illam prout in se est, intelligere, sed inadæquatè illum incipiendo, & in plures actus secum rationem illum distinguendo. Ergo sicut in nobis est ordo intentionis realis, ita est in Deo eminentiori modo, quem nos per distinctionem, & ordinem

19.

Confirmatur, & declaratur.

dinem rationis explicamus. Et confirmatur, ac declaratur, nam simili ratione docent Theologi, Deum habere in mente sua ideas, seu rationes rerum omnium, per quas tanquam supremus artifex res tam varias, ac multiplices operatus est. Quia, vt

Augustin.

Augustinus ait lib. 83. Quæstionum. q. 48. non aliter intelligimus Deum summa ratione omnia condidisse, non minus autem concipere debemus Deum rationabiliter operantem in morali, quàm in artificioso modo operandi; ergo necessariò debemus concipere Deum vt perfectissimè operantem propter finem, nam sicut ad perfectum, & rationabilem modum operandi artificis spectat, per propriam exemplar vnumquodque producere, ita ad effectum, & rationabilem modum & agentis liberè, & moralis pertinet per propriam intentionem, & electionem propter finem operari, sic igitur operatur Deus; ergo in voluntate eius datur verus ordo intentionis, qui in illis actibus consistit.

20. Distinguitur ordo intentionis ab executionis ordine Probatur.

Et hinc ulterius sequitur, ordinem intentionis nostro modo intelligendi, esse distinctum ab ordine executionis, & illo priorem. Probatur, quia nos non possumus apprehendere, aut explicare diuina, nisi ad instar eorum, quæ in nobis experimur, sed in nobis ordo intentionis antecedit ordinem executionis, quia finis est, qui prius mouet ad sui affectū, & desiderium, seu intentionem, & inde fit transitus ad electionem, & inde ad executionem, seu vsum; ergo licet Deus hæc omnia in se habeat vno simplicissimo actu, nihilominus secundùm rationem intelligere debemus voluntatē Dei primariò ferri in finem, quàm in media, & prius per modū cuiusdam determinati affectus interni, quàm per modū exequentis ad extra, & hoc vocamus ordines intentionis, & executionis. Et confirmatur; nam in scientia Dei licèt simplicissima, & sine discursu sit, intelligimus Deum, v. g. siue hominem esse risibilem, quia est rationalis. Vnde nostro intelligendi modo, si actus illos ratione distinguamus; apprehendimus, vt priorem cognitionem essentiæ, quàm passionis ab illa resultantis, & actum circa principiū, quàm circa conclusionē; ergo similiter in proposito. Declaratur præterea, quia vbi nos intelligimus, vnū dependere ab alio, & non è contra, intelligimus prioritatem, & ordinem secundùm rationem, sed executio pendet ab intētione, & illam supponit, è contrario verò intentio non ita pendet, quia licèt intentio efficax inferat executionem, tamen potest esse intentio determinata, & executio indifferēs, quia potest per varia media, & diuersis modis fieri; ergo intelligitur rectè ordo rationis in quo intentio præcedit.

Confirmatur.

Declaratur.

21. Reiicitur fundamentum in vltima sententia propositum.

Neq; contra hanc resolutionem vllius momenti est fundamentum nouum in ultima sententia propositum. Id enim, quod supponit Deum constituisse volentem liberè simul per suam essentiā, & creaturam volitam, incredibile mihi visum est. Tum quia inde sequitur, Deum, ex parte saltē formaliter constituisse volentem per ipsam creaturam volitam; tum etiam, quia similiter concedendum erit, constituisse formaliter scientiam rei factus per ipsas creaturas scitas, quod nulla ratione permittendum est, quia hoc maior imperfectio esset in Deo, quàm accipere scientiam, vel voluntatem à rebus. Deinde creatura volita, vel scita, & terminus extrinsecus volitionis, vel scientiæ; ergo non potest formaliter concurrere ad constituendum Deum volentem, vel intelligētem; nam in nobis non est intelligibile solùm, quia obiectum se habet extrinsecè; ergo multo minus in Deo. Denique denominatio volentis, vel scientis, nulla ex parte potest esse extrinseca, etiam quoad determinationem ad tale obiectum, aliàs non esset vitalis, neque ex intrinseca perfectione.

Et vt alia omittam, quibus illud principium enerti facile potest, etiam illatio, quæ ex illo fit, nullius est momenti: nam vt Deus sit volens liberè, non est necessaria existentia actualis creaturæ, aliàs ex tempore constitueretur Deus volens; sufficit ergo obiectiua præscientia; ergo etiam consequenter dicendum esset Deum constitui volentem per creaturam obiectiuè sibi coniunctam, tam in ordine intentionis, quàm in ordine executionis, præsertim, quia ad actum liberum non est necessariò mutatio libera in obiecto volito, sed sufficit moralis, vel secundùm aliquam habitudinem ad esse futurum: hæc autem mutatio etiam in ordine intentionis spectari potest, quia eo ipso, quòd Deus intendit creare hominem, intelligitur homo ipse nouo quodam modo coniunctus voluntati diuinæ; ergo in illa opinione etiam dici posset, & deberet Deum constitui sic determinate volentem per suam voluntatem, & hominem sic obiectiuè sibi coniunctum, quòd si hoc est incredibile, quia illa qualiscunque mutatio in tali obiecto à voluntate Dei libera prouenit, idem est probabile in voluntate executionis, quæ est causa sui obiecti. Sitego certum dari ordinem intentionis in voluntate Dei liberā.

Hoc ergo supposito in particulari puncto, quod prima obiectio facta postulat de electione prædestinatorum, in primis fatemur, in operibus gratiæ, & gloriæ maximè inueniri ordinem intentionis, & executionis, & vtrumque considerari debere in diuina voluntate, seu prædestinatione. Deinde admittimus circa prædestinatos primum omnium antecedere efficax decretum Dei, quo ante *omnia* merita obsolutè præuisa statuit talibus hominibus dare regnum cœlorum, quod *decretum* respectu prædestinatorum vocatur *dilectio*, & respectu aliorum, qui non sic eliguntur, vocatur *electio*, & respectu mediorum, quibus comparanda est beatitudo, vocatur *intentio*. Est autem absoluta, & efficax, vt sit proportionata mediis certis, & congruis, quæ ex illius dantur prædestinatis, vt indeclinabiliter gloriam consequantur, distinguitur autem secundùm rationem ab electione mediorum, quia circa diuersa obiecta versatur, & procedit secundùm rationem, tum quia gloria est propter se, seu immediatè propter Deum, media autem sunt propter hominis gloriam, tum etiam, quia decretum de gloria per se non limitatur ad hæc, vel illa media, sed postea hæc per electionem determinatur. Vndè etiam distinguitur illa intentio à voluntate executiua, quia intentio nostro modo concipiendi incipit ab ipsa gloria, & præcedit merita absolutè præuisa, voluntas autem executiua incipit à vocatione, & inde procedit ad alia auxilia, quibus fiunt merita, & perseuerantia in illis, quibus præuisis intelligitur volunras executiua etiam circa ipsam-met gloriam, quæ cadit in illam sub diuersa ratione præmij iam debiti, & est per modum applicationis potentiæ executiuæ, vel per modum actualis productionis luminis gloriæ, & auxilij necessarij ad videndum Deum, in quo beatitudo consistit.

Ad obiectionem ergo principalem concedimus Deum ante omnia merita præuisa elegisse prædestinatos efficaciter ad gloriam, hoc enim propter discursum hìc factum, & Scripturis, & Augusti-

no

no magis consentaneum existimamus, vt in aliis locis citatis latiùs ostendimus. Neque talis actus est suppositio ita antecedens, vt tollat libertatem, quia per se non est executiua, neque determinatiua voluntatis creatæ, & quia virtute claudit habitudinem ad media efficacia non sine libera determinatione voluntatis humanæ conditionaliter præuisa. Et ideo ad illam intentionem gloriæ non est necessarium auxilium prædeterminans, sed congrua vocatio sufficit, vnde consequenter dicimus, vt Deus habere possit hunc actum salua ipsius efficacia, & prædestinatorum libertate, necessariò supponi in Deo scientiam conditionatam, quam nos verissimè supponi censemus, vt ostendimus in secundo Prolegomeno, vbi, quæ contra illam obiici solent, dissoluimus.

15. Ad replicã. quæ nunc additur, respondetur negando sequelam.

Ad replicam autem secundam, quæ nunc additur, quod tunc ista electio non esset omnino gratuita, sed aliquo modo ex præuisis meritis, respondemus negando sequelam. quæ certè fundari non potest nisi in errore Massilienſium, qui ad rationem præmij, vel pœnæ putabant sufficere opera sub conditione præuisa, quod tamen Augustinus, & Prosper omnino damnant, vt in Prolegomeno 2. visum est, & ad hominem potest retorqueri argumentum: nam qui ponunt physicam prædeterminationem, negare non possunt, quin Deus per scientiam simplicis intelligentiæ, ac subinde ante electionem prædestinatorum præscierit, si talibus hominibus talis modus prædeterminationis detur, fore consensuros, & tamen inde non sequitur, quòd voluntas eligendi eos ad gloriam, fuerit ex illis operibus; ergo nec in nostra sententia sequitur. Dicemus ergo illam præscientiam, esse necessariam ex parte Dei, vt habeat certa media, quibus suam electionem ex equi possit, si eam gratis velit concedere. Vnde non sequitur Deum elegisse hominem, quia liberè erat consensurus, sed elegisse illum, quia voluit, & quia elegit, ideo ita vocare illum, vt consentiat, vt Augustinus q. 2. ad Simplician. & aliis locis docet. Et ita etiam non sequitur, numerum saluandorum non esse certum in voluntate, sed in præscientia, nam per scientiam conditionatam nihil scitur absolutè futurum; ergo in illa non potest esse certus prædestinatorum numerus, sed cùm illi voluntas adiungitur, in ea est certus, vt per se satis constat.

Augustin.

16. Instatur.

Sed instari potest, quia illa voluntas dandi gloriam, quam Deus habuit erga prædestinatos, includit necessariò respectum ad talia media, quorum efficacia ex libero arbitrio pendebat; ergo semper includit conditionem, si homo consentiat, seu cooperetur vocationi; ergo non fuit absoluta, & efficax voluntas. Item non potest magis esse absoluta voluntas finis, quàm mediorum, sed mediorũ non est absoluta simpliciter; ergo nec voluntas finis. Probatur minor, quia est voluntas meritorũ liberè exercendorum; ergo necessariò includit conditionẽ in obiecto, aliàs libertati repugnaret. Præterea vocatio congrua non est ex se absolutè efficax, sed solùm supposita cooperatione liberi arbitrij sub conditione futura; ergo nec voluntas finis, quæ includit formaliter, vel virtute ordinem ad talem vocationem potest esse simpliciter absoluta, quia saltem virtute includit semper illam conditionem. Denique illi voluntati Dei potest humana voluntas resistere, simpliciter loquendo; ergo illa voluntas Dei non est absoluta & efficax, nam voluntati Dei efficaci nemo potest resistere. Antecedens probatur, quin homo potest absolutè non habere talia merita, sed illa non habeat, resistet illi voluntati; ergo simpliciter potest illi voluntati resistere.

17. Respondetur.

Ad hæc responderi potest voluntatem illam Dei dupliciter considerari posse, vno modo secundùm se, & abstrahendo à præscientia Dei condionata, alio modo vt iam supponit illam scientiam; & priori modo non esse absolutam voluntatem, neque efficacem, sed indifferentem vt sit efficax in præscientia. Et hoc probatur argumentis factis. Alia verò modo posse considerari vt coniunctam scientiæ conditionatæ, & vt sic esse efficacem. Ad eum modum quo nos dicimus vocationem congruam per se spectatam, & secundùm suam absolutam entitatem non habere intrinsecè, ac determinatè actualem efficaciam, sed potiùs de se esse indifferentem, vt congrua, vel incongrua sit, in præscientia autem esse congruam & efficacem, quia cooperatio liberi arbitrij illi coniungenda supponitur.

18.

Sed non est necessaria distinctio quoad actum diuinæ voluntatis, neq; illi rectè accommodatur, neque etiam equiparatio illa cum congrua vocatione in omnibus fieri potest. Imò ex diuersitate inter voluntatem internam Dei, & vocationem externam facilè res intelligitur. Vocatio enim est res creata habens suam absolutam entitatem, secundùm quam optimè consideratur, vt præcisa à cooperatione voluntatis creatæ, quam prædeterminare non potest, sed excitare, & inducere, & cum illa cooperari si velit, & ideo de se dicitur non inferre necessariò actualem efficaciam, sed solùm ex suppositione, quòd voluntas sit illi cooperatura, quam suppositionem entitas illius vocationis per se non postulat, nec præsupponit, sed solùm vt procedit ex tali præscientia, & ideo sub tali respectu dicitur efficax, non absolutè & secundùm se. At verò decretum illud voluntatis Dei, vt sit tale decretum necessariò supponit talem præscientiam conditionatam qua illa media prægnoscuntur, vt efficacia. Nam si decretum illud consideretur secundùm suam solam absolutam entitatem, sic non est decretum efficax, nec inefficax, nec absolutum, nec conditionatum, imò nec decretum liberum est, sed est sola voluntas Dei se necessariò amans, & potens liberè amare obiecta creata, seu creabilia, prout voluerit, sine mutatione, vel additione reali, quæ in ipsa fiat. Constituitur autem nostro modo intelligendi in esse talis decreti per determinatum respectum ad tale, vel tale obiectum, & quia determinatio voluntatis supponit obiectum cognitum sub tali ratione, vel conditione, qua possit tale decretum terminare, ideo non potest tale decretum absolutè tantùm, & secundùm suam entitatem spectari, sed necessariò considerandum est vt supponit talem scientiam, & cum illa tali, vel tali modo determinatur.

19.

Et hac ratione si Deus non habet scientiam conditionatam de futuro effectu talis vocationis, si detur, nullo modo posset habere decretum dandi illam vocationem vt congruam, & efficacem, neque daret illam, vt gratiam specialem & singulare beneficium, quali in præcedenti capite explicuimus; supposita autem præscientia, dat illam peculiari affectu longè diuerso ab eo, quem habet erga illum cui dat vocationem entitate similem absque tali praescientia: & ideo talis affectus singularis non potest considerari tanquam quid absolutum, & abstrahibile à tali præscientia, seu obiecto, vt per illam proposito. Sic ergo dicimus

cimus de electione prædestinatorum ad gloriam. Nam, vt haberi possit eo modo, quo nunc illam habuit Deus, necessariò supponit præscientiam eiusdem gloriæ, vt infallibiliter comparabilis per hæc, vel illa media, & ideo considerari non potest secundùm se, vt abstrahit à tali præscientia, per quam obiectum capax talis effectus illi proponitur. Vt sic autem spectatum illud decretum omnino est absolutum, & efficax, quia licèt executio eius pendeat ex cooperatione libera tanquam à concausa, vel conditione necessaria, nihilominus ante tale decretum supponitur purificata conditio in præscientia Dei, & in obiecto, vt per illam propositio, & ideo absolutè vult Deus talem gloriam dare, & per illam voluntatem efficaciter determinantur ad danda media quæ in præscientia sua nouit esse efficacia.

30. Respondetur ad alias instantias Ad primam.

Ad instantias verò facile respondetur. Ad primam aliqui dicunt decretum illud dandi gloriam de se abstrahere etiam à meritis, & aliis mediis pendentibus à libertate hominis, ideoque esse posse omnino absolutum. Sed non placet, quia probabilius est, semper, & in omni signo prædestinasse Deum gloriam vt humano, & morali modo consequendam, & vt coronam, ac præmium meritorum, in quo necessario includitur virtualis ordo ad merita, seu ad media moralia, & libera, saltem abstractè & in communi. Dicimus ergo, quòd licèt secundùm hanc considerationem medium illud pendeat à conditione homini libera, tamen quia in præscientia Dei iam supponitur purificata conditio, decretum est omnino absolutum. Sicut inter homines, quia ignorant conditionem futuri euentus, promissio sub conditione talis euentus futuri conditionata est; si tamen fiat promissio sub conditione de præsenti cognita, nomine tantùm est conditionata, & propositum internum necessariò erit absolutum, quia purificata est conditio. Et simili modo dicimus ad secundam instantiam voluntatem dandi merita tali homini, seu voluntatem dandi illi fidem, charitatem, &c. esse absolutam, sicut mox de prædefinitione dicemus; neque id repugnat libertati, quia supponitur in præscientia futurus vsus ille libertatis, & per illam suppositionem purificatur conditio, potestque esse decretum absolutum sine læsione libertatis.

Ad secundam.

31. Ad tertiam.

Ad tertiam eodem modo dicimus, hoc decretum Dei de gloria hominis prædestinati virtute ordinari ad vocationem congruam, vt congrua est, concipique ex suppositione congruitatis eius iam præuisæ. Vocatio autem illa licèt præcisè spectata non sit de se efficax, tamen vt congrua est, omnino est efficax, & ita purificata conditione, non impedit quominus decretum Dei sit absolutum.

Ad quartã.

Ad quartam negatur posse voluntatem humanam resistere illi decreto Dei, sicut non potest resistere vocationi congruæ, vt congrua est, & præuisæ, vt tali. Neque hæc impotentia resistendi est contraria libertati, quia non est impotentia simpliciter, sed ex suppositione vsus liberi iam præuisi. Nam si voluntas præuisa est hoc volitura in tali tempore, & occasione, iam non potest aliter velle, illa hypothesi suppositâ, & nihilominus liberè est volitura, quia hoc ita futurum supponebatur; eodem ergo modo non potest voluntas resistere tentationi, quæ ex efficacia sua, & sapientia potest applicare media, cum quibus nouit voluntatem consensuram.

CAPVT LIV.

Appendix de prædefinitionibus cum aliarum obiectionum responsione.

VT aliis obiectionibus satisfaciamus, pauca de prædefinitionibus diuinis, quod tertio loco proposuimus, dicenda sunt. Et in primis circa verbum *prædefiniendi*, seu *præfiniendi*, (idem enim sunt in vsu Scripturæ, & Patrum,) aduertendum est, in significatione non distingui à verbo *prædestinandi*, nam indifferenter vtroque Patres vtuntur, vt ex infrà citandis constabit. Et in Scriptura idem verbum Græcum ὁρίζω, vel προορίζω, interdum per verbum *prædestino*, interdum verò per verbum *præfinio*, aut *definio* à vulgato interprete transfertur, vt videre licet ad Rom. 1. & ad Cor. 2. & ad Ephes. 1. & Actor. 2. & ita hæc verba vt synonyma ponit Salmeron in Præludiis ad epist. Pauli tract. 2. disp. 1. vbi etiam addit verbum *prædispono*, quod minus vsitatum est, & verbum *prædetermino*, quod etiam in Scriptura non inuenio, vsu tamen Theologorum receptum est, vt statim dicam. Quia tamen hæc verba ex simplicibus composita sunt addita particula *præ*, circa vtramque partem aliquid declarandum est, vt in verborum significatione æquiuocatio tollatur.

Circa verbum ergo *destino*, aut *definio*, aduertendum est posse, vel ad internos actus animæ, vel ad externos, qui ab illis procedunt, applicari. Nam *destinare* ad animum relatum idem est, quod proponere, vel intra se constituere aliquid faciendum, iuxta illud 2. ad Corinth. 8. *& destinatam voluntatem nostram*, & cap 9. *Prout destinauit in corde suo.* Et iuxta hanc significationem in Deo explicuit verbum *prædestinandi* Paulus ad Ephes. 1. cum dixit, *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum secundùm propositum voluntatis suæ*, & in eodem sensu loquitur ad Roman. 8. dum ait, *His, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti*, de quibus postea subdit, *Quos prædestinauit, hos & vocauit.* Apud Latinos verò sæpe refertur hoc verbum ad exteriores actiones, & significat *mittere*, vel aliquod munus aliquem exteriùs designare. Idem considerare licet in verbo *definiendi*, nam communiter significat aut verbis describere, seu declarare rei naturam, & essentiam, aut certis terminis, & limitibus rem aliquam terminare. Frequenter verò refertur ad animum, vt patet ex illo Actorum 2. *Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum*, & cap. 17. *Definiens statuta tempora*, & Luc. 22. *Filius hominis sicut definitum est, vadit.* Idem notari potest in verbo *determinandi*, in rigore enim significat exteriorem actionem ponendi terminum certum, vel loci, vel temporis; transfertur verò etiam ad animum, nam quia voluntas de se indifferens est cùm aliquid eligit, vel proponit, determinari dicitur. Et ita proportione seruata, idem est, *prædeterminare*, quod *prædefinire*, & vtrumque verbum potest Deo attribui, vel ratione interni, & æterni propositi, vt videre licet in D. Thoma 1. part. quæst. 23. art. 1. ad 1. & 3. contr. gentr. cap. 90. vel ratione externæ temporalis actionis, qua causam secundam de se indifferentem ad vnum determinat, & nunc moderni Theologi frequenter loquuntur.

Et

3. Idem.

Et ideo in lib. 1. de Auxilijs cap. 16. num. 6. & sequentibus, ad tollendam hanc verborum æquiuocationem, ne quæstiones confundantur, distinxi in Deo prædefinitionem, seu prædeterminationem ad intra, & ad extra, & proposui vti verbo *prædefiniendi*, ad significandum internum decretum Dei, quia in hoc sensu inuenio magis vsitatum in Scriptura diuina verbum *definiendi* Deo attributum: verbum autē *prædeterminandi* ad significandam externam actionē prædeterminantem accommodaui: quia neque in Scriptura diuina, seu in vulgata Latina hoc verbum vsitatum inuenio ad significandam prædestinationem Dei, & in rigore Latino verbum *prædeterminandi* propriè sumptum externam actionem magis significat. Quòd si alicui, (vt video,) hæc accommodatio verborum non placuit, non contendo de verbis, dummodo res ipsa, de qua disputatur, ambiguitate verborum non confundatur. Idem notari potest in verbo *disponendi*, quod ferè idem est, cum verbo *præparandi*, in quo similem ferè distinctionem notauit D. Thomas 1. part. quæst. 23. art. 2. ad 3. alijs verbis, distinguens duplicem præparationē, vnam, quę in passo recipitur, quam nos æternam vocamus, aliam, quæ manet in agente, quam nos vocamus internam, est enim propria agentis intellectualis, qui præconcipiendo, & volendo se præparat ad agendum; & ad hanc inquit D. Thomas prædestinationem pertinere, idémque nos dicimus de prædefinitione, quia, vt dixi, verbum *prædefiniendi*, & *prædestinandi* in rigore æquiualentia sunt. Inter verbum autem *prædefiniendi*, & *præparandi*, hæc solet notari differentia, quòd ea tantùm dicitur Deus præfinire, quæ absoluto decreto facere statuit: præparare autem dici potest, & illa, quæ sic decreuit, & quæ antecedente tantùm voluntate disposuit, nam etiam dici potest Deus gloriam reprobis præparasse, vtique quantum in ipso est.

In Deo prædefinitio, seu prædeterminatio ad intra, & ad extra ab Auctore distinguitur, & cur.

D. Thom.

D. Thom.

Verbi *prædefiniendi*, & *prædestinandi* notio.

Prædefiniendi, & *præparandi* quid differant.

4. Denique ex dictis intelligi potest verbum *prædefiniendi*, (& idem ferè est de cæteris ad propositum voluntatis applicatis,) verbum, inquam, *prædefiniendi*, ex vi propriæ significationis suæ, non significare voluntatem Dei per modum exequentis, nec per modum proximi principij efficientis ad extra, sed ad prædefinitionem sufficere propositum per modum intentionis, seu electionis, id enim propriè significat verbum *prædestinandi*, vt ex Paulo notaui, & in propria, materia ostendi, & in sequentibus attingam: illi autem verbo æquialet, vt dixi, verbum *prædefiniendi*. In nobis etiam id constat, rectè enim dicimur nobiscum definire, quæ facere intendimus, vel elegimus, iuxta illud 1. Machabæorum 1. *Multi de populo Israēli definierunt apud se, vt non manducarent immunda, & elegerunt magis mori*, &c. Et sic etiam dicitur 1. Reg. 20. *Intellexit Ionathas quod definitum esset à patre suo vt interficeret Dauid*. Et idem est cum proportione de verbo *destinandi*, iuxta illud Machabæorum 6. *Destinauit non admittere illicita*, & alia quæ suprà citauimus. Ac denique talis definitio, vel prædefinitio solùm est propositū quoddam voluntatis, quod de se vsum, & effectionem antecedere potest, quamuis ad illam siue physicè, siue moraliter, inclinet, & siue propriè, siue metaphoricè moueat, & inducat. Quòd si quis dicat etiam voluntatem æternam Dei executiuam, qua in tempore operatur, esse definitionem, seu præfinitionem, non multum de verbo contendam, maximè quando illa voluntas est omnino absoluta, dummodo non asseratur, illam solam esse voluntatem prædefinitiuam, & in ordine intentionis non sufficienter saluari: hoc enim, & sine fundamento dicetur, & falsum esse ostendunt quæ adduximus.

1. Machab. 1.

1. Reg. 20.

1. Machab. 6.

Supereſt dicendum, quid denotetur per illā particulam *præ*, ex quā verba *prædefinitio*, *prædestino*, & similia componuntur. Quidam enim noui Theologi volunt, in proprietate solùm significare anteceſſionem decreti diuini ad omnem præſcientiam futurorum, ſecundùm ordinem rationis, & omnem aliam ſignificationem impropriam eſſe dicunt, & ideo in expoſitione Scripturæ quoad talia verba non eſſe admittendam, cùm Scriptura debeat in proprietate ſermonis explicari, quandocunque commode poteſt. Sed hęc ſententia quoad hanc poſteriorem partem non habet fundamentum, neq; in Latina ſignificatione illius dictionis, & compoſitionis in omni proprietate ſumptæ, neque in Patribus, aut Scriptura, vt ex dicendis patebit. Dico ergo tria poſſe per illam particulam, & compoſitionem eius propriè ſignificari. Primò quidem interdum ſignificat non durationis, aut anteceſſionis ordinem, ſed dignitatis excellentiam, ſicut videri poteſt in nomine *Prælati*, aut *Præpoſiti*. Et ſic de Virgine dicit Eccleſia, *Elegit eam Deus, & præelegit eam*, id eſt, ad ſingularem dignitatem elegit. Et hoc ſignificatum in verbo *prædeſtinandi*, & appellatione prædeſtinatorum placuit Catherino, quia putauit nō omnes ſaluandos eſſe prædeſtinatos, ſed illos qui altiori modo, & ad ſingularem gloriæ dignitatem electi ſunt. Neq; diſplicet illa ſignificatio Salmeronī in dicta diſp. 1. neq; Lorino ad illa verba Actor. 2. *Hunc definito Dei conſilio traditum*. Sed licèt ſignificatio hæc non ſit impropria, nobis non eſt neceſſaria, tum quia neq, auctoritate, neque ſufficienti ratione oſtendi poteſt Scripturam vti verbis illis in dicta ſignificatione, tum etiā, quia omnino verum eſſe credimus, omnes ſaluandos eſſe electos, & omnes electos eſſe prædeſtinatos: tum deniq; quia ponitur interdum idem verbum reſpectu generalium effectuū prouidentiæ Dei, vt Actor. 17. vbi vulgata habet, *definiens ſtatuta tempora*, Græcè habetur participium ὁρίσας, quod per verbum *prædeſtinandi* ſolet in alijs locis verti, vt ſtatim dicam. Addo verò etiamſi illa ſignificatio admittatur, non eſſe illā abutendum ad opinionem Catherini de prædeſtinatione ſtabiliendam; nam etiam in hoc ſenſu omnes ſaluandi prædeſtinati ſunt, quia comparatione reproborum omnes fuerunt electi, vel præelecti, id eſt, ad ſingularem excellentiam, & dignitatem ſingulari beneficio deſtinati.

5. *Tò præ* quid ſignificet.

Salmeron. Lorin.

Act. 17.

Secunda ſignificatio eſt, vt particula *præ* in illis verbis Deo attributis ſignificet anteceſſionem æternitatis ad tempus, quam ſignificationem exiſtimo eſſe propriiſſimam, & ad explicandā diuinam Scripturam, vbi oportuerit, eſſe aptiſſimam, & ſufficientiſſimam. Hoc probo primò verbis Pauli ad Rom. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit*, nam in verbo *præſciuit*, particula *præ* non neceſſariò dicit anteceſſionem rationis ad Decretum Dei, ergo ſufficienter explicatur per anteceſſionem æternitatis ad tempus; ergo etiam in alio verbo poteſt habere eandem ſignificationem omnino propriam. Vnde ex vi verborum Pauli ſolùm haberi poteſt præſcientiam, & prædeſtinationem eſſe æternam: quem autem ordinem rationis inter ſe habeant, inde non habetur, quòd ſi ex ordine litteræ argumentum ſumi poſſet, ſcientiam præire ſignificatur. Sed neque argumentum eſt efficax, & quamuis admitteretur, non eſſet intelligendum de præſcientia abſoluta futurorum meritorum, ſed de aliqua alia, vt in proprio loco explicatum eſt.

6.

Rom. 8.

7. Confirmari hoc etiam potest, quia verbum Græcum ὁρίζω, & προορίζω quasi synonyma in Scriptura ponuntur, & interdum vbi est verbum simplex ὁρίζω in vulgata ponitur verbum *prædestino*, vel simile, & è conuerso, vbi est verbum προορίζω, in vulgata ponitur verbum simplex *decerno*, aut *definio*. Exempla sunt ad Rom. 1. *prædestinatus filius Dei*, Græcè ὁρισθέντος, & è contrario Actor. 4. *Quæ manu tua, & consilium tuum decreuerunt fieri*, græcè προώρισεν, in cap. verò 8. vtrumque verbum est compositum, ibi, *Quos præscisit, & prædestinauit*, & ibi, *Quos prædestinauit, hos & vocauit*, in vtroque enim loco est verbum προορίζω. Idem inuenietur ad Ephes. 1. ibi, *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum*, & 1. ad Corinth. 1. ibi, *quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram*. Hinc ergo colligimus per illam particulam *præ*, significare antecessionem æternitatis: nam propter verbum simplex *definio*, v.g. Deo attributum censetur æquiualens verbo *prædefinio*, quia decreta Dei non possunt esse nisi æterna; ergo signum est per particulam *præ* significari antecessionem æternitatis.

Rom. 1. Act. 4.

8. Obiectio. Soluitur. Dices ergo in verbis citatis, *quã prædestinauit Deus ante sæcula*, superfluè addidisset Paulus particulam *ante sæcula*, quia per particulam *præ*, iam id esset significatum. Respondeo potiùs inde confirmari, quod dicimus, nam illa particula, *ante sæcula*, addita est ad explicandam antecessionem per verbum *prædestinandi* indicatam, sicut 1. Petr. 1. vbi de Christo dicitur, *præcogniti quidem ante mundi constitutionem*, ista postrema particula addita non est, nisi ad explicandam cognitionem Dei vocati præcognitionem propter æternitatem. Atque ita verbum *prædestino*, seu προορίζω de antecessione æternitatis exposuit Origen. ad Roman. 1. & Auctor commentariorum in eandem epistolam nomine Hieronymi ad Rom. 8. & apertè idem Hieronymus ad Ephes. 1. Item verbum *prædestinandi* non solùm vsurpatur à Patribus respectu gloriæ, sed etiã respectu gehennæ, vt videre licèt in Augustino 21. de Ciuit. cap. 24. & in Enchirid. cap 100. & lib. 2. de Peccator merit. cap. 17. & sæpè alijs locis, & Fulgentio lib. 1. ad Monim. cap. 14. & 17. 27. & 28. & Prosper ad obiection. Vincent 10. & sequentibus. Ergo verbum *prædestinandi* in rigore, & proprietate non significat antecessionem ad scientiam, quia Deus neminem prædestinauit ad pœnam ante præscientiam peccatorũ; ergo proprietas illius verbi compositi sufficienter saluatur per antecessionem æternitatis ad tempus. Et idem confirmari potest ex verbo *præparandi*: nam in hominibus in rigore solùm significat antecessionem per æternitatem, vt ex D. Thom. retuli; idem ergo est in cæteris similibus verbis.

1. Petr. 1. Origenes. Hieronym. Augustin. Fulgent. Prosper.

9. Nihilominus addenda est tertia significatio illius compositionis, seu particulæ *præ*, quæ sine dubio est etiam satis propria, nimirum, vt non solùm significet antecessionem æternitatis, sed etiam ordinem aliquem antecessionis secundùm rationem fundatum, vel in ordine obiectorum, vel alia simili ratione, ob quam vnus actus Dei tanquam prior alio à nobis apprehendatur. Sic enim quia cognitio obiecti præcedit volitionem eius, hac ratione dici potest præscientia, vel præcognitio respectu volitionis, sic etiam, quia intentio finis ratione antecedit electionem mediorum, ideo propositum saluandi electos dici potest prædestinatio ad gloriam, etiam respectu electionis mediorum in particulari: & quia illud est propositum omnino gratuitum, etiam dici potest prædestinatio propter antecessionem ad absolutam præscientiam meritorum. Ac denique, quia effectus quos Deus est facturus, futuri non sunt, nisi ex decreto absoluto voluntatis Dei, ideo tale decretum potest dici prædefinitio per comparationẽ ad præscientiam eiusdem obiecti prædefiniti, vt futuri, vel etiam per comparationem ad ipsammet rem futuram, quæ in hoc sensu ideo præfinita dicitur, quia ex præfinitione habet, quòd sit futura. Atque in hoc sensu dicuntur in Scriptura vel definita, vt Actor. 17. vel præfinita, Danielis 11. & 12.

In hoc ergo vltimo sensu procedunt maximè obiectiones, quę in hac materia ex præfinitionibus Dei sumuntur, quia ad perfectionem prouidentiæ Dei erga homines, & eorum actiones necessarium existimatur, vt Deus hoc vltimo modo omnes actus liberos in particulari, absoluto decreto, & ante præscientiam absolutam illorum, vt futurorum præfinierit; imò aliqui volunt, vt talis prædefinitio dicat antecessionem ad scientiam conditionatam eorundem futurorum. Et quia, qui ita sentiunt, omnia testimonia vel Scripturæ, vel Patrum, quæ de his prædefinitionibus loquuntur, statim accommodant ad hoc genus prædefinitionis, seu ad hanc vltimam significationem, ideo voces ipsas accuratè distinguere necessarium existimaui, nunc de re ipsa quid sentiam breuiter propono.

Primò ergo certum existimo posse Deum prædefinire actum liberum in particulari hoc genere prædefinitionis, & salua eius libertate. Hoc mihi sufficienter probant, quæ ad probandam electionem prædestinatorum adduxi, & in alijs locis hanc etiam assertionem latè probaui, & ab Auctoribus, quibus nunc respondemus, libenter admittitur, ideóque in illa confirmanda non immorabor. Addimus verò hanc præfinitionem supponere præscientiam conditionatam, & ideo facillimè cum libertate actus præfiniti conciliari, sicut de electione *ad gloriam* explicauimus. Vnde etiam adiungimus, hanc præfinitionem esse in voluntate Dei per modum intentionis actus præfiniti, non per modum voluntatis exequentis, ac per se immediatè efficientis ad extra illum actum præfinitum: sic enim non solum esset præfinitio ipsius actus, sed etiam prædeterminatio voluntatis creatæ ad efficiendum, quod eius lederet libertatem, vt suprà ostendimus. Est igitur illa præfinitio talis intentio, quæ virtute includat habitudinem ad congruam vocationem præuisam, & efficaciter applicet voluntatem diuinam ad præbendam talem vocationem voluntati, offerendo simul voluntati creatæ concursum necessarium ad actum prædefinitum eliciendum. Atque ita fit, vt suppositа prædefinitione infallibiliter illum eliciat, & nihilominus liberè, quia illa præfinitio non mandatur executioni per physicam prædeterminationem, sed per congruam vocationem, vnde fit, vt illa infallibilitas non sit ex suppositione omnino antecedente, sed concomitante, quia supponit cooperationem liberam humanæ voluntatis, sub conditione futuram in præscientia.

Vnde in hoc puncto tandem concludimus, sicut prædefinire actum liberum hoc modo non repugnat libertati, nihilominus repugnare illi quod Deus nullo habito respectu ad vsum libertatis sub conditione præuisum, apud se statuat, & præfiniat facere talem actum, & sua potestate efficaci prædeterminare voluntatem hominis, vt illum faciat, quia talis modus præfinitionibus induceret necessitatẽ contrariam libertati, vt satis in superioribus demonstratum est. Et de hoc genere præfinitionis loquutus est

Damascen. est Damascenus, cùm negauerit Deum prædefinire actus liberos lib. 2. de fide cap. 30. Et in Dialogo contra Manichæ, quem meritò D. Thomas de prædefinitione necessitante explicauit 1. p. q. 23. art. 1. ad 1. Neque enim alius modus prædefinitionis necessitantis voluntatem humanam intelligi potest, vt insuperioribus etiam est probatum. Quod enim quidam dicunt Damascenum loqui de præfinitione, per quam Deus præparat effectui causam ex se minimè indifferentè, sed intrinsecè determinatam ad vnum quoad specificationem, & exercitium, valde alienum à ratione est, quia ridiculam reddit Damasceni doctrinam. Ille enim agebat de voluntate humana, quam supponit esse liberam, & in suis actibus indifferentem, & de illa dicit, Deum non prædefinire eius actus, ne liberum eius vsum impediat, *& quia nec vitium admitti vult, & rursus nec virtuti vim affert.* quæ rationes euidenter ostendunt ipsum loqui de præfinitione inferente necessitatem ab extrinseco illi potentiæ, quæ de se liberæ operationis est capax. Nam talis prædeterminatio ab intrinseco, respectu obiectorum de se indifferentium & stante iudicio rationis, inuoluit in se repugnantiã, & contradictionem, supposita natura voluntatis; ridiculum ergo esse dicere, Deum non præfinire actus tali genere determinationis, seu necessitatis, hoc enim in nullius mentem vnquam venit. Loquitur ergo Damascenus de præfinitione extrinsecus necessitante, quæ, vt dixi, alia esse non potest, nisi quæ statuit Deus efficacia sua prædeterminare voluntatem, ad actum præfinitum, vt satis iam explicatum est. Atque ita responsum est ad secundam obiectionem principalem in præcedenti capite positam. Ex dictis enim sequitur hoc genus præfinitionis antecedentis non esse possibile salua libertate, sed non ideo sequitur tolli omnem præfinitionem, nam est vera, & sufficiens præfinitio, quæ licèt præcedat ordine rationis actum absolutè futurum, nihilominus non est suppositio simpliciter antecedens, propter vsum libertatis præcognitum, & in ipsa præfinitione virtualiter obseruatum.

13. Assertio secunda. Secundò dicimus Deum nullo modo prædefinire actus liberos malos, non quia id repugnaret libertati, sed quia contra ordinem diuinæ sapientiæ, & bonitatis esse credimus. Hanc veritatem præter Leo PP. Damascenum docuerunt satis expresè Leo Papa serm. 16. de Passion. Domini, vbi tractans verba Actor. 4. *facere quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri*, accuratè distinguit inter passionem, & actionem, dicitq; passionem fuisse decretam à Deo, non verò actionem. *Numquid*, (ait,) *iniquitas persequentium Christum ex Dei orta est consilio? Et illud faciamus, quod omni maius est crimine, diuinæ præparationis manus armauit.* Vbi certè non habet locum distinctio de præfinitione malitiæ, vel actionis malæ: nam de actione ipsa loquitur Leo, cùm illam à passione distinguit, nec poterat manus præparationis diuinæ non armare manus exequentes Iudæorum, si eorum realem actionem Deus ex se, & suo præuio consilio præfiniuisset; nam qui intendit efficaciter actionem, necesse est, vt præparet media, quibus infallibiliter eueniat. Eandem præfinitionem malorum actuum sub nomine prædestinationis negat, & impugnat latè Fulgent. lib. 1. ad Monim. nam cap. 14. proponit quæstionem, an sicut Deus prædestinat bona opera, ita etiam prædestinet mala, & cap. 17. negat, *quia non ipse fecit, vt fierent*, & quia *initium talis voluntatis non est ex Deo*, vt persequitur cap. 19. & sequentibus, ex quibus euidenter constat, illum etiam de ipsis actibus prout sunt reales operationes loqui. Quæ est etiam aperta sententia Prosperi ad obiectũ Prosper. Vincent. in 10. & sequentibus vsque ad finem, & ad cap. Gallorum cap. 12. 14. & 15. & in sententijs, quæ illis correspondent, vbi pro regula tradit, Deũ non prædestinare opera, *quæ nec ipse fecit, nec vt faceremus exegit.* Et sic etiam dixit Augustinus lib. de Dono perseuer. cap. 22. *quòd Deus omnia quæ prædestinauit, impleuit.* Et ideo in aliis locis non tribuit prædefinitioni Dei omnes voluntates hominum, sed addit sub disiunctione permissionem, vt constat lib. 3. de Trinit. cap. 14. Vnde sumpta est regula 58. apud Prosperum. *Voluntas Dei est prima, & summa causa omnium corporalium, spiritualiumque motionum; nihil enim fit visibiliter & sensibiliter, quod non de inuisibili, & intelligibili summò Imperatoris aula, aut iubeatur, aut permittatur*, & in Enchirid. cap. 95. *Non fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel finendo, vt fiat, vel ipse faciendo.* Augustin. Prosper.

Dixi autem Deum nullo modo prædefinire hos 14. actus, quia non solùm illos non prædestinat illa prædefinitione, quæ antecedit secundùm rationem præscientiam absolutam futuri actus prædefiniti, sed etiam neq; illos intendit voluntate antecedente, neque voluntate consequente illorum præscientiam eos acceptat, aut simpliciter vult, quamuis illos iam præuisos futuros ad alios effectus suæ prouidentiæ à se intentos, & aliquo modo prædefinitos illos ordinet. Hanc censeo esse sententiam communem Theologorum in 1. d. 47. & in 2. d. 38. & dictorum Patrum, præsertim Augustini in locis allegatis, & in Enchirid. cap. 100. & sequentibus, & lib. 4. de Ciuit. cap. 27. & enarrat in Psalm. 16. circa illa verba, *vt non loquatur os meum opera hominum*: & alibi frequenter, vt in lib. 3. allegatum est. Explico autem breuiter, & probo singulas partes. Et in primis de primo & rigoroso modo præfinitionis, quæ præcedat scientiam futurorum per modum absolutæ, & efficacis intentionis, videtur res nimis certa; quia, quod Deus sic intendit, etiam procurat, & prouidet media, quibus infallibiliter eueniat, quod Deo tribui non potest circa actus peccatorum, vt ex ipsis terminis cuilibet debita fide, ac pietatem consideranti euidens videbitur, & latissimè lib. 3. ostensum est, estque expressa sententia Damasceni loco statim citando. Augustin. Augustin. Psal. 16.

Secundò addebam Deum non prædefinire hos 15. actus quolibet alio modo, quod probatur, quia Deus non intendit illos, quantum est ex se, ac subinde nec intentione absoluta, vt dictum est, nec intentione simplici, seu antecedenti, aut quantum ex se, quod docuit Damascenus lib. 2. de fide cap. 29. dicens, *Ex his, quæ in nostro arbitrio consistunt, ea, quæ bona sunt, primariè vult gratia, quæ habet Deus, mala contra, nec primariè, nec secundariè, verum libero arbitrio ea permittit.* Dicitur autem Deus primariè velle ea, quæ ex sua mera voluntate intendit, siue absoluto actu, siue conditionato illa intendat, sicut vult omnes saluari; hoc enim exemplum in eodem capite adhibet Damascenus. Ergo ex illius sententia etiam illo modo non intendit Deus actus peccatorum. Et si quis totius capitis discursum legat, facilè intelliget, eum loqui de actibus ipsis, vt sunt opera realia, quæ adiunctam habent malitiam. Et sanè meritò, nam hoc satis est, vt à Deo, quantum ex se est, non intendantur; quod est valde consentaneum Scripturis, & rationibus factis in lib. 3. quæ hîc repetere non est necesse. Damascen.

Neque de his actibus reputamus inconueniens, 16. quod in confirmatione secundæ obiectionis in præ-

cedenti capite inferebatur, scilicet, aliquem actum realem fieri præter intentionem Dei. Quid enim mirum est, quòd sit præter intentionẽ eius, id quod Scriptura simpliciter docet esse contra voluntatem, & contra præceptum eius? Hoc enim affirmat Scriptura non tantùm de malitia talium actionum, vel de illis, vt malæ sunt, sed simpliciter de ipsis actionibus materialibus liberè factis, ita enim à Deo prohibentur, vt in dicto libro 3. ponderauimus. Vnde inductione facilè ostendi potest, multa homines facere, vel voluntariè omittere præter, vel etiam contra intentionem Dei. Quando enim Deus homini inspirat fidem, & ille vel non vult credere, vel vult in suo errore persistere, profectò præter intentionem Dei agit, quia Deus nihil tale intendebat. Quis enim dicat Deum cùm aliquem vocat, intendere vt resistat? Imò potius intendit verè, & ex animo, quamuis non absolutè, sed quantum est ex parte sua, vt homo tunc consentiat, & contra hanc intentionem Dei agit, qui resistit, etiamsi non agat contra intentionem absolutam, hæc enim frustrari non potest. Neque hoc derogat perfectioni diuinæ prouidentiæ circa tales actus, etiam vt actus sunt, vt in secunda, & quarta obiectione opponebatur, quia licèt non intendantur à Deo, non casu, nec fortuitò eueniunt respectu eius, nec sine cura & prouidentia eius eueniunt, sed ex certa scientia, & voluntate permittendi illos, & concurrendi ad illos cum libero arbitrio ipso se determinante: id autem, quod me sciente, & voluntariè non impediente, cùm possem, mihi euenit, non potest dici casu, aut fortuitò, mihi accidere, vt per se constat.

17. Denique addimus Deum nullo modo velle simpliciter hos actus peccatorum, vt reales, & positiui sunt, etiamsi præuideat illos esse futuros postquam illos permisit. Potest tamen velle aliquos effectus eorum, & ipsos etiam ordinare ad fines suæ prouidentiæ, iuxta infinitam sapientiam suam; & ita etiam potest aliquo modo præfinire tales effectus, & bona, quæ ex illis malis elicit, licèt ipsa mala nullo modo præfiniat. Tota hæc doctrina sumitur ex Augustino locis allegatis, & in lib. de liber. arbitr. cap. 20. & lib. 5. Genes. ad liter. cap. 20. Et declaratur breuiter per partes. Nam in primis est certum, si sermo sit de peccato, vt peccato, vt peccatũ est, Deum nullo modo, & in nullo signo velle illud simpliciter, & absolutè, etiamsi postquam illud permisit, præsciat esse futurum, quia est obiectum prauum, & proinde incapax diuinæ beneuolentiæ, seu complacentiæ, & ita in hoc omnes conueniunt. Addimus verò, quòd licèt in talibus actibus per se spectatis, & præcisa malitia mortalis, sit aliqua bonitas transcendentalis, seu physica, nihilominus propter coniunctionem, quam habent cùm malitia morali, quæ à tali actu hîc, & nunc à tali persona liberè facto inseparabilis est, & ideo talem actum nunquam posse simpliciter placere diuinæ voluntati, quia voluntas fertur in rem prout est in se, & illam formaliter volendo, virtualiter vult quidquid est cùm illa inseparabiliter coniunctum, Deus autem nullo modo potest velle malitiam, nec formaliter, nec virtute, nec explicitè, nec implicitè, & ideo non vult talem actũ, nec complacet in illo. *Habacuc. 31* *Mundi enim sunt oculi eius*, (vt Scriptura dicit,) ne vtique scientia approbationis, & ita hoc probant alia testimonia, quibus Deus ostendit, quanto odio peccata prosequatur, quæ suprà lib. tractata sunt. Atque ita fit vt Deus nullo modo prædefiniat talem actum sine prædefinitione antecedente secundùm rationem præscientiam absolutam eiusdem actus futuri, siue subsequente ad eandem scientiam, & antecedente sola duratione æternitatis, quia vtraque præfinitio requirit absolutam voluntatem talis actus, quam Deus non habet.

Augus.

Neque contra hoc obstat, quòd Deus ad tales actus voluntariè, ac realiter concurrat in tempore, quod facere non potest sine æterna voluntate talium actuum. Dico enim non esse necessarium actum, quo Deus velit absolutè, aut præfiniat aliquo modo talem actum, sed sufficere voluntatem concurrendi cum libero arbitrio, & permittendi, vt ipsum etiam operetur, si velit ex vi illius voluntatis, vel ipsamet Dei voluntas, vel potentia executiua eius influit in tempore cum causa secunda ipsa cooperante, vt in eodem lib. 3. explicatum est. Vnde quod quidam aiunt, nihil Deum ad extra agere, nisi per voluntatem prædefinientem, est quidem verum de effectibus, quos Deus se solo producit, de effectibus autem, quos cum causis secundis facit, solùm generaliter influendo, non est necessarium, neque vlla ratione fundatum, præsertim si intelligatur de voluntate absolutè prædefiniente effectum ipsum, satis enim est, quòd præcedat voluntas concurrendi modo dicto, & sub tacita conditione, si liberum arbitrium cooperatum fuerit. Illa autem voluntas, licèt non sit prædefinitio actus, potest aliquo modo dici prædefinitiua ipsius concursus, non simpliciter, sed quantum est ex parte Dei, seu potest dici prædefinitiua quoad offerendum concursum causæ secundæ, & applicandam potentiam executiuam Dei ad cooperandum voluntati creatæ, si per illam non desit. Sicut etiam voluntas permissiua Dei potest dici prædefinitio quædam non effectus permissi, sed ipsius permissionis. Nam ex vi illius voluntatis prædefinit Deus non impedire actum, & eadem ratione præfinit paratum esse ex se ad coëfficiendum illum.

Neque etiam hinc sequitur Dei prouidentiam circa hos actus esse vel confusam, vel alio modo imperfectam. Non quidem confusam, vt in superioribus etiam dixi, quia illa voluntas concurrendi, licèt prædictam conditionem includat, determinatur ex decreto Dei ad talem in specie, & in individuo, non tamen ad vnum tantùm, sed ad plures sub disiunctione, quantum indifferentia liberi arbitrij postulat; ad omnes verò sub eadem conditione, & dependentia à libera cooperatione eiusdem liberi arbitrij. Sicut permissio actus mali, etiam vt mali, licèt non sit prædefinitio actus, vel malitiæ, nihilominus non est confusa, sed distincta, & particularis; permittit enim Deus talem speciem peccati, & talem individuam malitiam, quæ hîc, & nunc tali actione libera resultat; ergo ex hac parte nulla est confusio in prouidentia. Neque etiam ex alio capite est aliqua imperfectio; possumus enim distinguere prouidentiæ curam, seu dispositionem antecedentem ad effectum, vt futurum, & subsequentem, omnibus his modis inuenietur perfecta circa actus liberos non bonos sine præfinitione. Nam antecedens prouidentia circa tales actus optima, & perfectissima, est permissiua tantùm, quæ includit in primis, quòd Deus det voluntati vires ad liberè volendum, deinde quòd illi offerat concursum ad tales, vel tales actus, quos permittit, denique quòd statuat non impedire talem actum, etiamsi præsciat, voluntatem malè operaturam, si ita operari sinatur. Hæc enim sufficiunt ad prouidendum causæ secundæ, sicut oportet in ordine ad tales actus, & maior efficacia, vel maior voluntas Dei circa

tales

tales effectus neque necessaria est, neque consentanea diuinæ bonitati. Neque etiam perfectio prouidentiæ postulat, vt æquali voluntate Deus omnia velit, sed potiùs requirit, vt vnumquodque velit prout suam maiestatem, ex bonitatem decet.

20. Præterea considerando ea, quę pertinent ad subsequentem prouidentiam taliũ actuum, postquam futuri præuidentur, perfectissima inuenietur sine præfinitione ipsorum, quia vt ostendi in istis nec necessaria est, nec conueniens voluntas Dei absoluta, qua complaceat in his actibus sic præuisis. Imò bonitati, & sapientiæ Dei consentaneum est, vt tales actus illi displiceant, & hic est primus actus huius prouidentiæ, quam subsequentem appellamus circa huiusmodi effectus, displicent Deo, & abominatur illos, seu odio eos habet, non quatenus ab ipso sunt, sed quatenus sunt à libero arbitrio. Et hinc sequitur, vt illos ad condignam pœnã ordinet, quod etiam ad hanc partem perfectę prouidentię spectat. Potestque Deus, si vellet, ibi resistere sine imperfectione, (vt ita dicam) priuatiua suæ prouidentiæ, quia non tenetur ad alios effectus illos actus ordinare, vel aliter de illis disponere. Nihilominus tamen ex bonitate sua prouidet sufficientem medicinam in remedium talium peccatorum, quamdiu hęc vita durat; sępe etiam non tantùm sufficientem, sed etiam efficacem modum illa tollendi procurat: aliquando etiam occasionem ex eis sumit alia maiora bona faciendi; habet ergo de his actibus perfectissimam prouidentiam, etiamsi illos nullo modo præfiniat.

21. Hinc verò fit, quod vltimo loco posuimus, vt licèt Deus hos actus non præfiniat, possit præfinire aliquos effectus eorum, vel fructus, quos ipse illorum occasione operari vult: hoc probat exemplum passionis, & mortis Domini cum verbis Petri Actor. 2. & aliorum fideliũ Actor. 4. & quæ latè tradit Augustinus locis citatis. Et ratio est clara, quia licèt actus peccati sit malus, effectus potest esse bonus, quia nõ est à peccato, vt peccatum est, sed vt actus est, & in ipso effectu separatur optimè bonitas illius ab omni malitia, & ideo potest Deus absoluta voluntate illum effectum velle, & definito consilio, ac decreto æterno illum definire, quod est prædefinire saltem secundùm anteccssionem æternitatis. Quod satis supérque est ad dicta loca Scripturæ, maximè cùm in eis non addatur particula *præ*, sed simplicia verba definiendi, vel decernendi ponantur. Vnde non est intelligendum hæc esse prædefinita in particulari ante permissionem, & præscientiam peccatorum, id est, secundùm eas conditiones, quæ à peccato essentialiter pendent, vel secundùm habitudinem ad talem causam, sic enim peccata etiam prædefinirentur, quod negatum est fieri posse. Satis ergo est, vel quòd fuerint prædefinita ante præuisionem peccari, secundùm aliquem rationem de se abstrahentem à tali causa, vel medio, vel quòd post præscientiam peccati fuerint acceptata, & prædefinita ex æternitate, & ad alios effectus diuinæ prouidentiæ ordinata. Et ita facilè soluitur difficultas vltima tacta obiectione capitis præcedentis. Nam licèt Deus ex infinita sua sapientia & potestate vti possit voluntatibus malè operantibus ad optimos effectus prouidentiæ suæ, tamen pro sua infinita bonitate id facit solùm permittendo, non præfiniendo actus malos. Neque obstat, quòd permissio præcisè spectata non sit sufficiens ad inferendum infallibiliter effectum, quia non est ita præcisè spectanda, sed vt coniuncta præscientiæ. At verò supposita conditionata scientia tam infallibile est Deo, quid sit absolutè futurum posita permissione, ac si esset prædefinitum. Solùm est differentia, quòd infallibilitas permissionis non est ab illa, vt causa, sed à pura scientia, quam supponit: infallibilitas autem præfinitionis ita est à scientia, vt etiam sit à præfinitione, vt à causa. Item voluntas permittendi non includit intentionem, vel voluntatem actus mali permissi; prædefinitio autem eiusdem actus includeret absolutam voluntatem, & intentionem eius. Ac denique voluntas permittendi non obligat, (vt sic dicam,) permittentem ad procurandum effectum permissum, sed solùm ad non impediendum; voluntas autem prædefiniens actum, antequam præsciatur absolutè futurus, obligat de se ad procuranda media, quibus talis intentio impleatur, quod Deo respectu malorum actuum repugnat.

22. Assertio principalis tertia.

Tertiò principaliter assero, Deum prædefinire aliquo modo omnes actus bonos, nõ tamen eodem, seu æquali modo, sed quosdam principali quadam præfinitione, vt actus pietatis, & præcipuè illos, qui ad salutem prædestinatorum, vel ad alios fines similes supernaturalis prouidentiæ à Deo absolutè intentos efficaciter ordinantur; alios minus principali præfinitione, nimirum eos, qui vel sunt inferioris ordinis, vel qui non sunt ex primaria Dei intentione efficaciter intenti, sed tantùm ex secundaria. Ad explicandam hanc assertionem suppono doctrinam D. Thomæ 1. p. q 23. art. 7. in hac materia valde notandam, interrogando enim, an numerus prædestinatorum sit certus, respondet esse certum, non solùm secundùm modum cognitionis, quomodo numerus arenarum maris, vel etiam numerus reproborum, vel quotumcunque indiuiduorum est etiam certus, sed etiam secundùm modum cuiusdam præfinitionis principalis. Ex hac ergo doctrina colligo ex mente D. Thomæ Deum non eodem modo, seu æqualiter præfinire omnia bona, etiam naturalia vniuersi, se quædam per se primò, & ex primaria intentione, alia secundariò quatenus ad alia primariò præfinita necessaria sunt, vt ipse ibi latè explicat. Sic ergo nos dicimus de actibus liberis bonis, omnes quidem esse præfinitos aliquo modo, quia omnes sunt à Deo ab æterno dispositi, & absolutè voliti, & ordinati ad aliqũod præmium, vel alium finem: totum enim hoc pertinet ad perfectam prouidentiam actuum bonorum, & sufficit ad aliquod genus propriæ præfinitionis, vt suprà ostendi, non tamen sunt omnes æqualiter præfiniti, sed quidam primariò, & principaliter, alij secundariò, & quasi per occasionem, vt ita dicam.

Suppositio. *D. Thom.*

23. Declaratur ista suppositio.

Quod sic declaro, quia Deus ex primaria præfinitione decreuit numerum prædestinatorum, & gradum, ac ordinem illorum, & ad consequendum illum finem, hunc mundum instituit, & talem ordinem rerum, & causarum, ac prouidentiæ modum elegit, in quo, (sub conditione vtique, si ita instituerctur,) præuidit, vnumquemque electorum per tot, & tales actus, tantumque eorum numerum fuisse infallibiliter ad eum gradum gloriæ peruenturum, ad quem illum eligeret, & sic omnes illos actus prædefiniuit. Quæ præfinitio comparata ad electionem gloriæ secundaria est, nihilominus tamen propriissima præfinitio. Et comparatione illorum actuum reproborum, potest dici etiam primaria, vt iam declaro. Nam Deus prius ratione, quàm decerneret talem ordinem rerum, sub quo electi infallibiliter saluarentur, sub eadem conditione præuidit in eodem cursu, & duratione rerum fuisse futuras alias

generationes hominum, quos etiam voluit creare, & ad beatitudinem ordinare, & sufficientia media eis prouidere. Et licèt simul præuiderit neminem eorum fuisse bene illis vsurum perseueranter, ac proinde neque saluandum: nihilominus etiam præcognouit ad tempus multos fuisse bene operaturos, & iustificandos, licèt non essent in iustitia permansuri.

24. Sic ergo simpliciter, & efficaciter voluit, vt illi homines essent, & vt talia, vel talia opera facerent, quod potuit velle etiam ante præscientiam absolutam talium actuum futurorum, ac proinde per propriam prædefinitionem, vt dicit antecessionem ad absolutam scientiam talium actuum, qui sunt præfiniti. Et nihilominus illa præfinitio secundaria, & minus principalis dici potest, quia non est ex illo proposito primario saluandi tales homines, sed quasi per occasionem, quam ordo rerum propter dictos præcipuè dispositus pro alijs offerebat. Sicut numerus etiam reproborum, & omnium animarum certus est ex aliqua præfinitione diuina, non tamen primaria, quia Deus per se non ita intendit numerum reproborum, sicut prædestinatorum, sed præuidit, si sub tali ordine rerum, & annorum, ac temporum constitueret prædestinatos, futurum fuisse, vt aliorum non electorum hominum numerus tantus esset, & ideo consequenter illum præfiniuit, & maiorem, vel minorem esse noluit. Ad hunc ergo modum potuit eorum actus præfinire, & credibile est ita fecisse, vel in omnibus bonis actibus, vel saltem in actibus gratiæ, & maximè in illis, ad quos sunt necessaria auxilia efficacia, & sæpe maiora, & specialiora, quàm ex generali cursu supernaturalis etiam prouidentiæ dari soleant. De actibus autem inferioribus, & præsertim de moralibus ordinis naturalis, licèt id etiam sit probabile, & facilè defendi possit, non est tamen ita necessarium, quia sufficit prædefinitio æterna, quæ supponit præscientiam Dei absolutam eorundem actuum, & includit absolutam Dei voluntatem, & acceptationem eorum, & ordinationem eorum ad aliquale præmium sui ordinis, vel ad alios fines diuinæ prouidentiæ. Et ita est sufficienter declarata, & obiter probata assertio. Qui autem maiorem probationem desiderat, libros *de Auxilijs* consulat.

25. *Expeditur dicta obiectio tertia, & sic totum opus concluditur.*

Atque hinc tandem facilè expeditur tertia obiectio, quæ sola superest ex positis in capite præcedenti, negamus enim per hanc doctrinam aliquid perfectioni diuinæ prouidentiæ circa bonos actus derogari. Quod in primis est manifestum de his, quos ante absolutam scientiam Deus præfiniuit siue primariò, siue secundariò, quia non pertinet ad perfectionem prouidentiæ Dei omnia, quæ facit, æquè principaliter intendere; imò ad perfectum dominium, & libertatem Dei pertinet, vt pro suo arbitrio ad extra operetur, & ideo ex æqualibus bonis creatis potest vnum velle, & non aliud, & à fortiori vnum principalius intendere, aut prædefinire, quàm aliud. Hoc autem supposito nullus alius defectus perfectionis in prouidentia talium actuum cogitari potest. At verò etiamsi aliqui actus boni non sint ita prædefiniti, sed tantùm post præscientiam, stabit tota perfectio necessaria diuinæ prouidentiæ, vt patebit facilè applicando, quæ suprà dixi de prouidentia antecedente, & subsequente. Nam ad antecedentem spectat primò, quòd Deus præbet, vt res sufficientes, tam ex parte liberi arbitrij, quàm ex parte gratiæ, ad efficiendos tales actus. Secundò quòd ad illos offert concursum ex parte sua necessarium. Tertiò quòd Deus quantum in se est, intendit talem actum. Quartò, quòd illum aut præcipit, aut consulit, vel saltem tanquam honestum proponit. Quintò, quòd paratus est aliquod præmium propter illum conferre, vel etiam illud promittit, si homo non impediat. Atque hæc prorsus videntur sufficere ad hanc partem prouidentiæ. Quòd autem vltra hæc addatur prædefinitio antecedens, vbi Deus voluerit, potest pertinere ad quandam supererogationem, vt sic dicam, non tamen ad absolutam perfectionem prouidentiæ. Imò esset nimia limitatio, & coarctatio libertatis diuinæ, si cogeretur singulas actiones etiam bonas determinatè præfinire, & ita non posset liberi arbitrij curam gerere, vt illi etiam inter bonas actiones, omnino electionem relinquendo, ad omnes, & singulas, quantum est ex se, concursum præbendo, prouideat præsciens semper per scientiam conditionatam, quid operaturum sit.

Quoad subsequentem autem prouidentiam post præscientiam absolutam talis boni actus futuri habet Deus absolutam voluntatem complacentiæ in illo; quamuis enim hæc voluntas non sit operativa talis actus, nihilominus ad perfectã prouidentiam spectat, tum quia prudentis gubernatoris est bene operantes laudare, & eorum facta approbare, tum etiam, quia ex illo Dei beneplacito possunt aliqui actus, vel effectus prouidentiæ subsequi. Secundò habet Deus voluntatem remunerandi tale opus. Tertiò ordinat illud ad alios fines, prout ad maiorem suam gloriam, vel ad alios effectus prouidentiæ suæ iudicat expedire. His ergo modis sufficientissimè disponit Deus de singulis actibus bonis in particulari atque eos præfinit, quantum, & quomodo vult, iuxta consilium voluntatis suæ. Et hoc etiam modo perfectissimè vtitur voluntatibus humanis tanquam supremus dominus, tum mouendo illas, quantum necessarium, vel conueniens iudicat, tum sinendo illas operari, simul cum illis cooperando, tum denique illis siue hoc, siue illo modo operantibus ad alios fines prouidentiæ suæ vtendo, vt eleganter Augustinus in locis citatis, & præsertim in Enchirid. exposuit. Igitur & perfectio prouidentiæ cum dicto modo prædefinitionis diuinæ, & ipsa diuina præfinitio cum efficaci gratia per vocationem congruam optimè consistit, & concordat, & vtraque cum libertatè optimè conciliatur, quod non ita fieri posse cum alio prædefinitionis modo, satis ostensum est.

FINIS.

INDEX